НБ ОНУ імені І.І.Мечникова

VI
120

Л 4
48
antiq.

НБ ОНУ імені І.І.Мечникова

НБ ОНУ імені І.І.Мечникова

НБ ОНУ імені І.І.Мечникова

429
*Buchard p. 285 _ 10½ fl

Ed. optima
I.429.L

IOANNIS ROSINI ANTIQVITATVM ROMANARVM CORPVS ABSOLVTISSIMVM.

CVM NOTIS

Doctissimis ac locupletiss.

THOMÆ DEMPSTERI I.C.

Huic postremæ editioni accuratissimæ accesserunt

PAVLI MANVTII LIB. II.

DE LEGIBVS, ET DE SENATV,

Cum AND. SCHOTTI ELECTIS,

I. De Priscis Rom. Gentil. ac Familiis.
II. De Tribvbvs Rom. xxxv. Rvsticis atqve Vrbanis.
III. De Lvdis Festisqve Rom. ex Kalendario vetere.

Cum Indice locupletissimo Rerum ac Verborum, & æneis figuris accuratissimis Vrbis &c.

ACCVRANTE
CORNELIO SCHREVELIO.

AMSTELODAMI,
Ex Typographia BLAVIANA, MDCLXXXV.
Sumptibus Societatis.

1946
НБ ОНУ імені І.І. Мечникова

Amplissimis, Gravissimis, Prudentissimisque Viris

D. IOHANNI MEERMAN,

Consuli Præsidi Spectatissimo, IC^to Cultissimo,

D. ARNOLDO WITTENS,

Ex-consuli Ornatissimo, Thesauri Florentissimæ hujus Vrbis præfecto ordinario diligentissimo, Iurisperito Consultissimo,

HACKII, PARENS ET FILII, S.P.D.

Diis lacte quondam ac mola salsa, Viri Amplissimi Spectatissimique, agricolas, quibus humilis tugurii rusticum culmen animorum æquitas regna facit, aliosque populos, qui thus Arabum ignorabant, operatos, Deosque juxta illorum innocentiâ & sanctitate, atque aliorum thure, vino, & accuratis precibus lætatos fuisse, ad memoriam à veteribus proditum est. Quod ipsum inter nos reputantibus, cum staret sententia, levidensi aliquo munusculo Vos augere, animorum non parum addidit. Confirmabamur quippe exemplo, ut, quamvis hinc tacita tenuitatis nostræ conscientia ab instituto revocaremur, illinc, ne Amplitudini Vestræ munera nostra sorderent, anxie metueremus; tamen contra audentiores iremus, nominibusque vestris, quorum humeris non minima pars florentissimæ hujus Reipub. sedet, huic operi præscriptis, gratæ voluntatis obsequiique gloriam nobis assereremus. Cum ergo celebri tot innocentissimarum gentium exemplo juvaremur, factum est, ut etiam fortasse non condigna satis Vobis, dedicaremus tamen. Adhæc cum Vestrum in omnes doctos amorem, in bonos libros curam, in hos homines benevolentiam semper simus venerati, quis deinde miretur nos nobiscum de dicendis gratibus cogitare sustinuisse? Neque in mundo alia temeritati nostræ occa-

НБ ОНУ імені І.І. Мечникова

ſio, quam cum Roſinum proferimus, auctorem luculentum certe nec indecorum, & ad Antiquitates ituris Romanorum, qui admirationis ſuæ fama Orientem & Occidentem olim conjunxere, perneceſſarium. Qui quam miſere hactenus cum fortuna ſua conflictatus fuerit jacueritque, nobis indicentibus, dudum legentibus queſtus eſt ipſe. Et dolendum quidem illud bonos libros malis librariis eſſe obnoxios & expoſitos, prorſus, ut videtur in perniciem humaniorum literarum, quibus tamen nihil divinius excogitabitur unquam, aut duntaxat diſpendium maximum ingeniis ſevera lege profecturis, quorum reditus Eloquentiæ neceſſitatibus non ſufficiunt. Et hæc tolerari poſſent, ſed quod ſanctiſſimarum illarum animarum monumenta, ſitu & ſquallore obducantur, & pro libidine librariorum interpolentur, vulnera imprimantur, falſa pro veris ſubjiciantur, illud vero neutiquam ferendum. Ita tamen nunc eſt, & per multos annos inani quaſi rumore queſtus eſt Roſinus, donec tandem vinceret, ut priſtino nitori redderetur. equidem cenſemus immortalem eſſe eorum gloriam, qui pro communi Eloquentia aliquid domi foriſque audent, id vero non aſſecutis, voluiſſe, deſcribendis bonis libris, abunde pulcrum. Videlicet nobis illam gloriam relictam eſſe. Hic igitur ille Roſinus non certe mangonizatus jam, ſed verus & γνήσιος in ſinus veſtros confugit; Veſtra illa in nos, taceo, ſed in literas & literatos benevolentia, tutam illi manſionem, imo defenſionem præſtabit. Quod ſi intellexerimus officium noſtrum obſequendique animum non omnino fuiſſe ingratum, & conſilium noſtrum probari Vobis, ſufficiet nobis in tempore judicium Veſtrum, apud poſteros quantæcunque pro re literaria audaciæ teſtimonium habituris. Valete Viri, in omni vitæ colore terſiſſimi, & res qua publicas qua privatas feliciter gerite.

Dabamus Lugd. Bat. A. d. VIII. *Cal. Decembres*
anno ſalutis CIↃ IↃ CLXII.

LECTO-

LECTOREM MEVM SALVTO.

Zeno ille Citticus Stoicæ aſſertor ſapientiæ, Deos conſuluit, qua ratione beatam vitam optime inſtitueret? Reſpondit Apollo, εἰ συνχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς, ſi concolor fieret mortuis, *quod ubi ille intellexiſſet* τὸ τῶ ἀρχαίων ἀναγινώσκειν *dicitur*, ad veterum monimenta evolvenda ſe contuliſſe: *cenſebat enim ſe mortuis concolorem tum demum futurum, ſi defunctorum laudabili doctaque uteretur conſuetudine, unde* & mores formarentur, & virtutis præcepta deſumerentur. *An non & L. Senecæ ejuſdem familiæ ſequacis par extat conſilium?* Cum Catonibus, *inquit*, vive, cum Lælio, cum Tuberone; quod ſi convivere etiam Græcis juvat, cum Socrate, cum Zenone verſare, alter docebit te mori, ſi neceſſe, alter antequam neceſſe erit: vive cum Chryſippo, cum Poſidonio, hi tibi tradent divinorum humanorumque notitiam. *Neque quiſquam objiciat Auguſtum Principem* ANTIQVARIOS faſtidiiſſe, *qui Antiquitatem venerabatur, moleſtas illas & improbas Grammatiſtarum anxietates, & de* μὶν & σφὶν *diſſertationes inutiles cenſebat. Alioqui enim ab argutiſſimo Grammatico* veterum memoriarum exequentiſſimus, *idem Princeps audit, an aliud filio tanti imperii deſtinato hæredi, & jam participi, Theodoſius Hiſpanus apud cultiſſimum Claudianum commendat:*

Interea Muſis animus dum mollior inſtat
Et quæ mox imitere legas, nec deſinat unquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetuſtas.
Antiquos voluere duces, aſſueſce futuræ
Militiæ, Latium retro te confer in annum.

Hanc itaque tibi, (MI LECTOR) *philoſophorum, virorum principum, atque adeo oraculi divinioris authoritate comprobatam, offero, & ut poſſum, adorno* ANTIQVITATEM, *ubique* ROMANAM, *ſæpe* GRÆCAM, *interdum etiam & barbararum* GENTIVM *ſacra ritusque complexam, ut publici fiat juris, utinam & ſaporis! Hæc enim Antiquitatum cognitio, ad omnia litterarum genera, utilitates quam maximas cum ſumma jucunditate conjunctas habet. Nec verò neceſſe eſt ut pluribus exponam quantum utilitatis habeat ad antiqua Poëtarum, Hiſtoricorum & Iure-Conſultorum ſcripta intelligenda & interpretanda: quippe omnibus in confeſſo ſunt & nota ſatis. Iucunditas certè tanta eſt, ut ex omnibus ſtudiorum generibus, nullum hoc genere Antiquitatis cognoſcendæ ſuavius aut jucundius. Cum igitur in his Roſini libris verè roſea ſuavitate refertis, tantum utilitatis & jucunditatis ſit, Te Lector benevole (quamvis revera, juxta vetus proverbium, his libris, ut vino vendibili, nulla ſuſpenſa hedera opus ſit) paucis affari & hortari volui, ut tam præclaro & Attico mello delicatiori labori faveas, & ad cæteras artes liberales, Antiquitatis ſcientiam adjungas: in qua nullo cum periculo, aut itineris longinquitate, tædiove, Romam ejuſque magnificentiam; imò totam Antiquitatem abſens animi oculis tutiſſime perluſtrare potes. Deſunt, inquies multa: fateor, ſed ſuccurrat tibi illud Romani Philoſophi,* alium alio invenire poſſe plura, neminem omnia: *nam ut aliis pleriſque, ita in litteris dies curaque præſens.*

Μέμφεται, ἐστὶ δ' ἀιεὶ κρεῖσσον ὀφειλόμενον.
Incuſatur, & ſemper futura melior eſt.

Et

Et ut unico verbo expediam.

Σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ᾽ ἐστὶν, ἐμοὶ δὲ τάδε,
Hæc tibi videntur, illa vero mihi.

Tum verò quæ huic Editioni addita ſunt, accipe. Præter And. SCHOTTI ELECTA, *addidimus etiam* PAVLI MANVTII *lib.* II. DE LEGIBVS *&* DE SENATV, *maxime utiles & huic operi convenientes. Dein hæc noſtra editio quanto cæteris antiſtet, videre eſt ex collatione priorum, quæ tam nitidæ non ſunt, & pluribus etiam mendis ſcatent. Inſuper etiam addidimus ad majorem commendationem hujus Operis, æneas figuras artificioſiſſimè expreſſas, Vrbis Romæ delineationem, & alia notatu maxime digna, repræſentantes. Accedit etiam* INDEX *locupletiſſimus Rerum ac verborum. Hiſce vale, & ſtudiis noſtris fave.*

INDEX TOTIVS OPERIS.

I.	Liber eſt, de Vrbe & Populo Romano.	pag. 1.
II.	De Diis, Templis, Ædibus, Ædiculis, Aris Deorum.	81.
III.	De Sacerdotiis.	191.
IV.	De Annorum & Dierum ratione, & Diebus feſtis.	235.
V.	De Ludis, Accumbendi & Diſcumbendi ratione, ſeu de Menſis, Veſtimentis, ritibus Nuptiarum, & deducendorum Funerum.	305.
VI.	De Comitiis.	449.
VII.	De Magiſtratibus.	485.
IIX.	De Legibus.	545.
IX.	De Iudiciis.	657.
X.	De Militia.	710.

Accedunt PAVLI MANVTII *Libri duo:*

I.	De Legibus.	797.
II.	De Senatu.	849.

In Electis Romanarum Antiquitatum reperiuntur etiam ſubſequentes tractatus, quos Lector ſub paginarum conſignatione inveniet.

I.	De Familiis.	889.
II.	De Tribubus.	919.
III.	De Ludis Feſtiſque Romanorum.	923.

ROMA-

Urbis Veteris Romæ delineatio Accuratiſsima, hac facie fuit, Septimio Severo imperante

J.Torenvliet del. *P. Philip. ſculp.*

НБ ОНУ імені І.І. Мечникова

ROMANARVM ANTIQVITATVM

LIBER PRIMVS,

DE

VRBE ET POPVLO.

PRÆFATIO.

DE causis quæ me moverint, ut hosce de Republica Romana libros scriberem, in Epistola ad Lectorem satis dixi. Nunc ut initium fiat operis, libet pauca quædam de ordine Librorum in medium afferre. Is vero hic est: Quicunque Rempublicam aliquam literis describendam sibi sumit, eum primum omnium de loco, ubi illa constituta sit, dicere oportet. Quod nisi fiat, intelligi cætera quæ dicuntur, non bene possunt. Itaque in hoc meo opere primum locum hujus Reipublicæ describo: urbem videlicet Romam: cujus originem, ædificationem, & amplificationem atque ambitum, quantum quidem ex Veterum & Recentium ea de re scriptis editis scire potui, fideliter Lectoribus ob oculos pono: atque simul præcipua ædificia juxta quatuordecim regiones, in quas AVGVSTVS Urbem descripsit, indico. Urbe muris circundata, & ædificiis instructa, de incolis atque habitatoribus hujus Urbis jure optimo dicendum est: quod etiam in hoc primo libro, allatis præcipuis hujus Populi divisionibus & differentiis, summa diligentia facio. Iis cognitis, instituta Populi consideranda. Illa verò versantur vel circa Religionem, vel circa Reipublicæ gubernationem. Secundo igitur hujus commentarii libro de Diis, quos hic populus coluit, quibus de causis eos hoc, vel illo nomine appellarit, quæ templa, ædes, ædiculas, aras, &c. in eorum honorem ædificarit, dissero. Inde libro tertio Deorum, vel sacrorum Ministros describo. Cùm verò multi etiam dies in honorem illorum Deorum festivè & celebriter fuerint peracti: de iis, quos Romani festos habuerunt, quarto libro ago. Ad festos dies pertinent Ludi, quos quinto libro explico. Absoluta ad hunc modum tractatione de Religione, Politiæ descriptionem aggredior: ubi, cùm præcipuæ ferè partes Reip. comitiis Populi sint peractæ, de iis primo loco, libro videlicet sexto, ago. Magistratus postea libro septimo subjungo. Quæ Leges hujus Reipubl. ad quarum normam ea gubernata est, fuerint, octavo libro trado. Gubernationis hujus praxin, quæ in judiciis consistit, nono libro expono. Ita & Religione & Reip. gubernatione explicata, Urbe egredior, & quæ instituta, qui ritus hujus Populi circa rem militarem fuerint, oratione persequor: & sic hunc totum tractatum concludo. Hæc de ordine. Nunc, DEO benedicente, rem ipsam aggrediar, & de Urbe, ejusque habitatoribus agam. In quo tractatu, præter Veteres rei Romanæ Scriptores, recentes etiam quosdam secutus sum, BARTHOLOMÆVM MARLIANVM, ONVPHRIVM PANVINIVM, GEORGIVM FABRICIVM, & CAROLVM SIGONIVM, quod indicare hoc loco volui, ne si viderint Lectores multa hic ex istis, quos dixi autoribus desumpta esse, plagii me insimulent.

НБ ОНУ імені І.І. Мечникова

CAPUT I.

De Origine urbis Romæ.

DE origine urbis Romæ, ejus conditoribus, & nomine, variæ & discrepantes sunt sententiæ, quæ à Livio & Plutarcho recitantur, atque refutantur, & ab Onuphrio etiam Panvinio initio librorum de *Republica Romana* breviter recensentur, quas huc referre non est opus. Simplicissima autem, & vero maximè consentanea hæc est: Conditam esse urbem à Romulo Rheæ Sylviæ filio, Numitoris nepote, cujus prosapia refertur ad Æneam Troianum. Capta enim & diruta Troia propter raptum Helenæ, Æneas cum patre Anchise, & aliis sociis fuga sibi consuluit; & incolumis quidem à Græcis, quia autor Troianis reddendæ Helenæ fuerat, dimissus est: post longam autem & diuturnam navigationem in Latium, quod est pars Italiæ, ad regem Latinum venit: ibique aliquandiu commoratus, accepta Regis Latini filia Lavinia in matrimonium, post soceri obitum, hæres Regni relictus est. Sublato autem & ipso è rebus humanis, Ascanio filio, qui tamen nondum maturus imperio erat, Regnum avitum, paternumque, ad puberem ætatem incolume mansit, & tutela matris Laviniæ stetit. Is vero Ascanius ubi ad maturam rebus gerendis ætatem pervenit, abundante Lavinii multitudine, florentem atque opulentam Urbem matri reliquit: novam ipse aliam sub Albano monte condens, quæ à situ porrectæ in dorso urbis, *Alba longa* appellata est. Interfuere inter Lavinium conditum, & Albam longam coloniam deductam, triginta fere anni. Initium regni Albani cœpit anno post captam Troiam trigesimo secundo, ætatis Ascanii vigesimo quinto: à quo, ad Procam usque undecim Reges præfuerunt Imperio Albano: quorum nomina apud Dionys. Halicarnass. recensentur hæc: I. *Sylvius*, successor Ascanii, regnavit annos 29. II. *Æneas Sylvius* 31. III. *Latinus Sylvius* 51. IIII. *Alba* 39. V. *Capetus*, hunc quidam *Atym* dicunt, 26. VI. *Capys* 28. VII. *Calpetus* 13. VIII. *Tyberinus* 8. IX. *Agrippa* 33. X. *Alladius*, alii *Romulum Sylvium* vocant, 19. XI. *Aventinus* 37. Post Aventinum *Procas* rerum Albanarum potitus est, & regnavit annos 13. relictis duobus filiis, *Numitore* & *Amulio*, quorum hic regnum quod Numitori fratri propter ætatem debebatur, fraude occupavit: & ne vindex Regni ex fratris genere oriretur, ac ipse Regno ejiceretur, *Rheam Sylviam* filiam Numitoris, Vestæ sacerdotem consecravit. Hæc perpetuæ virginitati devota, à *Marte* ut fingunt aliqui, sive ab alio quodam, gravida facta, geminos procreavit pueros: *Romulum* scilicet ac *Remum*, Amulius igitur hac re cognita, Rheam Sylviam carceri includi, pueros exponi jubet, qui à Faustulo regii pecoris magistro in ripa fluminis Tyberis reperti, inter Pastores, ab ipsius uxore Laurentia, quæ ob vulgatum corpus *Lupa* dicta fuit, educati sunt. Remus, ubi ætatem virilem est adeptus, captus à prædonibus perductusque ad Amulium patruum, Regem, accusatur, ut qui Numitoris greges abigere solitus sit. Itaque Numitori traditur, ut ipse de eo pro arbitrio pœnas sumat. Verum Remus, multis sermonibus vicissim habitis, & signis cognitis, nepos Numitoris agnitus est. Supervenit & Romulus cum Faustulo, auxilium fratri Remo laturus. At hi omnes, cum conjuratione facta ex inopinato Amulium obruunt, atque obtruncant, regnumque avo Numitori restituunt. Anno hujus secundo Romulus & Remus urbem Romam in eo loco, ubi expositi fuerant, (anno à capto Ilio 431. Olympiadis septimæ anno primo, anno mundi 3213. II. Kal. Maii: sive, ut alii tradunt, anno mundi 3220. 21. die April.) condiderunt. Exorto postea bello inter Romulum ac Remum de Imperio, Remus occiditur: Romulus civitati ac civibus Romanis nomen dedit. *Livius, Plutarchus, Dionys. Halicarnassæus, Messala Corvinus* & *Bartholomæus Marlianus*, ex quo posteriora fere ad verbum descripsi.

THOMAS DEMPSTERUS J.C.

ADDIDIT AD

CAP. I. PARALIPOMENA.

A quo condita Roma?

ROmam conditam à Romulo communior sane est sententia vulgatiorque: historici pene omnes, Ioh. Saresber. lib. 8. c. 22. M. Varro rei Rust. lib. 3. cap. 1. *antiquissimum Græciæ oppidum Thebæ Bœotiæ, quod ædificavit Ogyges rex, in agro Romano Roma, quam Romulus.* Auson. epigr. 50. Michaëlius Glycas Annal. part. 2. 195. quem certum est leges historico præscriptas non observare, multa tamen notatu digna in eo reperias, quæ nusquam alias. Aurel. Prudent. in Romano.

Divum favore cum puer Mavortius
Fundavit urbem septicollem Romulus.

Alii ab utroque fratre conditam contendunt, Albert. Stadens. Chron. pag. 9. quem ego auctorem doctum & diligentem judico. Pompon. Mela lib. 2. cap. 4. C. Plinius lib. 8. cap. 17. *sicut de conditoribus nostris accepimus.* M. Manil. Astron. lib. 5.

Qua genitus cum fratre Remus hanc condidit urbem.

Mihi tamen animadversum à Remo fundamenta ejus jacta: erat enim major natu. Corrigendus Papin. Stat. ope MS. lib. 5. sil. 2. vers. 17.

——— *Neque enim de sanguine cretus*
Turmali, trabe ac remis, nec, &c.

Corruptissime, neque ullo sensu, nam Metium Celerem nec è plebe fuisse vult, neque etiam equestris tantum conditionis, sed patriciæ: equites vero trabeatos fuisse docuere Critici, legendum est ergo, *sanguine cretus*
Turmali, trabeaque Remi.

Idem lib. 2. sil. ult.

Dices culminibus Remi vagantes
Infandos domini nocentis ignes.

Sext. Propert. lib. 2. eleg. 1.

Queis gradibus domus ista Remi se sustulit.

Et lib. 4. eleg. 1.

Regna ve prima Remi, aut animos Carthaginis altæ.

M. Martial. lib. 10. epig. 76.

Sed de plebe Remi, Numæque verna.

Prudent. lib. 2. in Symmachum.

Ipsa casas fragili texat gens Romula culmo,
Sic tradunt habitasse Remum.

Et eodem libro.

Iamque Remi populo quernas Sardinia glandes
Suppeditat.

Iuvenal. sat. 10. v. 72.

Turba Remi sequitur fortunam.

Valer. Catull. epigr. 56.

Glubit magnanimos Remi nepotes.

QUÆ MATER ROMULI?

Filium faciunt *Rheæ Sylviæ*, & habet hæc opinio suos fautores. sunt tamen qui Romuli matrem *Serviam* appellent. Ælian. var. hist. lib. 7. cap. 16. nec desunt qui Iliam eam vocatam tradant, Serv. ad I. Æneid. v. 278. & ad lib. 6. Æneid. v. 779. vetus scholiastes Iuvenal. ad Sat. 9. v. 53. *Kalend. Martiis quibus Iunonis sacra celebrantur à Romanis, quia tunc Ilia compressa est à Marte, tunc nam Matronalia sunt.* Idem ad sat. 11. v. 106. *Martis ad Iliam venientis ut concumberet.* Et ad Sat. 1. v. 7. *Lucum Martis dicit, qui Romæ est in via Appia, in quo solebant recitare poëtæ, aut illum qui apud Colchos est, in quo fuit pellis aurea, aut in quo Ilia peperit.* Interpretes Horatii ad l. 1. od. 2. Stat. lib. 1. sil. 2. v. 246.

——— *sic victa sopore doloso*
Martia fluminea posuit latus Ilia ripa.

Et lib. 2. sil. 1. v. 99.

Iam secura parens Thuscis regnabat in undis
Ilia, portantem lassabat Romulus Accam.

Insigni correctione eget Claudianus paneg. de consul. Olyb. & Prob. in Tibridis habitu.

Palla graves humeros velat, quam neverat uxor,
Illi percurrens vitreas sub gurgite telas.

Nec sensus nec interpunctio valet; quare optime in M.S. meo, nisi fallor:

Ilia, percurrens vitreas sub gurgite telas.

Ovid. lib. 2. Amor. eleg. 14. & lib. 3. Amor. eleg. 5. lib. 2. Fast. ut omittam Chronographos.

Quæque colunt thalamos Ilia diva tuos.

QUAM ANTIQUA EXPOSITIO ET QUIS MODUS.

Natos nepotes Amulius exponi jussit. vetustissimus hic mos, atque adeo in usu populo Hebræo, ut ex sacris literis de Moyse notum, & Ezechiele Tragico, quem à Clemente Alexandrino & Eusebio laudatum, ego eruditum magis quam eloquentem æstimo, is in sua exagoge.

Ἐνταῦθα μήτηρ ἡ τεκοῦσ', ἐκρυπτέ με
Τρεῖς μῆνας, ὡς ἔφασκεν. οὐ λαθοῦσα δὲ
Ὑπεξέθηκε.

Ibi mater quæ me peperit, abscondit me tres menses, ut dixit, cum autem latere non posset, exposuit. De Græcis nullus dubitandi locus, quin idem factitarint exemplo Oedipi. Diodor. Sicul. lib. 5. c. 6. L. Seneca Oedipo.

——— *Teste damnavit parens*
Et in alta nemora pabulum misit feris
Avidis, avibusque quas Cytharon noxius
Alit.

Et alii eadem, quamquam postea Thebani id lege sustulerint, tanquam impium, & ab humanitate alienum, Ælian. lib. 2. cap. 7. νόμος οὗτος Θηβαϊκὸς ὀρθῶς ἅμα καὶ φιλανθρώπως κείμενος ἐν τοῖς μάλιστα ὅτι οὐκ ἔξεστιν ἀνδρὶ Θηβαίῳ ἐκθεῖναι παιδίον. *lex hæc Thebanorum recta simul & humana posita in his maxime, ne cui Thebano viro liceat exponere infantem:* male interpres verterat, nec minus varii in hoc ritu Romani; nam lata lege vetuerunt exponi partus, Tit. Liv. l. 1. Dec. 1. C. Theodos. lib. 5. tit. 7. *nisi forte monstrosi forent*, Dionys. Halicarnass. lib. 2. nam nunquam sine comminatione deorum putabant portentosos fœtus nasci, quos abjicere aut necare intererat Reip. ut dicetur in tractatu de prodigiis, & dixi ad illud Claudiani lib. 1. in Eutrop.

Consule lustrandi fasces, ipsoque litandum
Prodigio.

Hinc *exponere*, idem quod *necare*. Paul. IC. l. 4. ff. de agnosc. libe. & sustulere id Valentinianus & Valens Augg. l. 1. C. de infant. expos. certe tamen apparet licitam expositionem; nam *in nullo censu aut numero expositos* collocat Latro apud L. Senecam lib. 5. controv. 33. & *pater materve agnoscens liberos suos solutis alimentis recipere potest*; ex lege apud eundem lib. 4. controv. 26. & lib. 9. controv. 3. & docent IC. *ingenuos, si exponantur, in servilem transire conditionem.*

Locus vel mare & fluvii, Constant. Manass. Annal. p. 42. & Otto Frising. Chron. lib. 2. c. 2. *geminos quos Rhea pepererat, exponi & in aquam projici Amulius jussit.* Iustin. lib. 44. *Gargoris rex nepotem suum Habidem in mare projici jussit.* Strabo Amasian. lib. 5. Geograph. pag. 252. τοὺς δ' ἐξέθηκε πρὸς τὸν Τίβεριν, κατά τι πάτριον, *hos ad Tiberim exposuit, secundum morem quendam patrium.* Ezechiel. Tragicus in Exagoge, de præcepto Pharaonis.

Ἔπειτα κηρύσσει μὲν Ἑβραίων γένει
Τ' ἀρσενικὰ ῥίπτειν ποταμὸν ἐς βαθύρροον.

Deinde jussit ut Hebræorum gens masculos jaceret in fluvium profundum. Ovid. fast. lib. 3.

Amne jubet mergi geminos, scelus unda refugit,
In sicca pueri destituuntur homo.

Alii in deserta & avia abjiciebantur. Idem Epist. 11.

Iamque dari parvum canibusque avibusque nepotem
Iusserat, in solis destituitque locis.

Aut denique *ad cloacas* vetus scholiastes Iuvenal. infantes exponi solitos prodidit ad Sat. 6. v. 600. & ipse Satyricus.

Transeo suppositos & gaudia, votaque sæpe
Ad spurcos decepta lacus.

Modus exponendi, *in vasculo de papyro facto ac bitumine illito*, ut loquitur Freculph. Tom. 1. Chron. l. 2. c. 8. quod vas *fiscellam* vocat quisquis ille fuit qui Glycam latinitate donavit Annal. par. 2. pag. 206. hic Romanam fuisse docet, ille Hebraicam consuetudinem. cantharis etiam exponi soliti, unde intelligendus P. Terent. in And. act. 4. sc. 4.

——— *Verum vidi cantharum*
Suffarcinatum.

Vbi loci Ælius Donatus hallucinatur, dum pro *Cantharo*, putat legendum *Cantharam*, & de anu quadam intelligit: melius Eugraphius vetus Grammaticus, licet plerumque non magni ponderis author, *cantharam suffarcinatam dixit, quasi corbem supponendo puero repletum.* Scholiast. Aristoph. in βατράχ.

Πῶς γὰρ ὅτε δὴ πρῶτον μὲν αὐτὸν γενόμενον
Χειμῶνος ὄντος ἐξέθεσαν ἐν ὀστράκῳ.

Vertit Nannius eruditissimus lib. 1. συμμικτ.

Qui mox ut alvo matris esset editus
In vase fictili per hyemem exponitur.

Denique notandum non modo inordinato corpore partus hos abjectos, sed una cum iis pretiosissima quæque exposita, qualia sunt aurum, gemmæ, annuli, monilia, aliaque quæ Græcis γνωρίσματα, Latinis *crepundia* vocantur. Heliodor. lib. 4. Æthiop. ὥστε ὥρα σοι πάντως ἐπιδεικνύναι μοι τὴν ταινίαν ἣν τῇ παιδὶ συνεκτεθεῖσαν ὑποδέδεχθαι μετὰ τῶν ἄλλων γνωρισμάτων ἔλεγες. *Quamobrem tempus est omnino, ut mihi fasciam ostendas, quam cum filia expositam te cum cæteris indiciis recepisse dicebas.* atque huic monili insculptum erat utriusque parentis nomen, ut ex eodem Heliodoro liquet pag. 175. lib. 4. ut si aliquis partum tolleret, haberet saltem educationis præmia; si moreretur non deessent sepulturæ sum-

ſumptus, hocque eſt quod Eugraphius ait ad ſc. 1. Act. 4. Heautontimor. *nefas fuiſſe liberos etiam mortuos paternis bonis fraudari.* Crepundia iſta ſignificat Moyſes de ſe expoſito apud Ezechielem Tragicum Act. 1.

Ὑπεξέθηκε, κόσμον ἀμφιθεῖσά μοι
Παρ' ὄχθην ποταμοῦ, λάσιον εἰς ἕλος, δασύ.

Expoſuit ornatum, ceu crepundia, circundans mihi juxta littus fluvii herboſum, in ulvam denſam. Terent. Heautontimor. Act. 1. ſc. 1.

——— *Cum exponendam do illi, de digito annulum*
Detraho, & eum dico, ut una cum puella exponeret,
Si moreretur, ne expers partis eſſet de noſtris bonis.

EDVCATIO GEMINORVM.

Lupam eos educaſſe confirmant Laurentalia 10. Kal. Ianuarias, & dicam abunde infra, certumque eſt impudicas *lupas* olim vocatas à rapacitate, quod ad ſe rapiant miſeros & apprehendant. Iſidor. Etymolog. lib. 10. hiſtorici & chronologi. Lactant. lib. 1. cap. 20. *Romuli nutrix lupa honoribus eſt affecta divinis: & ferrem, ſi animal ipſum fuiſſet, cujus figuram gerit. Author eſt Livius Larentiæ eſſe ſimulachrum, & quidem non corporis, ſed mentis ac morum, fuit enim Fauſtuli uxor, & propter vulgati corporis vilitatem, lupa inter paſtores, id eſt, meretrix nuncupata eſt.* Auſon. epigr. 25.

Credo *quod illi nec pater certus fuit,*
Et mater eſt vere lupa.

M. Martial. lib. 1. epigr. 35.
Abſcondunt ſpurcas & monimenta lupas.

Ob id proſtibula impudicarum *lupanaria* dicta, quæ non in littoribus tantum, ut multiſcius Savaro notat ad Sidonium ſuum lib. 9. epiſt. 6. ſed etiam in fornicibus ſepulchrorum, in itineribus publicis: hinc *devium ſcortum*, dixit Horatius lib. 2. od. 11. Q. Catull. epigr. 35.
Omnes puſilli & ſemitarii mœchæ.
Turnebus primus, ut puto, obſervavit. Mart. lib. 3. epigr. 91.
Admittat inter buſtuarias mœchas.

Non deſunt tamen qui veram belluam Romuli nutricem velint fuiſſe, non autem proſtitutam Larentiam. Strabo qui Tiberii temporibus, è Ponti regibus oriundus, clariſſimus fuit lib. 5. Geogr. μυθεύονται μὲν ἐξ Ἄρεος γενέσθαι τοὺς παῖδας, ἐκτεθέντας δ' ὑπὸ λυκαίνης ὁρᾶσθαι, σκυλακευομένους. *Fabulantur autem Marte genitos pueros, animadverſumque eos lupa catulorum loco ali.* Reſtituendus Iuſtinus lib. 38. *ipſi ferunt conditores ſuos lupæ vulneribus alitos, ſic omnem illum populum luporum animas habere inexplebiles ſanguinis atque imperii.* ſic in editione Lugdunenſi Gryphii legitur, ſed nullo ſenſu: reſcribendum ergo, *lupæ uberibus alitos.* C. Plinius lib. 8. c. 17. *quæ de infantibus ferarum lacte nutritis, produntur, ſicut de noſtris conditoribus à lupa.* Iul. Hygin. Auguſti libertus, Fab. cap. 252. *Romulus & Remus Martis & Iliæ filii à lupa nutriti ſunt.* Saresb. lib. 1. cap. 13. in quo multiplex lectio, acre judicium, & ut illa ferebant tempora, eloquentiæ ſatis. *Lupi, inquit, efficaciam non negabit, quiſquis Romanorum genus lupino lacte non ambigit educatum, unde plerumque quod in iis dulcius eſt, adhuc lupinum ſaporem retinet, primique eorum fidem, quam à matre lupa didicerant, ſibi invicem ſervaverunt.* adſcribam in tironum gratiam celebriores poëtas. M. Tull. lib. 1. de divinat. *Hic ſilveſtris erat Romani nominis altrix Bellua.* Prudent. in Romano.
Antiquitatem Romuli, & Mavortiam
Lupam renarras.
Iuvenal. ſat. 11. v. 104. & vet. ſcholiaſt. ibidem.
Romuleæ ſimulachra feræ manſueſcere juſſa.
Sidon. Apollin. Carm. 2. v. 119. *Præbuit intrepido mammas lupa fœta Quirino.* v. 395. *Illius orbem*
Martigenæ, lupa, Tibris, Amor, Mars, Ilia complent.
Idem carm. 5. in princ.
——— *Videas hic fuſa metallis*
Antra Rheæ, fœtamque lupam.
Sext. Propert. lib. 2. eleg. 6. *tu criminis author*
Nutritus duro Romule lacte lupæ.
Et lib. 3. eleg. 8.
Eductoſque pares ſilveſtri ex ubere reges.
Et lib. 4. eleg. 1.
Optima nutricum noſtris lupa Martia rebus
Qualia creverunt mœnia lacte tuo?
Ejuſdem libri eleg. 4.
——— *Quem non ſine matris honore*
Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ.
Mart. lib. 2. epigr. 75.
A noſtra pueris parcere diſce lupa.
Ovid. lib. 2. Faſtor.
Lacte quis infantes neſcit creviſſe ferino?
Claudian. lib. de bello Getico.
Nutricemque lupam Romæ.
Idem paneg. de conſul. Olyb. & Prob.
Hic patrius Mavortis amor, partuſque notantur
Romulei, poſt amnis ineſt, & bellua nutrix.
Statuæ illi belluina effigie erigebantur. Feſt. lib. 18. in *Ruminalis*, & Plin. lib. 15. cap. 18. Geſtus autem lupæ erat, ut pendentibus ab uberibus ſuis puerulis reclinata cervice ablandiretur. Serv. ad v. 632. lib. 8. Æneid.
——— *Illam tereti cervice reflexa*
Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.
Sidon. Apollin. carm. 5. in clypeo Romæ.
——— *Fœtamque lupam, quam fauce retecta*
Blandiri quoque terror erat, quanquam illa vorare
Martigenas & picta timet.

TEMPVS CONDITÆ VRBIS.

Condita fuit 11. Kal. Maii. diverſitas tamen opinionum notanda eſt. nam quidam, inter quos Marianus Scotus, 9. Kal. Maias, alii 10. Kalend. Maias, quam ſententiam probat Plutarchus, & Eutropius lib. 1. & ex eo Paul. Diacon. Hiſtor. Miſcellæ lib. 1. ſed tamen certior authorum conſenſus in 11. Kal. Maias fundamenta urbis jacta rejicit, id eſt, in *Parilia*, ſive *Palilia*, paſtorum deæ ſolemnitatem: C. Plin. lib. 18. cap. 26. M. Varro Rei Ruſt. lib. 2. cap. 1. Fl. Vopiſc. in Aureliano. Feſt. Pomp. lib. 14. in voce *Parilibus*. Euſebius Cæſarienſis in Chronic. L. Tarrutius Firmanus mathematicus, Probus Grammaticus in lib. 3. Georg. in princ. Pſeudocornutus in ſat. 1. A. Perſii.
——— *Et fumoſa Palilia fœno.*
Et ad illum locum interpretes. Cenſorin. de die natali libro cap. 17. *Et quidem ex Palilibus, unde anni urbis numerantur.* Quem locum vide diſcuſſum apud Fr. Modium in Novantiq. lect. epiſt. 14. & ante illum à Ioan. Cuſpiniano in Chron. Caſſiod. in conſulatu Pii & Proculi. Poëtæ, Propert. lib. 4. eleg. 4.
Vrbi feſtus erat, dixere Palilia patres,
Hic cepit primus mœnibus eſſe dies.
Ovid. lib. 4. Faſt.
Per flammas ſaliiſſe pecus, ſaliiſſe colonos,
Quod fit natali nunc quoque Roma tuo.
Et lib. 14. Metamorph. fab. 18.
——— *Numitorque Senex amiſſa nepotum*
Munere regna capit, feſtiſque Palilibus urbis
Mœnia conduntur.
Defendendus ex his M. Manilius, qui lib. 4. Aſtron. videtur in Septembri conditam Romam aſſerere; & certe eo nomine in eum debacchatur Ioſephus Scaliger. Ita igitur ille:
Quod potius regat Italiam, ſi ſeligis aſtrum,
Quam quod cuncta regit, quod iniquum ſeparat æquo,
Diſcernit cauſas, & rerum pondera novit?
Heſperiam ſua libra tenet, qua condita Roma,
Et propriis frenat pendentem nutibus urbem,
Orbis & imperium retinet.
At ego Manilium mathematicorum ſub Auguſto nobiliſſimum, in natali urbis Romæ potuiſſe falli non facile crediderim;

diderim; itaque geneſin ejus ab omnium planetarum conjunctione deſumpſiſſe, nam *Iove in Piſcibus, Saturno, Venere, Marte, Mercurio in Scorpione, Sole in Tauro conſtitutis, Luna neceſſe eſt in Libra.* Solin. Polyhiſt. cap. 2. illud eſt quod ex Tarutio ſcribit Cicero lib. 2. de Divinat. *Romulum imperii parentem urbis ſuæ jeciſſe fundamenta in jugo lunæ.* Hæc eſt illa *Romæ natalis dies*, qua nefas hoſtiam cædere; maxima tamen lætitiæ argumenta, ſaltu, diſcurſu, epuloque exhibere receptiſſimum, ut ex variis authoribus Stuckius (in quo modeſtiam & judicium requirerem) Antiq. convivial. lib. 1. cap. 16. Wolph. Lazius lib. 11. Commentar. Reip. Rom. cap. 2. locus eſt Dionis Coccei pulcherrimus lib. 44. τά τε γὰρ Παρίλια ἱπποδρομίᾳ ἀθανάτων, οὔτοι γε διὰ τὴν πόλιν, ὅτι ἐν αὐτοῖς ἔκτιστο, ἀλλὰ διὰ τὴν τοῦ Καίσαρος νίκην, ὅτι ἡ ἀγγελία αὐτῆς τῇ προτεραίᾳ πρὸς ἑσπέραν ἀφίκετο, ἐτιμήθη. *Præterea inſtitutum, ut Parilibus, quo feſto die equarum certamen celebrabatur diis immortalibus ſacra fierent non ob eam cauſam, quod is dies natalis urbis eſſet, ſed quod nuntius de hac victoria Cæſaris, pridie ejus diei ſub veſperam allatus eſſet.* Similis omnino locus eſt apud C. Suetonium in Calig. cap. 16. *Decretum ut dies, quo cepiſſet imperium, Palilia vocaretur, velut argumentum rurſus conditæ urbis.*

Nec minor de anno Romæ natali inter ſcriptores diſſenſus, quem diſcutiam, ſi admonuero, mundum, ſecundum probabiliorem ſententiam, eodem anni tempore, id eſt vere, ut Romam, conditum, creatumque. Virgil. lib. 2. Georg. v. 338. licet reluctetur Servius, ſic enim ipſe poëta, v. 340.
Cum primum lucem pecudes hauſere, virumque
Ferrea progenies duris caput extulit arvis,
Immiſſæque feræ ſilvis, & ſidera cœlo.
Anno igitur à creato mundo quater milleſimo centeſimo tertio, Roma condita, Ado Vienn. ætate 4. pag. 44. vel quater milleſimo ducenteſimo undecimo, Albert. Stadenſis Abbas Chron. pag. 9. hoc eſt, ab imperio Nini milleſimo trecenteſimo, Otho Friſing. lib. 2. c. 3. à templo ſancto Hieroſolymis ſtructo ducenteſimo ſexageſimo tertio, Freculphus Lexovienſis (quem inter præcipua lumina numerare Gallia poteſt) Chron. tom. 1. lib. 3. cap. 13. quinto anno Achæ Iudæorum regis, Altiſiodor. Chron. Roberti pag. 17. Atque hæc quidem eccleſiaſtica ſupputatio eſt, nam ſi ad profanum revocemus numerum, antiquiſſima, quorum extet memoria, ſunt tempora, bellum Thebanum & expeditio Troiana, à cujus everſione uſque ad natum Romulum trecenti nonaginta quinque; quo etiam anno ſacra funebria in Elide, inſtituta ſunt ab Hercule in honorem Iovis, renovataque poſtea à Pelope, ut notavi ad Corrippum Africanum lib. 1. de laud. Iuſtini Minoris Aug. num. 18. & ab eo tempore ſupputari per olympiades cæptum, omniumque annorum ſeries ad olympicos ludos exacte habita ratio. itaque Olympiadis ſeptimæ anno primo jacta Romæ fundamenta contendit Myrſilus Lesbius de Orig. Italiæ, & Euſeb. MS. ut in canonibus ſuis chronicis ſcribit Anton. Contius. aut ſextæ Olympiadis anno ſecundo, Paul. Oroſ. lib. 2. cap. 4. aut anno tertio, ut recentiores volunt, & inter eos I. Lipſius ad Velleium Paterculum, cui etiam concors Paulus Diaconus ex Eutropio lib. 1. Id cenſetur quoque tempus, quo reges Lacedæmoniorum deficere incæperunt, & Cranaus Macedoniæ regnum erexit, ut ab aliis obſervatum ex Plutarcho, & Æmilio Probo.

QVIS NOMEN ROMÆ IMPOSVERIT.

Indubitatæ fidei nomen urbi à ſe conditæ impoſuiſſe Romulum, Virgil. lib. 1. Æneid. v. 281. & Serv. Honorat. ibidem.
Romanoſque ſuo de nomine dicet.
Quod ab illo factum poſtquam duodecim vultures addixiſſent; nam grave inter fratres diſſidium fuit, uter nomen urbi daret, ut ex Q. Ennii Annalibus conſtat, citante M. Cicerone lib. 1. de Divinat. quos verſus etiam P. Crinitus tranſcripſit lib. 16. de honeſt. diſciplina cap. 5.
Certabant urbem Romamne Remamve vocarent,
Omnibus cura viris, uter eſſet induperator.
Vitioſe in ſecundo verſu, neque enim de duobus, omnibus, dixiſſet; legendum ergo, ut ſcripſit Ennius,
Omnis cura viris.
Non deſunt tamen qui à lecta Arcadum manu urbem ſtructam appellatamque à robore primum quidem Ῥώμην, deinde *Valentiam*. Iul. Solin. polyhiſt. cap. 1. & à Græcis poſitam Cæcilius rerum Romanarum ſcriptor docet apud Strabonem lib. 5. aliique authores, tam Græcarum quam Latinarum rerum apud Feſtum Pompeium lib. 16. ſed vulgata omnia, nihilominus adſcribam verba cultiſſimi poëtæ Marciani Heracleotæ, qui Iambicis verſibus orbem deſcripſit, is ergo v. 230.
Ἐν τοῖς ἔθνεσι τούτοις ἡ Ῥώμη 'στὶ πόλις
Ἔχουσ' ἐφάμιλλον τῇ δυνάμει τοὔνομα
Ἄστρον τι κοινὸν τῆς ὅλης οἰκουμένης
Ἐν τῇ Λατίνῃ, Ῥώμυλον δ' αὐτὴν κτίσαι
Θέμενον ἀφ' αὑτοῦ φασὶ τοῦτο τοὔνομα.
Vertit Feder. Morellus profeſſor regius, cui hunc authorem latinitate cultiſſima donatum, ut multos alios, debitura eſt poſteritas.
In hiſce Roma civitas eſt gentibus,
Quæ æquale nomen robori ſuo obtinet,
Commune ſidus univerſi orbis ſoli,
Hanc condidiſſe in Latio Romulum aſſerunt,
A ſe indito ipſi civitati nomine.
Sed aſcribatur hic inſignis locus è Conſtantino Manaſſe: MS. quem communicavit ſæculi noſtri eruditiſſimus, & pene unicum Græcæ literaturæ lumen, idem Federicus Morellus Regius profeſſor.

ΕΧ ΤΩΝ
ΚΟΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ ΜΑΝΑΣΣΗ
χρονικῶν, ἀπόσπασμα.

Υἱὸς Αἰνείου γνήσιος Ἀσκάνιος τὴν κλῆσιν,
Ἀπὸ Κρεούσης γεγονὼς τῆς θυγατρὸς Πριάμου,
Τὴν πόλιν Ἄλβαν ᾤκησεν σὺν τοῖς περιλειφθεῖσι,
Καὶ ταύτης ἐβασίλευσεν Ἀμούλιος μετ' ἄλλων,
Νεμέτορα προσήκοντα τὰ σκῆπτρα περισπάσας.
Ἦν δ' ἀδελφὸς παλαίτερος Νεμέτωρ Ἀμουλίου.
Οὐ παντελῶς βουλόμενος τὸ γένος ἀφανίσαι,
Τὸν μὲν υἱὸν περιαναιρεῖ, τὴν δέ γε θυγατέρα
Ἱέρειαν πεποίηκεν ναοῦ, τοῦ τῆς Ἑστίας.
Νενομοθέτητο δ' ἁγνὰς τὰς ἱερείας μένειν,
Παρθενικὰς καὶ καθαρὰς καὶ γάμων ἀπειράτους.
Ταύτην ποτὲ πρὸς Ἄρεος ἄλσος πορευομένην.
Φυλάξας τις ἐπέθετο, καὶ συμφθαρεὶς τῇ κόρῃ
Ἐγκύμονα πεποίηκεν· ὡς δ' ἐπεγνώσθη τοῦτο.
Τῷ πατραδέλφῳ βασιλεῖ, τότε μὲν ἐτηρεῖτο
Μέχρις ὠδίνων καὶ καιροῦ τοῦ τῆς βρεφοτοκίας.
Ἐπεὶ δ' ὁ χρόνος ἐπιστὰς ὃν ὥρισεν ἡ φύσις
Γαστρὸς τὸ βάρος ἔλυσε. δίδυμα δ' ἦν τὰ βρέφη.
Τὴν μὲν καθείρξας ἀσφαλῶς ὁ βασιλεὺς κατεῖχε.
Τῶν δ' ἀρτιτόκων θάνατον κατέγνω βρεφυλλίων.
Καὶ δίδωσι τὰ δύστηνα ῥιφῆναι καθ' ὑδάτων.
Ἐρρίπτο δὲ τὰ δυστυχῆ σκάφης ἐντὸς τεθέντα.
Ἐν τούτῳ θεία πρόνοια κατάδηλος ὑπῆρξεν·
Ἡ δραστικὴ σοῦ δύναμις· τὸ τῆς χειρὸς σοῦ κράτος.
Ἡ σκάφη περιτρέπεται· ῥιπτεῖται, καὶ τὰ βρέφη
Ἐκεῖτο δὴ κνυζόμενα καὶ τετελματωμένα.

Φαίνεται λύκαινα ποθὲν σπαργῶσα νεοτόκος.
Βαρυνομένη τοῖς μαστοῖς τοῦ γάλακτος τοῖς ῥεέθροις,
Καὶ τὰς θηλὰς τοῖς στόμασι τοῖς τῶν βρεφῶν προσῆγε,
Καὶ τὸν πηλὸν ἀπέλειχε τῇ γλώσσῃ φιλανθρώπως·
Ἦσαν γὰρ σφῶν κατάπηλα τὰ κάλλη τῶν προσώπων.
Βλέπει ποιμὴν τὸ γεγονός, τὰ βρέφη περισώζει.
Ἀπάγει πρὸς τὴν γαμετήν. εὑρίσκει δυσθυμοῦσαν
Ὅτι νεκρὸν ἀπέτεκε. παραμυθεῖται τούτοις.
Καὶ δίδωσιν ὡς ἴδια ταῦτα τὰ βρέφη, τρέφειν.
Ἔτρεφε ταῦτα μητρικῶς ἐκείνη καὶ γνησίως,
Καὶ παρ' ἐλπίδας μήτηρ ἦν διδύμων βρεφυλλίων,
Ἡ πρὸ μικροῦ μηδ' ἐφ' ἑνὶ τοῦτο ἀγχωρηθεῖσα.
Ἄλλοι δὲ οὐ λύκαιναν φασὶν ἐκθρέψαι τὰ παιδία,
Αὐτὴν δὲ τὴν ὁμόλεκτρον Φαυστύλου τοῦ ποιμένος
Ἥτις κοινὸν τοῦ σώματος τὸ κάλλος ποιουμένη,
Λοῦπα κατωνομάζετο τῇ γλώσσῃ τῇ πατρίᾳ,
Ἤτοι κατὰ διάλεκτον Ἑλληνικὴν ἑταίρα.
Ἐπεὶ καὶ τὴν λύκαιναν συνήθως λοῦπαν λέγει
Τὴν ὕβριν τὴν τῆς γυναικὸς τινὲς ἠγνοηκότες,
Λύκαιναν εἶπον τοῖς μαστοῖς τὰ βρέφη διαθρέψαι.
Ὡς δ' ἂν καὶ διετράφη τέως εἰς αὔξην ἦλθον,
Καὶ Ῥέμος ὀνομάσθησαν οἱ παῖδες καὶ Ῥωμύλος
Καὶ βίον εἶχον συφορβῶν, ἀγροίκων καὶ βουκόλων.
Ἀγνοίᾳ δὲ Νεμέτορος μανδρύματα κακοῦντες.
Ὃν ἔφη μητροπάτορα τούτων, εἶπεν ὁ λόγος,
Ἑάλωσαν λῃστεύοντες τινῶν ἐνεδρευσάντων.
Τῷ πάππῳ προσαχθέντες δέ, καὶ γνόντες καὶ γνωσθέντες
Τῆς βασιλείας Ἀλβανῶν Ἀμούλιον γυμνοῦσι,
Καὶ ξίφει κατασφάττουσιν ἀφύλακτον εὑρόντες.
Τῷ σφῶν δὲ μητροπάτορι χαρίζονται τὰ σκῆπτρα,
Τούτοις ὁ πάππος δεδωκὼς χρημάτων ἀφθονίαν,
Καὶ πᾶν τὸ συμβαλλόμενον πέμπει πρὸς ἀποικίαν.
Ὁ γοῦν Ῥωμύλος παρελθὼν ἐπί τινα πολίχνην.
Ὑπὸ τοῦ κτίστου Πάλλαντος Παλλάντινον κληθεῖσαν.
Τὸ σχῆμα τὸ τῆς πόλεως ἐκεῖσε διαγράφει.
Ἄρρενα ταῦρον κρατερὸν καὶ δάμαλιν συζεύξας,
Ὧν ὁ μὲν ταῦρος ἔνεμεν ἔξω πρὸς τὸ πεδίον.
Ἡ τούτῳ συζυγεῖσα δὲ δάμαλις πρὸς τὴν πόλιν.
Συμβολικῶς δ' ἐπηύχετο Ῥωμύλος διὰ τούτων,
Τοὺς ἄνδρας μὲν τοὺς ἔξωθεν γενέσθαι φρικαλέοις
Τὰς δὲ γυναῖκας ἔσωθεν γονίμοις χρηματίζειν.
Πιστὰς μὲν οὔσας οἰκουροὺς καὶ φύλακας τῶν ἔνδον,
Ἔπειτα πηλὸν * τῇ χειρὶ λαβόμενος τὸν ἔξω,
Ἔνδον ῥιπτεῖ τῆς πόλεως, εὐχόμενος ἐπαύξειν,
Τὰ πράγματα τῆς πόλεως ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων.
Καὶ ταῦτα διαθέμενος ἐν σάλπιγξι σημαίνει
Τὴν κλῆσιν τὴν τῆς πόλεως, καὶ Ῥώμην ὀνομάζει.
Καὶ πλῆθος συλλεξάμενος ἀπὸ τῆς περιχώρου,
Ἄνδρας, γυναῖκας, γέροντας, μείρακας, ἀφήβους
Ἔσω πολίτας τίθησι, καὶ κατοικίζει πάντας.
Καὶ πρῶτος οὗτος βασιλεὺς καθίσταται Ῥωμαίων.

DE
ORIGINE ROMANORVM
& Romulo conditore urbis,
EX
CONSTANTINI MANASSIS
CHRONOLOGICO POEMATE.

FED. MORELLVS,
Interpres Reg. Senariis Latinis expressit.

IVlus Æneæ satu magni editus
Ex filia Priami Creüsa Asiæ ducis,
Munivit Albam Dardani cum posteris,
Regnavit in qua Amulius post impius.
Cum sceptra fratri Numitori justa rapuit,
Qui ætate major, moribus melior fuit.
Hujus genus cum exterminare percupit:
Natum neci dedit, puellam at integræ
Vestæ sacerdotem dicavit perpetim.
Has mos sacerdotes manere virgines
Castas, pudicas, nuptiisque liberas.
Hanc Martis ad Lucum profectam quis semel
Observat, insidiisque virginem appetit,
Vitiatque, gravidamque efficit: quod Patruo
Cum cognitum est Regi superbo Amulio,
Servavit illam sedulo, ad partus diem,
Lucina quem præscripsit: ut fœtum edidit,
Geminosque natos peperit, iterum includitur
Arcte à Tyranno, qui recens natos neci
Addixit, & jaci in fluentum mox jubet.
Projecta soboles in scapha est miserabilis:
Hic dia providentia clara extitit:
Tua est Deus vis efficax, manus potens:
Subvertitur Cymba, & labascunt pumili,
Ac vagientes, obliti cœno jacent.
Enixa tum recens lupa aliunde excita,
Distenta lacte quæ gerebat ubera,
Admovit oribus gemellorum hispidis,
Linguaque sordes comiter lambit cutis:
Contaminati nam luto vultus erant.
Pastor animadvertit facinus: inde erutos
Ad conjugem abducit gemellos: quam anxiam
Mœrore nactus, fœtum inertem ob editum,
Solatur istis, quos dedit, proprios velut
Huic nutriendos. aluit affectu hæc pari
Ac mater, etiam facta, præter spem, parens
Simul duorum, ne unius quidem antea.
Sunt qui lupam altricem utriusque pernegant,
Sed Faustuli pastoris istam conjugem,
Quod corporis faceret sui aliis copiam,
Linguæ Latinæ more vocitatam lupam,
Hoc est Meretricem: ambigua nam dictio
Est Ausonia, quæ belluam & scortum notat.
Qui nesciebant fœminæ luxum malæ
Pusis lupam admovisse finxere ubera.
Cum lacte ali ambo desiere, & crescere
Mirum in modum cœpere, Romulus & Remus,
Egere vitam Rusticorum ingloriam:
Numitoris ignorantia ædibus erutis,
Quem dixi Avum maternum eorum, sic ferunt.
Prædæ incubantes, deprehensi actique sunt
Ad avum suum: agnoscuntur, & novere eum:
Amulium Albanæ fugant hinc regimine,
Et ense confodiunt inermem atque obvium,
Avoque matris sceptra restituunt suæ.
Dat copiam immensam his opum Numitor probus
Mittitque cum valida manu ad Coloniam.

Perve-

Pervenit inde Romulus locum ad oppidi
Pallantium dicti suo à ductore, qui
Pallas vocabatur, situm designat hic:
Vrbisque formam mente mox delineat,
Iunctis juvenco cum juvenca protinus,
Taurus quidem pascebat ad campi sata,
Iuvenca verterat se ad urbis pascua;
His ominatus Romulus signis erat,
Fore ut viri terrore clari essent foris,
Et prole fœcunda futuras fœminas,
Domumque custodes fideles & catas.
Is postea arrepto luto, hoc extrinsecus
Projicit intra Civitatem, ut cresceret
Respublica orans ab alienis commodis.
His constitutis ita, tubæ sonitu oppido
Imponit altum nomen, & Romam vocat:
Et congregavit cœtum ab accolis locis,
Iuvenes, puellas, virgines, viros, senes;
Hic Civitatis jus dat, ædesque omnibus,
Ac primus hic Rex Sceptra Romæ stabilit.

CAP. II.

De forma & magnitudine urbis Romæ.

PErmissa Numitori Albana re, ut jam dictum est, Romulus & Remus condiderunt urbem Romam, quæ postea *Septicollis* dicta fuit: quod septem montes muris suis complexa sit. Non autem initio tam capax ea fuit. Romulus enim primum eam quadratam condidit in monte Palatino, atque pomœrio clausit. Ne autem qua vis externa Vrbem adoriri posset, atque finitimi colles, hostium aliquando arces essent, ex quibus Romam vexarent; non quod iis locis indigeret, *Capitolium* primo, mox *Quirinalem* & *Cælium* colles, qui erant urbi viciniores, & ex quibus Vrbs ipsa magis oppugnari poterat, fossa, sive aggere, aut muro firmavit, præsidioque locato tanquam arces munivit: cum nihilominus extra Vrbis ipsius mœnia pomœriumque essent. Paulo post Titus Tatius, Sabinorum Rex, cum à Romulo in prælio victus & in urbem receptus esset, veteris Vrbis Pomœrio *Tarpeium* montem adjunxit; eumque Sabinis, qui secum Romam commigraverant, habitandum dedit, quem & ipse habitavit. *Quirinalem* quoque montem, addita custodia, firmavit: non tamen Vrbis pomœrio inclusit.

Romulo sublato, Numa Pompilius II. Rex teste *Dionys. collem Quirinalem*, qui à Tito Tatio custodia tantum firmatus erat, Vrbis circuitu inclusit, & Pomœrium protulit. Neque vero hac Vrbis capacitate reliqui Reges contenti fuerunt: quin nullus fuit, qui non Pomœrium protulerit, & montem aliquem vel collem Vrbi addendo, eam capaciorem fecerit. Tullus enim Hostilius, Hosti F. Rex III. *Alba longa* diruta, Albanisque in Vrbem receptis, *montem Cælium* Pomœrio addidit, eumque Albanis colendum assignavit. Quem tamen montem Ancum Martium IV. Regem Pomœrio inclusisse Strabo, vel L. Tarquinium Priscum, Tacitus produnt. Post hunc Ancus Martius, Numæ F. Rex IV. Politorio, Latinorum Vrbe excisa, Latinis, in Vrbem adscitis, *montem Aventinum* habitandum concessit, quem tamen ut ominosum, Vrbis Pomœrio non inclusit. Idem autem Rex fossas circum Vrbem fecit, quæ *Quiritium* appellatæ sunt, & *Ianiculum*, quem, facto super Tiberim ponte sublicio, muro cinxerat, Vrbi addidit. Secutus eum L. Tarquinius, Damarati F. Priscus, Rex V. Vrbis muros ruderibus, vilibusque structuris ad eam diem ædificatos, primus cœpit saxis magnis, *Albano*, *Tiburtino*, & *Prænestino* ad regulam formatis extruere, quos Servius Tullius Rex VI. perfecit. De hoc enim rerum Romanarum Scriptores tradunt, quod *Esquilias*, *Quirinalem* & *Viminalem*, montes, Vrbis Pomœrio addiderit, & Romam aggere, fossis & muro lapideo circumdederit. Tandem L. Tarquinius L. F. Superbus, Rex VII. immenso ab Oriente aggere addito, Vrbem tutiorem fecit. Et ad hunc quidem modum septem illi Reges Vrbem amplificasse, à veteribus Scriptoribus traduntur: quanquam de nonnullis inter eos non conveniat. Libertate populi constituta, produntur L. Cornelius L. F. P. N. Sulla Felix Dictator, C. Julius C. F. C. N. Cæsar, & Imperator Cæsar, Divi F. C. N. Augustus, Vrbis ambitum adauxisse, Vrbisque Pomœrium protulisse: quo vero modo, aut quo loco Vrbi addito, non exprimitur. Inter Imperatores Tiberius Claudius, Drusi F. Cæsar Augustus *Aventino monte*, L. Domitius Aurelianus, Cæsar Augustus, *Campo Martio* Pomœrio inclusis: Flavius Constantinus Maximus, Augustus, *Castro prætorio* exciso, Vrbis ambitum ampliorem fecerunt. Hæc omnia prolixe & diligenter adductis plurimis veterum Scriptorum testimoniis, persequuntur Georgius Fabricius in sua Roma, & Onuphrius Panvinius libr. I. Commentariorum Reipublicæ Romanæ: unde pleniorem ejus rei cognitionem, qui his contentus non est, petere potest. Nos vero, his præmissis ad reliqua accedemus: & cum mentio Pomœrii, ejusque prolationis facta sæpe fuerit, de eo nunc quædam dicemus.

AD CAP. II. PARALIPOMENA.

Septem Romæ colles.

PRæter Historicos, eleganter Aurel. Prudent. Romano Martyre septicollem appellat.

Divum favore cum puer Mavortius
Fundaret arcem septicollem Romulus.

In sacrum septimontium. Inter ferias Romanas lego, C. Sueton. Domitiano cap. 4. & interpretes, & dicam infra lib. 4. cap. 16. interim in tyronum gratiam, quorum in manus hoc opus damus, adscribam aliquot Poëtarum celebrium loca, qui septem Romæ montium meminerunt. Claudianus meus de statu ejus urbis sub Honorio Aug. de 6. consul.

Erexit subitas turres, cinctosque coëgit
Septem continuo montes juvenescere muro.

Idem

Idem paneg. de conſul. Olyb. & Prob.

——— *Colleſque canoris*
Plauſibus impulſi ſeptena voce reſultant.

Corrigendus idem in Feſcenino de nuptiis Honorii & Mariæ:

Epuliſque jam repleto ———
——— *Reſonet Quirine Tibris,*
Dominique læta votis
Aurea ſeptemgeminas
Roma coronet arces.

Vbi τὸ Quirine gloſſema eſt, legendum enim ex M S. meo Codice, quem vir literarum bono natus Iacobus Bongarſius regis ad Germaniæ principes legatus dono dedit.

Epuliſque jam repleto
Reſonet Quirite Tibris:

Intelligit enim feſtam populi voluptatem exhibita nuptiali ſportula. Q. Symmach. lib. 4. epiſt. 14. *honor ſportulæ ſuſcipiendæ.* C. Plin. Iunior lib. 10. epiſt. 117. *Qui virilem togam ſumunt, vel nuptias faciunt, vel ineunt magiſtratum, vel opus publicum dedicant, ſolent totam bulen, atque etiam è plebe non exiguum numerum vocare, binoſque denarios vel ſingulos dare.* Traianus deinde ſequenti epiſtola interpretatur *ſolemnes ſportulas.* L. Apul. Apolog. 2. *placuerat in ſuburbana villa potius ut conjungeretur, ne cives denuo ad ſportulas convolarent.* Hoc illud eſt quod *congiarium* vocari ſolet, L. Seneca lib. 2. de Benef. cap. 16. & lib. 4. cap. 28. Artemid. lib. 2. cap. 31. ἢ δεῖπνα τινὰ ποιεῖν ἢ ἐπιδόσεις διδόναι. *cœnas quaſdam facere, ac congiaria largiri. lineam divitem* nominat Martialis lib. 8. epigr. 78. dicam alibi. Claudian. de 6. conſul. Honorii.

——— *Cum prælarga vocavit*
Ditandas ad dona tribus.

Tenuiorum hæc expectatio, vet. Scholiaſt. Iuvenal. ad v. 119. Sat. 1. nam ſenatores & equites menſis ſtratis accipiebantur. P. Statius lib. 5. ſilv. 2.

——— *Romuleos proceres, trabeataque Cæſar*
Agmina, mille ſimul juſſit diſcumbere menſis.

Notiſſimum quoque plebem aliquando ad cœnam invitatam, quæ *recta* dicebatur, notarunt viri docti, M. Martial. lib. 8. epigr. 50.

Promiſſa eſt nobis ſportula, recta data eſt.

Aſſerendus idem Claudianus meus eodem panegyrico.

Conſenſuque cavæ ſublatus in æthera vallis
Plebis adoratæ reboat fragor, unaque totis
Intonat Auguſtum ſeptenis arcibus Echo.

Sic hactenus in excuſis libris & manuſcriptis legebatur: Iulius tamen Bulengerus lib. 1. de Theatro cap. 51. legit, & interpungit.

Conſenſu caveæ ſublatus in æthera clamor,
Plebis adoratæ reboat fragor.

A cujus ego ſententia, in hoc, licet in aliis conſenſurus, diſcedo: nihil enim mutandum cenſeo, cum poëtæ ſit mens, crebros populi abblandientis plauſus, ab oppoſita valle reddi majores, & referri; id autem per *cavam vallem* optime expreſſum, C. Plin. lib. 2. cap. 44. *Concavi vallium ſinus ſcindunt inæqualiter inde reſultantem aëra, quæ cauſa voces multis in locis reciprocas facit.* & paria invenies apud eundem lib. 36. cap. 15. Lucan. lib. 4. Pharſal. v. 159.

Valle cava media.

Et eodem libro poſt.

Cava regni vires in valle retentat.

Ipſe Claudian. lib. 2. de laudib. Stilic.

——— *Quoties vallis tibi Martia ducet*
Nomen Aventino Pallantæoque receſſu.

Vt omittam *caveam* in Amphitheatro eſſe. Aurel. Caſſiodor. lib. 4. epiſt. ſi, cum Claudian. de Circenſibus, non vero de Amphitheatralibus agat ludis; nam paulo ante *regia Circi,* in circo autem vallem fuiſſe, præter topographos Ovidius indicat lib. 2. Faſtor.

Quaque jacent valles maxime Circe tua.

Sed ad ſeptimontium revertamur. Stat. lib. 1. ſilv. 2. *ſeptemgeminæ mœnia Romæ* appellat, & ſilv. 5. v. 24. *ſeptena culmina,* & lib. 2. ſilv. ult.

Sed ſeptem juga, Martiumque Tibrim.

Et lib. 4. ſilv. 3.

Septem montibus admovere Baias.

Propert. lib. 3. eleg. 10.

Septem urbs alta jugis, quæ toti præſidet orbi.

Silius Italic. lib. 19. Funicor.

——— *Septemque arces fumare videntur.*

FORMA VRBIS CONDITÆ.

Circularis prima Romæ forma. M. Porcius Cato in originibus, *Palatium, in quo quadratam Romam condidit Romulus.* Iul. Solin. polyhiſt. cap. 2. *dictaque eſt primum Roma quadrata, quod ad æquilibrium foret poſita,* præter Halicarnaſſæum lib. 1. in limine, Plutarchum in Romulo, Q. Ennius;

Et quis nunc curat Romæ regnare quadratæ.

Scio aliter legere hunc verſum Feſtum lib. 15. in voce *quadrata,* quanquam non ſine mendi ſuſpicione.

DE NOMINE VRBIS, ET SIGNIFICATIONE.

In edito itaque colle urbs locata, quia is ritus ſolennis eo ſæculo; cum *ut hoſtibus, ſi forte invaderent, difficilior foret acceſſus;* tum *quod gentiles aliud diluvium metuebant,* & ob id in altiſſimis montibus, quo tutiores ab aquarum illuvie eſſent, habitabant. Pier. Valerian. hieroglyph. lib. 42. forma autem urbium antiquarum rotunda fuit, ut jure Grammatici *urbem,* ab *orbe* deſumant, Iſidor. lib. 15. cap. 2.

Porro *urbs* apud Romanos ſcriptores pro quolibet conventu, ut apud Græcos, uſurpatur, Ephorus lib. 5. δούλων πόλις, *ſervorum urbs,* & *Dulopolis* in Creta, Soſicrates rerum Creticarum lib. 1. & *Poneropolis* in Thracia, *Improborum urbs,* à Philippo condita, collocatis 2000. iis qui ob improbitatem male audiebant, calumniatoribus, falſis teſtibus, & cauſidicis, Theopompus lib. 13. rerum Philippicar. Suid. in voce δούλων πόλις, quæ ſignificatio quia nova eſt, confirmanda fuerat. Themiſtocles ob id dicebat, urbes ei non deeſſe, cui triginta triremes ſuppeterent, idem Suidas in Adimanto, alludit ad Pythiæ reſponſum, quæ conſulta, præcepit, *muris ſe ligneis tuerentur,* Iuſtin. ex Trogo Pompeio lib. 2. Polyæn. lib. 1. ſtratagemat. & Herodot. lib. 7.

Τεῖχος τριτογενεῖ ξύλινον διδοῖ εὐρύοπα Ζεὺς
Μοῦνον ἀπόρθητον τελέθειν, τό σε τέκνα τ' ὀνήσει.

Id eſt:

Iupiter altitonans dat mœnia ſola Minervæ
Lignea, recta ut ſtare queat, natoſque tueri.

Claudian. de conſul. Malii Theodori:

Obruit Eoas claſſes, urbeſque carinis
Vexat.

Proprie tamen urbs de Roma, ἄστυ de Athenis, πόλις de Alexandria. Hier. Magius Miſcell. lib. 4. cap. 6. & *ſola ædificia ſignificat,* ut definit Marcellus Grammaticus cap. 5. Num. 27. at interdum cives ejus nomine veniunt; nam Pompeius dicitur *Romam in Epirum tranſtuliſſe, quod meliorem civium partem eo traduxerat.* Plut. in eo, & fuſe narrat Dio lib. 41. pag. 159. Serv. Honorat. ad illud 2. Æneid.

Vrbem ſomno vinoque ſepultam.

Et ad illud lib. 8. Æneid.

Vrbem qui revehit nobis.

Vrbem pro civibus interpretatur IC. *l. cum ratio. ff. de bon. damnat.* M. Lucan. l. 5. *Veioſque habitante Camillo; Illic Roma fuit.*

VRBIS AMPLIFICATIO ET RESTAVRATIO.

Inclinato imperio, illuvieque barbararum gentium Hunnorum, Vandalorum, Gothorum Europam invadente, ipſamque Italiam populante, ſub Honorio principe Pomœrium urbis prolatum, reparataque mœnia, quæ vel tempore, vel magiſtratuum incuria corruerant, ut hiſtoricos omittam, pulcherrimum extat marmoris antiqui monimentum.

S. P. Q. R. Impp. Cæſſ. DD. NN. invictiſſimis principibus.
Honorio. &. Arcadio. victoribus. &. triumphatoribus. ſemper. Auguſtis. ob. inſtauratos. urbis. æternæ. muros. ac. turres. egeſtis. immenſis. ruderibus. ex. ſuggeſtione. V. C. & inluſtris..... militis. &. magiſtri. utriuſque. militiæ. Stilichonis. ad. perpetuitatem. nominis. eorum. ſimulachra. conſtituit.
Curante. Fl. Macrobio. Longiniano.

D. Paulin. Nolæ epiſcopus, in Natali D. Felicis:

——— *Fidant legionibus illi*
Perfugioque parent reparatis mœnia muris.

Claudian. de 6. Hon. Conſul.

——— *Addebant pulchrum nova mœnia vultum:*
Audito perfecta recens rumore Getarum,
Profecitque opifex decori timor, & vice mira,
Quam pax intulerat, bello diſcuſſa ſenectus:
Erexit ſubitas turres.

Atque paulo ante hanc reparationem pomœrii, vel tunc cum facta eſt, cœpit Roma appellari *urbs æterna,* ut ex inſcriptione iſta apparet. Ammian. Marcellin. lib. 14. *Orphitus præfecti poteſtate regebat urbem æternam.* Lib. 16. *Aliaque inter hæc decora urbis æternæ.* Lib. 19. *Difficultatem adventantis inopiæ frumentorum urbs verebatur æterna.* Lib. 28. *Sæviens per urbem æternam urebat cuncta Bellona.* Symmach. lib. 2. epiſt. 78. *Vt curulibus ſtabulis urbis æternæ etiam quina mancipia largiamur.* Auſon. præfat. ad Faſtos ſuos:

Ignota æternæ ne ſint tibi tempora Romæ.

Virgilianus ille Iupiter lib. 1. Æneid.

Imperium ſine fine dedi.

Sil. Italic. lib. 7.

Nulla regnis per ſæcula meta.

Alb. Tibull. lib. 2. eleg. 5.

Romulus æternæ nondum fundaverat urbis
Mœnia, conſorti non habitanda Remo.

Quem locum aliter legunt, ſed hanc lectionem probat Muretus, Ioſeph. Scaliger, *formaverat urbis mœnia.* Ego vero putem, *firmaverat,* quia firmata reſpublica latis legibus dicitur, quas tunc Romulum de ſacroſancto murorum jure poſuiſſe notum eſt.

Qui pulcherrima veriſſimaque urbis Romæ encomia deſideras, adi ad doctiſſimum Savaronem ad Sidonium Apollinarem lib. 1. epiſt. 6.

CAP. III.

De Pomœrio.

Pomœrium, quaſi poſt murum, ut autor eſt Varro, quia veteres *mœrum* pro murum dixerunt: vel ut Feſtus, quaſi *promurum,* id eſt, proximum muro dictum. Apud Agell. l. 13. c. 14. ſic definitur: *Pomœrium* (inquit ex Augurum libris) *eſt locus intra agrum effatum, per totius Vrbis circuitum, pone muros, regionibus certis determinatus, qui faciat finem urbani auſpicii,* &c. Ex quibus verbis intelligitur quid *Pomœrium* ſit; quod idem tamen clarius fit ex antiquo illo ritu, quem in condendis & circumſcribendis oppidis Veteres obſervarunt, qui à Terentio Varrone lib. 4. de Latina lingua, ita deſcribitur: *Oppida,* inquit, *condebant in Latio, Etruſco ritu multa,* id eſt, *junctis bobus, tauro & vacca interiore aratro circumagebant ſulcum: hoc faciebant religionis cauſa, die auſpicato, ut foſſa & muro eſſent munita. Terram unde exſcalpſerant, Foſſam vocabant: & introrſum factum, Murum. Poſtea quod fiebat orbis: Vrbs. Principium quod erat poſt murum, Pomœrium dictum: ejuſque ambitu auſpicia urbana finiuntur.* Hæc Varro. Cum quo conſentit Plutarch. in Romulo, ubi indicat, Romam etiam hoc ritu à Romulo conditam. Ejus verba, uberioris explicationis gratia, libet quoque adſcribere: ſunt autem hæc: *Romulus poſtquam Remum una cum nutriciis ſuis in Remonia ſepelivit, condidit Vrbem: ad quod accivit Hetruſcos, qui velut in myſteriis, ut quidque faciendum erat, ceremoniis quibuſdam, & ſcriptis præſcripſerunt, docueruntque. Comitio foſſa eſt rotunda circumducta. In eam primitias detulerunt omnium, quæ de more, ut bonis, natura utebantur, ut neceſſariis. Poſtremo, ex qua quiſque advenerat regione, ejus terræ portiunculam collatam, eo conjecerunt, & commiſcuerunt. Foſſam hanc eodem quo cœlum nomine vocaverunt Mundum. Hinc Vrbe, ſicut circulo, centrum circumſcripſere. Conditor aratro æream vomerem adjungit, junctiſque bobus, mare & fœmina, ipſe circum lineamenta profundum inducit ſulcum. Sequentium munus eſt, ut excitatas ab aratro glebas introvertant, nec ullam ſinant extra ferri. Ita mœnia linea definiunt, idque eliſis aliquot literis, Pomœrium dicitur, quaſi poſt, vel pone mœnia. Vbi portam deſignare viſum eſt, vomere exempto atque aratro ſublato ſpacium relinquunt. Vnde totum habent murum, præter portas, ſacrum. Nam eas ſi ducerent ſacras, religioſum eſſet, neceſſaria & impura in Vrbem recipere, & exportare.* Hactenus Plutarch. Quibus addi poſſunt & ea, quæ Dionyſ. lib. 1. eadem de re ſcribit, & Livius lib. 1. de Ser. Tullio loquens, ubi indicat, *Pomœrium locum fuiſſe, tam intra quam extra urbis murum, quem antiqui in condendis urbibus augurato conſecrarint, neque in eo ullum fieri ædificium paſſi fuerint.* Inde fit, ut quotieſcunque Roma amplior facta ſcribitur, *Pomœrium prolatum* eſſe dicatur: atque ita *proferre Pomœrium,* idem ſit, quod mœnia Vrbis ampliare. Ius autem proferendi Pomœrii, teſte Agellio, habebat is, qui populum Romanum agro de hoſtibus capto auxerat.

AD CAP. III. PARALIPOMENA.

Modus condendarum urbium delendarumque.

Conditor ante omnia augurio dabat operam, ut à religione exordium duceretur. Solin. Polyhiſt. c. 2. *auſpicato fundamenta murorum jecit.* M. Tull. lib. 1. de Divinat. *Principio hujus urbis parens Romulus, non ſolum auſpicato urbem condidiſſe, ſed etiam ipſe optimus augur fuiſſe traditur.* Serv. ad lib. 3. Æneid. 136.

Connubiis arviſque novis operata juventus.

Et ad verſ. 780. lib. 6. Æneid. videatur:

——— *Viden' ut geminæ ſtant vertice criſtæ.*

Aurel. Prudent. in Romano Martyre:

Quod Roma pollet, auspicato condita,
Iovi statori debet, & diis cæteris.

Q. Ennius apud Isidor. etymolog. lib. 15. c. 1.

——— *His nata auspiciis illa inclyta Roma.*

Idem apud Tullium lib. 1. de Divinat. de fratribus loquens:

Curantes cura cum magna concupientes,
Regni dant operam simul augurio, auspicioque,
Huic Remus auspicio se devovet.

Idem apud Varronem lib. 3. de Re Rust. c. 1.

Septingenti sunt paulo plus minus anni,
Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est.

Posterior versus etiam à C. Suetonio citatur in Augusto c. 7. Claudian. lib. de bello Gildon.

Si mea mansuris meruerunt mœnia nasci
Iupiter auspiciis, si stant immota Sibyllæ
Carmina.

Captato augurio, qui urbem novam (inquit M. Cato in fragmentis) *condebat, Tauro & Vacca arabat, ubi arasset murum faciebat, ubi portam volebat esse, aratrum tollebat, & portam vocabat.* Rationem habes ex Plutarcho problemat. Rom. c. 27. & alludunt Poëtæ, Sil. Italic. Punicor. lib. 13.

Hoc agreste Capys donum, cum mœnia sulco
Signaret, parvæ jam tum deceptus amore
Nutrierat.

Ovid. lib. 4. Fast.

Apta dies legitur, qua mœnia signet aratro,
Festa Palis suberant, inde movetur opus.

P. Maro lib. 5. Æneid.

——— *Vrbem designat aratro,*
Sortiturque domos.

Et lib. 7. Æneid.

——— *Ipse humili designat mœnia fossa,*
Moliturque locum.

Aratrum qui tenebat, laciniam togæ in humerum dextrum rejiciebat, seseque cingebat; vel quia is sacris operantium erat habitus, atque opus illud inter sacra numeratum; vel ut commodius stivam tenere posset: denique ut multitudinem civium togato, id est, pacifico habitu fovendam esse ostenderet, neque solum bellicis artibus civitates vigere, sed multo magis pace florere. M. Manilius lib. 4. Astronomic.

——— *Rituque Gabino*
Mœnia succinctus curvo describet aratro.

Aratrum dirigebat conditor ipse: *si vero mulier ponendæ urbis author fuisset, id muneris penes architectos relinquebatur.*

Serv. Maurus ad illud lib. 1. Æneid.

Instant ardentes Tyrii.

Boves duo tantum esse poterant, iique albi coloris, & sexus disparis; puto, ut numerosa soboles denotaretur, matrimoniique ratio haberetur, quod legitimum inter marem & fœminam respublicas tuetur & auget. Ovid. lib. 4. Fastor.

Ipse tenens stivam, designat mœnia sulco
Alba jugum niveo cum bove vacca tulit.

Exteriori aratri parti tauri, interiori vaccæ adjungebantur. Serv. ad illud 4. Æneid.

Cui littus arandum dedimus.

Modus ille non Romæ tantum, sed & coloniis oppidisque aliis observatus, *qua circumducta aratro*, (inquit Terent. Varro lib. 4. de ling. lat.) *ab orbe & urbe, in literis antiquis scribuntur urbes, quia ita ut Roma condita.*

Et quia *unum quodque eodem modo desinit & solvitur, quo cœperat*, ut loquitur Vlpian. IC. *l.* 30. *ff. de diversi. reg. Iur.* & Paulus IC. *l.* 295. *ff. eodem.* aratro circunducto ut condebantur urbes, ita evertebantur. Cæl. Rhodig. lib. 14. Antiquar. lect. cap. 5. & Modestin. IC. *l.* 21. *ff. quib. mod. ususfruct. amitt. Si ususfructus*, inquit, *civitati legetur, & aratrum in eo ducatur, ut passa est Carthago, civitas esse desinit, ideoque quasi morte cessat habere usum fructum.* Et sicut consul Romanus, aut prætor, aut Tribunus, consulari potestate, aut quilibet alius exercituum imperator, dum coloniam traduceret, aratro muros designabat, ita in civitate delenda, penes eundem idem juris erat. M. Lucan. lib. 7.

Sarmaticumque premet succinctus consul aratrum.

Q. Horat. lib. 1. od. 16.

——— *Vrbibus ultimæ*
Stetere causæ, cum perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.

Helenius Acron vetus & doctus grammaticus: *Hæc consuetudo fuit condendis atque evertendis urbibus, ut aratro fieret.* Alludunt poëtæ. Ovid. epist. heroid. 1.

Nunc seges est, ubi Troia fuit, resecandaque falce
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.

Et Virgil. lib. 3. Æneid.

Et campos ubi Troia fuit.

Hoc pacto deletæ civitates dicuntur *intermori.* Vet. Poëta apud Fabrum Santorian. lib. 1. semest. c. 9. ex Anthologia. Sic & *ægrotare & reviviscere urbes more hominum censentur.* Incerti nominis Poëta in eadem Anthologia lib. 1. c. 90.

Τὴν πόλιν οἱ νέκυες πρότερον ζῶσαν κατέλειψαν,
Ἡμεῖς δὲ ζῶντες τὴν πόλιν ἐκφέρομεν.

Civitatem hanc mortui prius viventem reliquerunt, nos vero viventes civitatem efferimus. Forte propter Genios seu deos tutelares qui præesse unicuique loco credebantur; quos stulta veterum superstitio vastatis mori, resurgentibus demum renasci existimabat. de quibus dicam infra lib. 2. c. 14. Claudian. epist. ad Serenum:

Quid non præstiterint scribentis voce Serenæ,
Vel Genius regni, vel pietatis amor?

Prudent. lib. 2. in Symmachum:

Aut fatum aut Genium, cujus moderamine regnet.

CAP. IV.

De Monte Palatino.

Dixi antea, Vrbem Romam *Septicollem* appellatam fuisse, quod septem colles, sive montes Pomœrio ejus inclusi fuerint; inter eos præcipuus fere est *Palatinus.* Hic mons alias *Palatium* dictus fuit; cujus nominis causæ variæ ab autoribus referuntur. Terentius Varro lib. 4. de Lingua Latina scribit: *Palatium dictum fuisse quod Palantes cum Evandro in illum locum venerint: aut, quod Palatini, qui & Aborigines, ex agro Reatino, qui appellatur Palatium ibi consederint:* & addit, alios à Palatia uxore Latini dictum eum montem tradidisse: alios vero à pecore balante, unde à Nævio *Balantium* sit appellatus: quod etiam Festus probat, in hæc verba scribens: *Palatium mons Romæ appellatus est, quod ibi pecus pascens balare consueverit: vel, quod palare, id est, errare ibi pecudes solerent:* & subjungit, *alios existimasse, Palatium dictum, quod Hyperborei filia Palanto ibi cohabitaverit, quæ ex Hercule Latinum peperit:* alios, quod Pallas Hercule & Dyna Evandri filia procreatus, ibi sepultus sit, quod & Dionys. ex Polyb. recitat. Solin. c. 11. scribit, quosdam autores esse, *Palatium* à Pale Dea pastorali nomen adeptum. Nos in tanta Scriptorum dissensione, quid sequamur ignorantes, unicuique liberum judicium relinquimus,

mus, ut ex his, quam velit, sententiam amplectatur. Hoc certe constat, Romulum hunc montem primum omnium muro cinxisse, & in eo Romam quadratam condidisse, quæ postea additis semper aliis & aliis montibus, & collibus, & Pomœrio prolato ampliata fuit. Causas autem ejus rei, propter quas Romulus hunc montem, & non alium voluerit primum muro cingere, & in eum Coloniam suam ducere, Dionys. refert duas præcipuas fuisse: primam, loci fortunam, quæ fratribus expositis incolumitatem & educationem præbuerat; alteram deinde causam accessisse auspicium, quod duodecim vultures Romulo imperium addixerant. Vix alius locus scriptis ita celebratus fuit, atque hic mons. Primum enim à Romulo, deinde à Tullo Hostilio est habitatus: fuitque in hoc monte sedes Imperii Romani, & domus Augustana. Ab Octavio enim Augusto deinceps omnes Romani Imperatores in *Palatio* habitaverunt. Et quia Imperii sedes in eo constituta fuit, cujusvis Principis aulam aut splendidi hominis domum, *Palatium* dicimus. Quæ vero templa, aut alia celebria ædificia in hoc monte fuerint, manifestum fiet ex quatuordecim illis Vrbis Romæ regionibus, quæ ex Onuphrio jam recitabuntur, regione decima. Habet ad Ortum *Suburam* & *Cœlium:* ad Occasum *forum Romanum & Capitolium:* ad Meridiem *Circum maximum & Aventinum:* ad Septentrionem *viam Sacram & templum Pacis.* Hodie suffossionibus & subterraneis specubus totus est quasi pensilis, & aut ruinis deformis, aut hortis occupatus.

AD CAP. IV. PARALIPOMENA.

Palatium aula principum, & ejus cura.

De Palatii nomine Suid. à capite hominis recenter occisi dum locarentur fundamenta, ibi reperto, quod apud nullum alium, quod sciam, & de splendore, dignitate, antiquitate eleganter & diligenter, ut solet Dio lib. 53. Καλεῖται δὲ τὰ βασίλεια παλάτιον, οὐχ ὅτι καὶ ἔδοξέ ποτε οὕτως αὐτὰ ὀνομάζεσθαι, ἀλλ' ὅτι ἐν τε τῷ παλατίῳ ὁ Καῖσαρ ᾤκει, καὶ ἐκεῖ τὸ στρατήγιον εἶχε, καί τινα καὶ πρὸς τὴν τοῦ Ῥωμύλου προενοίκησιν φήμην ἡ οἰκία αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ παντὸς ὄρους ἔλαβε. *Imperatoris autem ædes palatium nominantur, non quod ita aliquando decretum sit, sed quod in palatio Cæsar habitabat, ibique Prætorium ejus erat, ac nonnihil domus ejus, ab eo toto monte propterea, quod ibi quondam Romulus habitarat, splendoris accepit.* Claudian. de 6. Hon. consul.

Ecce Palatino crevit reverentia monti,
Exultatque habitante Deo.

Subdit Dio: Καὶ διὰ τοῦτο κἂν ἄλλοθί που ὁ αὐτοκράτωρ καταλύῃ, τὴν τοῦ παλατίου ἐπίκλησιν ἡ καταγωγὴ αὐτοῦ ἴσχει. *Ideoque etsi alibi imperator domicilium suum habeat, tamen id quoque palatii nomen obtinet.* Paria etiam Claudian. eodem loco, ubi sic Roma Honorium principem alloquitur:

Cur mea quæ cunctis tribuere palatia nomen
Neglecto squallent senio, nec creditor orbis
Illic posse regi?

Ædes Romuli *palatium* dictum vult vet. Scholiast. Iuvenal. ad Sat. 6. vers. 527.

Sunt, qui contendant non ultra Valentiniani tempora in splendore suo remansisse, quorum error ex eo refellitur, quod Maximus Valentiniani successor *palatinis inclusus limitibus* dicatur à Sidonio Apollinare lib. 2. epist. 13. & Cassiodor. in Chron. *Hermenerico & Basilico coss. Ricimeris fraude, ut dicitur, Severus Romæ in palatio interemptus est.* Hic conventus agebatur procerum seris temporibus, de eligendo Imperii successore. Corrip. de laudib. Aug. Iustini minor. lib. 1. n. 17. Vbi etiam liquet Senatu ibi habito de honoribus defuncto decernendis deliberatum.

Castigatque moras, & plena palatia narrat
Conventu procerum, fortis senioris adempti,
Dilecti numen struerent quo nocte peracta.

Atque hic excubiæ stationariorum & legionariorum militum. Idem lib. 1. n. 12.

Excubiæ primum, quæ summa palatia servant,
Imperium felix Dominis intrantibus optant,
Et cunctos aditus armato milite vallant.

Huic præerat vir summæ apud Imperatorem authoritatis, præsertim translato Constantinopolim Imperio: nam in officiis aulæ Byzantinæ mentio est, τοῦ προκαθημένου τῶν μεγάλων παλατίων, *Præfecti aut præsidis magnorum palatiorum.* Curopalates libello de offic. Constantin. pag. 47. eumque vocabant *Curam palatii.* Ammian. lib. 14. *iisdem diebus Apollinaris Domitiani gener, paulo ante agens palatii Cæsaris curam.* ejus munus erat, ut *virga aurea decoratus, inter obsequia numerosa ante pedes regios primus incederet.* Aurel. Cassiodor. l. 7. epist. 5. Sidon. Apollin. carm. 23.

Intra aulam soceri mei expetitus
Curam cum moderatus es Palatii.

Corrip. African. lib. 1. num. 8.

Cum magni regeres divina palatia patris,
Par extans curis, solo diademate dispar,
Ordine pro rerum vocitatus cura palatî,
Dispositu nam Cæsar eras, cum sceptra teneret
Fortis adhuc senior.

Idem lib. 2. num. 7.

Dispositorque novus sacræ Baduarius aulæ,
Successor soceri, factus mox cura palatî.

Honorius etiam Aug. meminit curæ Palatii l. 7. C. de comit. & trib. scholar. l. 12. licet in editionibus nonnullis sit *non cura palatii*, sed *curator.* & lib. 6. tit. 13. C. Theodos. lex est unica eodem titulo. at quem hi *curam palatii* appellant, alii *Curopalatem*, quæ vox serius invecta est. Paul. Diac. lib. 16. in rebus Iustiniani, *efficitur ei hujusmodi successor, Iustinus Curopalates.* Georg. Cedren. & Ioan. Zonaras tom. 3. in vita Iustini, in Leonis Isauri, à quo Arthabasdus eum honorem accepit, & Stauratii κουροπαλάτην appellat, ipse Curopalates, seu ut alii volunt, Georg. Codin. lib. de offic. Constant. pag. 13. & pag. 31. καὶ τὰ τοῦ Κουροπαλάτου ὅμοια τοῖς τοῦ πιγκέρνη, καὶ ἄνευ δικανικίου, *& Curopalatæ similia quoque vestimentis pincernæ, ac sine judiciali sceptro.* Vnde pene adducor, ut apud Corripum legi putem præsertim illo ævo:

Ordine pro rerum vocitatus Curopalates.

Et pari ratione:

Successor soceri factus mox Curopalates.

Antiqui Galli similem magistratum habebant, cui regiæ aulæ cura demandabatur, quem *majorem domus* notant dici apud Eginhartum in vita Caroli magni, & Vincent. Lupan. lib. de magistrat. Gallic.

CAP. V.

De Capitolino monte.

Tribus hic mons insignitus nominibus est, *Capitolii*, *montis Tarpeii*, & *Saturni*. *Saturnius* dictus fuit à Saturno, qui antiquis temporibus illum locum tenuisse dicitur, & in cujus tutela adhuc esse existimatur: Terentius Varro, Dionysius, Festus: unde etiam *Saturnia terra* ab eo dicta fuit Italia. *Tarpeii* appellationem accepit à virgine Vestali *Tarpeia*, quæ ibi armis à Sabinis necata & sepulta est. Historiam eam recitant præter jam dictos Scriptores, etiam Livius lib. 1. & Propert. lib. 4. *Capitolium* idem mons dictus fuit, quod in eo cum fundamenta foderentur ædis Iovis, caput humanum inventum fuerit, testibus iisdem & Plutarcho. Theodor. Canter. lib. 1. Variar. lect. cap. 11. ex Arnobio demonstrat, montem hunc sic appellatum à capite Toli invento, qui in monte Capitolino fuerit sepultus. Verba Arnobii ex libr. 6. contra Gentes, quæ à Theodoro citantur, nolo addere. Celeberrimus autem hic mons fuit, cum propter alia multa, tum propter amplissimum templum Iovis Capitolini, quod in hoc à Tarquinio Prisco rege inchoatum, & à Tarquinio Superbo exædificatum est: de quo suo loco. Habet ad *Ortum* forum & montem Palatinum: ad *Occasum* Vrbem planam: ad *Aquilonem* Traiani forum, & Quirinalem: ad *Meridiem* Aventinum, Tiberim & Theatrum Marcelli, &c. Hunc collem cum Palatino IIX. Vrbis regionem Augustus fecit.

IN CAP. V. PARALIPOMENA.

De Capitolio.

Limina ærea ex multatitia pecunia T. Liv. Dec. 1. l. 1. ipsum vero Capitolium Quadrato saxo structum eo anno, quo in Hetruriam missus exercitus Romanus, Cartuosam & Contenebram urbes expugnavit diripuitque, produnt historici: quod evenit tertio anno post creatos Tribunos militares consulari potestate, Cuspinian. in fastos Cassiodori: qui à Numa vult Capitolium à fundamentis exstructum, contra aliorum sententiam, qui à Tarquinio Prisco quinto rege inchoatum, à Tarquinio Superbo absolutum, ab Horatio Pulvillo dedicatum unanimi consensu tradunt Flor. lib. 1. cap. 7. L. Sen. ad Marciam cap. 13. sed nullum monumentum crebriores passum mutationes, quippe motis inter Syllam & Marium armis civilibus Capitolium incensum fuit, C. Plin. lib. 13. cap. 13. coss. Scipione & Norbano id evenit post ejus dedicationem annis quadringentis viginti quatuor, ut ex serie consulum è Fast. Capitolin. colligere est manifestum: potitus autem victoria L. Sylla restaurate illud unice intendit; sed illo extincto Q. Catulus reparavit, rursusque dedicavit. Plin. lib. 19. cap. 1. Suet. Cæs. c. 15. Deinde interjectis annis centum triginta sex sæviente bellorum civilium rabie à Vitellianis incensum ustumque, ut narrat Dio lib. 65. in fine. Vespasianus restauravit: *Ruderibusque purgandis manus primus admovit, ac suo collo quadam extulit, arearumque tabularum tria millia, quæ simul conflagraverant, restituenda suscepit*, ut loquitur C. Suetonius in eo cap. 8. D. Auson. in Vrbib. de Narbona:

Tantæ molis erat, quantam non sperneret olim
Tarquinius, Catulusque iterum, postremus & ille
Aurea qui statuit Capitoli culmina Cæsar.

Aurea autem propter regulas aureas bracteasque quibus ornabatur. L. Seneca lib. 1. controvers. 6. *fastigiatis supra tectis auro puro fulgens prælucet Capitolium.*

Sidonius Apollinar. carm. 5.

Et regum aspicient Capitolia sulva catenas.

Prudent. l. 2. contra Symmachum:

——— *tecta aurea flammis*
Solvere, mastrucis proceres vestire togatos.

In Capitolio solemne jusjurandum concipiebatur. Plin. lib. 2. cap. 7. *Alii in ipso Capitolio fallunt, ac fulminantem pejerant Iovem*, & Iupiter Capitolinus in perjuros telo trisulco erat armatus. Turneb. l. 22. cap. 4. Sic accipio illud Propertii l. 4. eleg. 1.

Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat,
Et stabant humiles in Iovis arce casa.

Idque præsertim cum adigendi in acta principum cives Kalendis Ianuariis. Vnde Tacitus lib. 16. Annal. fine, *vitare solemne jusjurandum principio anni*, dixit Gunther. l. 1. Ligurini.

Mox ubi rite suam proceres juramine sacro
Astrinxere fidem, cunctis, quæ postulat ordo
Expletis.

Solemnia etiam vota in Capitolio concipiebantur. Florens Tertullian. de corona: *Annua votorum nuncupatio quid videtur, prima in principiis, secunda in Capitoliis, accipe post loca & verba, hunc tibi Iupiter bovem cornibus auro decoratis vovemus esse futurum*, corrigendum necessario est, *esse facturum*. Nam *facere* idem ac *sacrificare* esse, pueri Grammaticorum non ignorant. C. Sueton. Ner. cap. 46. *Votorum nuncupatione, magna jam ordinum frequentia vix repertæ Capitolii claves.* Tactum autem fulmine Capitolium inter prodigia recensebatur, ut ex Livio infinitis pene locis, & Iulio Obsequente in prodigiis liquet. M. Cicero l. 1. de Divinat.

Nam pater altitonans stellanti nixus olympo,
Ipse suos quondam tumulos ac templa petivit,
Et Capitolinis injecit sedibus ignes.

Ovid. l. 3. Amor. eleg. 3.

Iupiter igne suo lucos jaculatur & arces,
Missaque perjuras tela ferire vetat.

Auctor consolat. ad Liviam:

Iupiter ante dedit sati mala signa cruenti,
Flammigera petiit cum tria templa manu.

Tria templa sunt Iovis, Minervæ, & Iunonis; sequitur enim:

Iunonisque gravi nocte impa vidaque Minervæ
Sanctaque & immensi est Cæsaris ilcta manus.

Res nota ex Criticis, Historicis, Poëtis.

D. Auson. Tern.

Trina in Tarpeio fulgent consortia templo.

Neque tantum Romæ Capitolium erat, sed & in aliis urbibus, *Corinthi*, Pausan. *Corinthi* ac *Antiochiæ*, T. Liv. l. 1. Dec. 5. ut observat Lilius Gyraldus de diis gentilibus syntagm. 2. *Tolosæ*, Sidon. Apollin. l. 9. epist. 16. & doctissimus Savaro ibi, *Narbone*. Idem Sidon. carm. 23.

Salve, inquit, *Narbo nobilis*
Deliubris, Capitoliis, monetis.

Et Capuæ, Sil. Italic. l. 10. de Hannibale ingresso eam:

——— *Monstrant Capitolia celsa.*

Denique corrigendus Corripus l. 3. num. 3.

Tempore quo captis injecit vincla tyrannis
Iustinianus ovans, quarto cum consule princeps
Alta triumphali teret Capitolia pompa.

Legendum censui in editione mea:

Triumphali tereret Capitolia pompa.

Necessaria omnino correctio. Nam triumphantes Capitolium curru

curru ascendebant. Sueton. Cæsare cap. 37. M. Lucan. l. 8. de Pompeio triumphante:

——— *Nec ter Capitolia curru*
Invectus.

Idem lib. 9.

——— *Quam ter Capitolia curru*
Scandere.

Apollon. Collatius de excidio Hierosolymorum l. 2.

——— *Capitolia scandes*
Victor, & Augustam sedem, nomenque tenebis.

Claudian. de 6. Hon. consul.

Iamque parabantur pompæ simulachra futura
Tarpeio spectanda Iovi.

Et peracto triumpho in Iovis Capitolini templo convivium instaurabatur. Possidonius l. 2. historiarum, & ex eo Athen. l. 5. cap. ult. licet alii non in ipso Capitolio, sed in Capitolii porticibus epulas istas apparari solitas docuerunt, Ioan. Zonar. Annal. tom. 2. in Camilli triumpho, & notat Faber Sanjorianus l. 1. semestr. c. 6. nec desunt qui in templo Herculis exhibitum epulum triumphale velint, *quod is Deus totum orbem terrarum victor peragrasset.* Crinit. l. 24. de honesta disciplin. c. 5. Illud autem non omiserim, omnium deorum simulachra dearumque in Capitolio coli solita. T. Liv. dec. 1. l. 6. *Cæterique dii deæque qui Capitolium arcemque tenetis.* P. Victor in 8. reg. urbis, & Servius ad illud l. 2. Æneid. v. 319.

Pantbus Othryades arcis Phœbique sacerdos.

CAP. VI.

De Colle Quirinali.

Collis Quirinalis, ut author est Varro, à Curetibus dictus est, qui tum T. Tatio Curibus venerunt Romam, quod ibi habuerint castra. Festus ait, primum dictum hunc collem *Agona*, inquiens: *Quirinalis collis, qui nunc dicitur, olim Agon appellabatur, antequam in eum commigrarent Sabini, Curibus venientes, post fœdus inter Romulum & Tatium ictum, à quo hanc appellationem sortitus est: quamvis existiment quidam sic dictum fuisse, quod in eo factum sit templum Quirino.* Idem alibi: *Agona sacrificia, quæ fiebant in monte: hinc Romæ mons Quirinalis Agonius, & Collina porta Agonensis.* Quæ etiam confirmat Dionysius lib. 2. appellans hunc Collem Agonalem. Porro si quis verba Varronis diligenter consideraverit, inveniet ejusdem collis aliquot partes, sive colles particulares fuisse: quorum unus *Salutaris*, alter *Mutialis*, alter *Latiaris* sit vocitatus. Sub Imperatoribus autem *Caballum* hunc montem dictum fuisse, à duabus statuis marmoreis Alexandri Magni Regis Macedonum, equum Bucephalum domantis, quas Alexandria Constantinus Imperator Romam transtulerit, atque in medio thermarum à se in Quirinali extructarum collocaverit, annotat Onuphrius & Georg. Fabricius in sua Roma. Collis hic habet ab *Ortu* Esquilias & Viminalem: ab *Occasu* Vrbem planam & campum Martium: à *Meridie* Nervæ & Trajani fora, atque Capitolium: à *Septentrione* collem hortulorum, & portam Viminalem. In hoc colle fuit præcipua textæ regionis pars, quæ *Alta semita* dicebatur.

PARALIPOMENA.

De Quirinali monte & fano Quirini.

Antiquissimum hujus montis nomen loquitur fœdus inter reges Romulum & Tatium initum passim apud historicos. Nam facta inter utrumque populum concordia, non domos modo privatas, sed & ædes sacras diis erexerunt, præter Livium, Florum, Eutropium, & alios ab Onuphrio citatos in urbe Roma pag. 146. Ovid. l. 6. Fast. de Fidio Deo:

Hanc igitur veteres donarunt æde Sabini,
Inque Quirinali constituere jugo.

Sunt tamen alii, qui non à Curibus, oppido Sabinorum, aut ejus civibus eo translatis, *Quirinalem* montem dictum contendunt, sed à templo Quirini, id est, Romuli, ut dicam l. 2. cap. 18. infra: D. Auson. epist. 23. ad Paulinum:

——— *Quos sacra Quirini*
Purpura, & auratus trabea velavit amictus.

Et Pontius Paulin. ad Ausonium epist. 3. de toga prætexta:

Quæ tamen Augusta Latiaris in urbe Quirini
Cæsareas inter pari titulo palmatas
Fulget nativo longe venerabilis auro.

Cur nomen Romuli mutatum fuerit, causa certissima, quod in omni apotheosi nomina inter divos referendis mutare consueverit vetustas, & ob id cum Romulum ingratissimi patres discerpsissent in curia, honores divinos extincto decreverunt, fanumque erexerunt, cujus adyta ne sacerdotes quidem ipsi adire poterant.

Q. Horat. Epod. od. 13.

Quæque carent ventis & solibus, ossa Quirini
Nefas videre, dissipabit insolens.

Cui, ut omnibus aliis templis, aut certe plerisque, adjuncta erat porticus. M. Martial. l. 11. epigr. 1.

Vicini pete porticum Quirini.

Claudian. de bello Getico:

——— *procul arceat altus*
Iupiter, ut delubra Numæ, sedemque Quirini
Barbaries oculis saltem violare profanis
Possit, & arcanum tanti deprendere regni.

Nec unum modo Quirini fanum Romæ, sed plura. Nam notitia urbis in 10. Reg. collocat *templum Quirini prope Lupercal, ubi erat signum lupæ duobus pueris Romulo & Remo mammas præbentis*, & tamen in 7. reg. in eadem notitia *templum Quirini novum* statuitur, & puto illud esse, quod à Dione memoratur l. 54. πρὶν ἢ ἀφορμᾶσθαι τὸν Κυρίνου ναὸν καθίδρυσεν, ἐκ καινῆς οἰκοδομήσας. *Ante suum abitum templum Quirini de novo ædificatum dedicavit.*

P. Ovid. l. 3. Amor. eleg. 7.

Qua licet, affectes cœlum quoque, templa Quirinus,
Liber, & Alcides, & modo Cæsar, habent.

CAPVT VII.

De Monte Cœlio.

Montis Cœlii (quem primum Romulum munivisse, Pomœrio vero Tullum, ut Dionys. & Livius, vel Ancum, ut Strabo, vel Tarquinium, ut Tacitus scribunt, inclusisse) sic meminit Varro l. 4.

de lingua Latina: *In ſuburana regionis parte princeps eſt Cœlius mons, à Cœlio Vibenno Tuſco, duce nobili, qui cum ſua manu dicitur Romulo veniſſe auxilio contra Sabinum Regem.* Hactenus Varro, cum quo & Dionyſ. & Sext. Pompeius Feſtus conſentiunt: niſi quod Feſtus, non Cœlium illum Etruſcum ducem, ſed Cœlem dictum fuiſſe ſcribit. *Querquetulanum* etiam hunc montem appellatum docet Tacitus lib. 4. inquiens: *Haud fuerit abſurdum tradere montem eum* (de Cœlio loquitur) *antiquitus Querquetulanum cognomento fuiſſe, quod talis ſylvæ frequens, fœcunduſque erat, mox Cœlium appellatum à Cœle Vibenna, qui dux gentis Etruſcæ, cum auxilium appellatum ductaviſſet, ſedem eam acceperat à Tarquinio Priſco, ſeu quis alius Regum dedit:* nam in eo ſcriptores diſſentiunt. Habitaſſe autem eum montem Etruſcos, & deinde cum eum nimis muniiſſent, & in ſuſpicionem veniſſent, ab illo in planum locum deductos fuiſſe, qui ab iis *Tuſcus vicus* dictus ſit, tradit Varro, & breviter meminit Tacitus. Qui etiam cum Suetonio auctor eſt montem eum à Tiberio Imperatore, quod is poſt incendium habitatoribus ædificia conſumpta inſtauraſſet, *Auguſtum* dici cœptum eſſe. Habuit in hoc monte Regiam ſuam Tullus Hoſtilius, ut ſcribit Livius, quæ poſtea *Curia Hoſtilia* vocitata eſt. Hodie inſignis is mons in Vrbe habetur, *Baſilica Ioannis Lateranenſis*, de qua alii. Hic mons ab *Oriente* habet Vrbis mœnia, terminumque Eſquilinæ regionis, portam Eſquilinam & Amphitheatrum: ab *Occidente* Suburam & montem Palatinum: à *Septentrione* Carinas, Cœlium & Eſquilias: à *Meridie* Piſcinam publicam & Vallem, quæ eſt ante viam Appiam, quæ prope Septizonium Severi inchoans, verſus portam Capenam protenditur. In hunc montem ſecundam Vrbis regionem, *Cœlimontium* appellatam Aug. Cæſar poſuit.

AD CAP. VII. PARALIPOMENA.

De monte Cœlio abundantiſſime Onuphrius in urbe Roma pag. 26. & ſequentibus; Bartholom. Marlian. Topographiæ urbis Romæ lib. 4. cap. 18. Ovid. lib. 5. Faſt.

Cœlius accipiet pulverulentus equos.

Dicam infra lib. 6. cap. 2.

CAP. VIII.

De monte Eſquilino.

Eſquilinus mons quando urbi ſit additus, & Pomœrio incluſus, dictum ſupra eſt. Accepit autem nomen, ut plerique exiſtimant, ab *excubiis*, quas Romulus in illo monte habuit, cum Tito Tatio parum fideret, eumque infidæ ſocietatis ſuſpectum haberet, quaſi *Excubinus*, unde poſtea *Eſquilinus* factus eſt. Quam vocabuli etymologiam etiam Ovidius agnoſcit 3. Faſtorum. Alii vero non ab *excubiis*, ſed à *quiſquiliis* dictum eum montem *Eſquilias* arbitrantur, quod Aucupes ibi quiſquiliis ſparſis aves illuderent. Alii vero, quod *excultæ Eſquiliæ* à Rege Tatio in illo monte fuerint, ſic appellarunt: quæ omnia Terentius Varro libro quarto de lingua Latina indicat, & quædam etiam Sextus Pompeius Feſtus. Habuit autem hic mons aliquot colles, quorum unus *Ciſpius*, alter *Oppius*, *Septimius* alius dictus fuit, teſte Varrone loco eodem. Quomodo excultus hic mons, & quibus ædificiis exornatus fuerit, oſtendit quintæ regionis deſcriptio, paulo poſt ſecutura. Habet ab *Ortu* Vrbis muros, verſus aggerem & caſtrum Prætorium: à *Meridie* viam Lavicanam: ab *Occaſu* vallem inter Cœlium & Palatinum longe lateque patentem: à *Septentrione* Viminalem.

PARALIPOMENA.

De excubiis more Romano in urbe & in caſtris, & de monte Exquilino.

Cum ſcriptores ab *Excubiis* Exquilinum montem deſumant, quædam hoc loco de excubitoribus, excubiiſque dicenda, quanquam infra uberius lib. 10. cap. 13. prima itaque eorum inſtitutio à Paulo IC. petenda eſt, qui *l. 1. ff. de offic. præfect. vig. apud vetuſtiores*, inquit, *incendiis arcendis triumviri præerant, qui ab eo quod excubias agebant, nocturni dicti ſunt.* Virg. lib. 9. Æneid.

Vigilum excubiis obſidere portas.

Imago ejus rei extat apud C. Suetonium in Auguſto cap. 23. Vide Artemidor. Oneirocrit. cap. 62. lib. 3. & licet in initio, bono civitatis fovendo, ſtatuſque publici commodo, inſtitutæ fuerint excubiæ; ne videlicet *incendio publica urbis monumenta conſumerentur*: tamen mali principes miniſterio militum tyrannidem uſurpantes, ſuos ſatellites ſeu ſtipatores hoc nomine vocarunt: non modo in occidente, aut Romano imperio, ſed etiam in oriente, ſeu Byzantino imperio: nam ἡμεροβίγλιον, diurnæ vigiliæ apud Curopalatem lib. de offic. Conſtantinop. pag. 171. & recte; nam *vigiliæ nocturnæ, excubiæ diurnæ*, Iſidor. Hiſpal. lib. 3. etymol. cap. 3. ex Servio, ut ſolet multa alia tranſcribere ad v. 159. lib. 9. Æneid. Hinc Aurelio Caſſidioro lib. 11. epiſt. 19. *tyrannorum excubiæ.* Claudian. de 4. Hon. conſul.

Non ſic excubiæ, nec circumſtantia pila,
Quam tutatur amor.

Idque non apud Romanos modo Imperatores, ſed & Græcos, Xenophon Cyropæd. lib. 4. τοῦτο δ' ἴστε ἀμφότεροι, ὅτι τὰ μὲν ἔξω ὑμῖν ἡμεῖς νυκτοφυλακήσομεν. *Illud utrique ſcitote, nocturnas excubias non obituras vobis eſſe.* Idem lib. 7. expedit. Cyri νυκτοφυλάκων meminit pag. 400. vertit Leunclavius, *nocturnas excubias*, malim, *vigilias*, ſi fides Grammaticis nominatis adhibenda. Idem eodem lib. poſt νυκτοφύλακας καθιστάναι, καὶ σύνθημα παραδιδόναι. Vertit idem Leunclavius, *nocturnas excubias, & teſſeram dare*, & προφύλακας, *eos qui primas agunt excubias.* Idem eleganter dixit de expedit. Cyri lib. 2. pag. 270. eademque voce utitur lib. de magiſt. equitum, pag. 968. Corrip. lib. 1. num. 12.

Excubiæ primum, quæ ſumma palatia ſervant.

Et lib. 3. num. 4.

Ingens excubitus divina palatia ſervans.

Excubitores iſti noctu nolam pulſabant, cui neceſſe erat reſponderi, notavit Hadrianus Iunius; forte ducebantur.

L. Apul.

L. Apul. lib. 4. Mileſiar. *Latrones forte ducti noctu excubabant ſpeculandi gratia.* Sidon. Apollinar. lib. 8. epiſt. 6. *Si quid inter excubiales curas, utpote in caſtris ſaltem ſortito vacabis.* Valer. Flacc. Argonaut.

Excubias ſortita manus.

Vtque privatorum foribus janitores, ſervi oſtiarii, aut canes appoſiti; ita principum veſtibula, vigiles excubitoreſque inſedebant. Claudian. lib. 2. de laud. Stilich.

——— *Quæ veſtibulo foribuſque potentum*
Excubat.

Dico ad illud Claudiani lib. 3. de raptu:

Vt domus excubiis incuſtodita remotis.

Corrip. African. lib. 3. num. 4.

Ingens excubitus divina palatia ſervans.

Propertius lib. 4. eleg. 1. ad privatam matronarum cuſtodiam traduxit:

Non mille excubiæ, nec te ſignata juvabunt
Limina, perſuaſæ fallere rima ſat eſt.

Denique in ſacris Bonæ deæ erant excubiæ, ut ſuo dicetur loco, quod Græcorum inſtitutum fuiſſe notiſſimum, ejuſque rei author Anacharſis apud Herodotum Melpomene; ab hac mente Valer. Max. lib. 1. De Relig. neglecta, tit. 16. *in Iovis optimi maximi templo, eximia facie puerum hiſtrionem ad excubias tenendas poſuiſſet.* Valer. Flacc. Argonaut. lib. 3.

Linquit & undantes menſas, infectaque pernox
Sacra Medon.

De monte vulgaria omnia: ſcio alios non *Exquilinum*, ſed *Eſquilinum vocare.* M. Martial. lib. 7. epigr. 72. adi ad interpretes Horatii Epod. od. 5. Propert. lib. 3. eleg. 22.

Et dominum exquiliis ſcribe habitare tuum.

Et lib. 4. od. 8.

Diſce quod exquilias hac nocte fugarit aquoſas.

Editio Horatii Tuſcanellæ, & Ioſ. Scaligeri, *exquilias*, præfert: Achillis Tatii & Lugdunenſis, *eſquilias*, ut & Iuvenal. ſat. 5. v. 78.

CAP. IX.

De monte Viminali.

Viminalis mons, teſte Varrone Romanorum omnium doctiſſimo, à *Vimineo Iove*, quod ibi aræ ejus ſint, dictus eſt: vel quod ibi *vimineta*, vel *viminum ſylva* fuerit: quod idem & Sextus Pompeius affirmat, & Iuvenalis: cujus autem generis vimina illa fuerint, nemo prodit. Fuit etiam *Fagutalis* appellatus, à ſylva *fagea*, teſtibus iiſdem. Maxima ejus montis pars hodie inculta jacet, & vel hortos, vel vineta, vel populos, ſalices, & harundines habet. Hunc collem cum Eſquiliis quintam urbis regionem fecit Cæſar Auguſtus, quum ſpacium Vrbis in Vicos & quatuordecim regiones divideret: unde ex deſcriptione ejus regionis etiam hujus collis ædificia & ornamenta cognoſcentur. In *Ortum* tendens hic mons, habet campum Eſquilinum & Vrbis muros, cum caſtris Prætoriis; in *Occaſum* vero Quirinalem, falſam Suburam, & vallem planam interjectam: in *Meridiem* Eſquilias, viamque interpoſitam: à *Septentrione* Vrbis Muros verſus portam Viminalem.

AD CAP. IX. PARALIPOMENA.

Viminalem montem partem Exquilini facit M. Varro, alii diſtinguunt, legendi Bartholomæus Marlianus vir eruditus, & in antiquitate inveſtiganda diligens, lib. 5. Topograph. c. 19. & Onuphr. in urbe Roma, pag. 85. locus eſt elegans Strabonis Amaſiani Geograph. lib. 5. ἤλεγξε δὲ Σερούιος τὴν ἔκλειψιν, ἀνεπλήρωσε γὰρ προσθεὶς τόν τε Ἠσκυλῖνον λόφον, καὶ τὸν Οὐιμίναλον. *Quem defectum Servius arguit, qui complevit murum, adjectis urbi Eſquilino & Viminali collibus.* Sidon. Apollinar.

——— *Dictumque petunt à vimine collem.*

CAP. X.

De monte Aventino.

Aventinum montem multis de cauſis ſic appellatum, ſcribit Varro, videlicet, vel ab *Aventino* Rege Albano, quod ibi ſepultus fuerit: vel ab *adventu* hominum, quod ibi commune Latinorum Dianæ templum ſit conſtitutum: vel ab *avibus*, quæ ſeſe à Tiberi eo terrent; vel etiam ab *advectu*, quod cum olim mons ille paludibus à reliquis eſſet diſcluſus, ex Vrbe ratibus eo advecti homines eſſent: cui ſententiæ ipſe accedit. Quod ab *Aventino* Albanorum Rege hic mons *Aventinus* dictus ſit, docent etiam Sextus Pompeius Feſtus, Dionyſius Halicarnaſſæus, Livius & Ovidius. Meminit Varro in libris de Gente populi Romani, quoſdam ab *Avente* Sabinorum fluvio, montem illum *Aventinum* dictum fuiſſe, opinari; quod Sabinis in urbem ſuſceptis, Romulus eum habitandum conceſſerit. Quæ tamen opinio non videtur eſſe veriſimilis: cum & Virgilius, & Ovidius quodam in loco teſtentur, ante Evandri & Herculis in Italiam adventum, hunc montem id nominis habuiſſe. Fuerunt præterea & aliæ hujus montis appellationes: nam *Murcius* dictus eſt teſte Sexto Pompeio Feſto, à ſacello *Deæ Murciæ*, quod ſub eo monte fuit. Item collis Dianæ, à templo ejus Deæ, quod in hoc monte extitit. Et celebris fuit *Aventinus*. Aventini & T. Tatii Regum, ac Remi ſepulchris: ſeceſſione etiam plebis Romanæ in eum montem facta. Sed & hoc obſervandum de eo eſt, quod Romulus neminem eum habitare paſſus fuerit, ſed ſacrum fratri eſſe voluerit. Ideoque cum reliqui colles, de quibus hactenus dictum, urbis Pomœrio à Regibus incluſi fuiſſent, hoc tamen de *Aventino* non legitur. Sed is tandem à Tiberio Claudio Imperatore Auguſto Vrbi additus legitur. Cujus quidem rei Meſſala apud Agellium lib. 13. capite 14. hanc cauſam fuiſſe recitat, *quod in eo monte Remus urbis condendæ gratia auſpicaverit, aveſque irritas habuerit, & ſuperatus in auſpicio à Romulo fuerit. Idcirco addit, omnes qui pomœrium protulerunt, montem iſtum excluſerunt, quaſi avibus obſcœnis ominoſum.* Hæc Meſſala. Hic mons, quem propter longitudinem certo deſcribi

non

non posse, Georgius Fabricius fatetur, ad *Ortum* in Meridiem declinantem respicit mœnia: ad *Meridiem* campum Figulinum: ad *Occasum* flumen: ad *Septentrionem* montem Palatinum. Hunc montem Augustus XIII. regionem fecit: unde ex ea cognosci poterit, quomodo fuerit excultus.

IN CAP. X. PARALIPOMENA.

De Remuriis, & à quo Aventinus urbi inclusus.

Quod hic dicat urbis Pomœrio hunc montem non inclusum, fallitur omnino: nam Ancus Martius quartus Romanorum rex, Numæ nepos, mœnia urbis muro complexus est, Aventinum etiam inclusit, Eutrop. l. 1. & ex eo Paulus Diacon. histor. Miscellæ lib. 1. & præter historicos, quidam incerti nominis poeta, apud I. Cuspinianum in Fastos Cassiodori, cujus epigramma adscribam.

Romulus aggreditur regnum qui condidit urbem,
Prima Remus quoniam mœnia transit, obit.
Et Numa divinis implevit cultibus urbem,
Tullius inventis fascibus arma ciet.
Ancus Aventinum montem superaddidit urbi,
Prisce triumphali primus honore tumes.
Tullius invenit censum, Vulcania proles,
Tarquinius Sexti crimine pulsus abit.

Certè autem constat interfectum per nefas à Romuli militibus Remum in Aventino fuisse sepultum, solemniaque ac annua sacrificia in ejus honorem instituta, quæ tunc *Remuria*, postea & *Lemuria* sunt appellata. P. Ovid. lib. 5. Fast.

Romulus obsequitur, lucemque Remuria dixit
Illam, qua positis justa feruntur avis.
Aspera mutata est in levem tempore longo
Litera, quæ toto nomine prima fuit.

Hic dies Id. Majis celebratur, ut est in fastis Capitolinis, & veteri Calendario Romano. Serv. ad illud lib. 1. Æneid.

Romulus excipiet gentem.

Remo scilicet, inquit, *interfecto, post cujus mortem natam constat pestilentiam. unde consulta oracula dixerunt, placandos esse manes fratris extincti; ob quam rem sella curulis, cum sceptro, & corona, & cæteris regni insignibus, semper juxta sancientem aliquid Romulum ponebatur, ut pariter imperare videretur: unde est*, Remo cum fratre Quirinus jura dabunt, *placari censebantur manes tumulo magnifice structo in Aventino, & sacris ejus honori institutis, quibus nomen vel ab illo desumptum, vel à Lemuribus, qui anima defunctorum censebantur.* Lil. Gyrald. synt. 17. pag. 450. quorum in numero Lar erat. L. Apul. lib. de Deo Socratis: licet sciam *Lemuria*, sive sacra feralia constituta 12. Kalend. Martias, ut fusissime Ovidius lib. 2. Fastor. exequitur. M. Terent. Varro de vita pop. Rom. lib. 1.

——— *Quibus temporibus in sacris*
Fabam jactant noctu, ac dicunt se Lemures domo
Extra januam ejicere.

CAP. XI.

De reliquis tribus collibus: Hortulorum videlicet, Ianiculo, & Vaticano.

Cum Romani nimium studerent, non Imperii tantum auctioni, sed Vrbis etiam amplificationi, ut cuivis, qui in scriptis veterum non plane hospes est, manifestum esse potest: Ideoque non contenti veteribus Pomœrii finibus, illos sæpe mutarunt, & aliis atque aliis montibus Vrbi subinde additis, protulerunt, uti hactenus de septem illis principalibus montibus dictum est: præter quos tamen etiam alios colles superioribus magnitudine nequaquam pares, urbis Pomœrio inclusérunt; de quibus hoc capite pauca dicam. Fuerunt autem hi tres: collis *Hortulorum, Ianiculum, & Vaticanus*.

Collis *Hortulorum*, vel, ut alii, *Hortorum* hanc appellationem accepisse videtur à proximis ei hortis Salustii. Posteà vocitatus fuit *Pincius*, quod in eo Pinciorum domus essent: quæ familia nobilissima fuit, ac claruit in Vrbe circa tempora Constantini. Hic collis antiquitus extra Vrbis mœnia fuit, ideoque extra septem montium numerum. Tempore autem Aureliani Imperatoris Pomœrio inclusus est. Celebris fuit cum propter Neronem in eo sepultum, ut Tranquillus in Nerone testatur, tum propter Candidatos, quibus usus erat (ut Macrobii verbis utar) in Comitium nundinis venire, & in hoc colle consistere: unde ab universis possent videri: & inde Campum Martium, petitum Magistratum, descendere.

Ianiculum, inquit Sextus Pompeius Festus, dictum, quod per eum, tanquam per januam, populus Romanus primitus, transierit in agrum Etruscum. Alii sic appellatum scribunt, à vetustissimo oppido, quod Ianus in Italia condidit. Macrobius autem dictum putat *Ianiculum*, quòd Ianus ibi vel sit sepultus, vel habitaverit. Hodie à flavis arenis *mons aureus* nominatur, & corrupto vocabulo *Montorius*. Ex hoc monte propter altitudinem Roma maxime est conspicua. Cæteris autem infrequentior est, ob aëris gravitatem, ut Martialis testatur. Celebris fuit Numæ, Romanorum Regis, ut Dionysius & Livius, itemque Statii Cæcilii Poëtæ, ut Cæsariensis Eusebius produnt, sepulcris. In hunc aliquando plebem secessisse Romanam, & à Quinto Hortensio Dictatore revocatam, scribunt, Plinius libro decimo sexto, & Livius. In eodem, ut scribunt Livius, Dionysius, Italicusque Silius, Rex Thuscorum Porsenna castra habuit. Fuit autem trans Tiberim.

Vaticanus etiam mons trans Tiberim fuit, olim non habitatus, nec ad Vrbem pertinuit. Nomen accepit, ut est apud Agellium lib. 16. c. 17. à *vaticiniis*, quæ in eo agro fieri solerent. Sextus Pompeius scribit: *Vaticanum* collem appellatum esse, quòd eo potitus sit populus Romanus *Vatum* responso, expulsis Etruscis. Alii volunt à *Vaticano*, vel *Vagitano* Deo sic appellatum. Vetustissima in eo ilex fuit, de qua Plinius sic scribit: *Vetustior Vrbe in Vaticano ilex, in qua titulus æreis literis Etruscis, religione arborem jam tunc dignam fuisse significat.* Nobilis olim fuit Scipionis sepulchro. Nunc vero clarus, cum propter alia, tum propter celeberrimam totius orbis *Bibliothecam Vaticanam*.

Porrò autem ii montes jam rarissimi habitantur, maxima ex parte hortis & dispersis hinc inde templis, aut

aut claustris religiosis occupati: aut veterum ædificiorum ruinis obruti. vetustissimis temporibus nemora & pascua habuit *Palatinus*, ut scribit Tibullus: *Capitolinus* dumetum, ut Virgilius: *Esquilinus*, *Quirinalis* & *Viminalis*, vimina & sylvam fageam, ut Varro: *Cælius* quercetum, ut Tacitus: *Aventinus* lauretum, ut Solinus: *Ianiculum* esculetum, ut Plinius: *Vaticanus* ilicetum, ut Fulvius, prodidere.

Et hæc quidem quæ de urbis initio, ambitu, amplificatione & montibus Pomœrio inclusis, hactenus dixi, præter veteres rerum Romanarum scriptores, quos citavi, habent etiam Georgius Fabricius in sua Roma, Bartholomæus Marlianus in antiquæ Romæ Topographia, & Onuphrius Panvinius lib. 1. Comment. Reipublicæ Romanæ, ex quibus plura peti possunt. Situm urbis & dictorum montium ostendet Tabula.

AD CAP. XI. PARALIPOMENA.

De hortorum cura analecta quædam.

Hortos Palatiis principum vicinos debere esse, Ester. cap. 7. in sacris literis, docetur, aut domibus privatorum Pallad. lib. 1. cap. 34. & eos manu sua colere regibus antiquis in delitiis fuisse testatur ex Trogo Pompeio Iustinus libr. 36. de Attalo, *qui, omissa regni administratione, hortos fodiebat, gramina seminabat.* Et de Semiramidis Hortis pensilibus, notius est, quam ut dici debeat; legendus Strabo libr. 16. in principio. Viri docti ad Martial. epigr. 1. Amphitheat. Idem lib. 6. epigr. 80. Plinii elegans est locus lib. 19. cap. 4. *Antiquitas nihil prius* (hortorum cura) *mirata est, inde Hesperidum horti, ac regum Adonis & Alcinoi, itemque pensiles, sive illos Semiramis, sive Assyriæ Rex Cyrus fecit.* Baptista Pius Annot. poster. c. 178. & in obscœnis dici notat Palmerius Spicil. Lysander apud Xenophontem lib. 5. Memorabilium, narrat hortum Sardibus visum, quem Cyrus rex sua manu consevisset, pag. 831. & domibus regum Persarum juncti semper horti. Plut. Artaxerxe, quos *paradisos* vocabant, Iul. Pollux lib. 9. c. 2. at vero de Alcinoi & Hesperidum hortis, quis post Homerum, & omnes alios dicat?

Apud Romanos tam vetus ea cura, ut ipsi etiam reges hortos curarint, C. Plin. loco proxime laudato. Iique plerumque in suburbiis quod præcipit M. Varro rei Rust. lib. 1. cap. 16. *& in villa vinea primum locum, hortus secundum obtinet.* Cato R. R. cap. 1. M. Martial. libr. 7. epigr. 48.

——— *Suburbani munuscula mittimus horti.*

Aut prope Tiberim, ut de hortis Cæsaris & Antonii in rebus Octaviani, testis est Dio lib. 47. pag. 351. suos autem Cæsar populo legavit. Sueton. in ejus vita cap. 83. & sic hortos publicos conductos lego apud Labeonem IC. *l.* 20. §. 2. *ff. de leg.* 3. licet ibi, *non conductionem hortorum*, sed *conditionem* legi velint. Et sane hortos legari suetum, notum ex inscriptione vetusta, quæ Iulii Carnici habetur, in hæc verba:

Longius. Patroclus. secutus. pietatem. col. cent. hortos. cum. adificio. huic. sepulturæ. juncto. vivus. donavit. ut. ex. reditu. eorum. rosæ. &. estæ. patrono. suo. &. quandoque. sibi ponerentur.

Laz. lib. 12. cap. 1. tantique olim facti, ut hortos palatio prætulerit D. Aurelianus Cæsar; Fl. Vopisc. in eo ad finem, unde Thraseæ Pæto & Bateæ Sorano objecto, *quod consulatum & sacerdotia adepti hortorum amœnitati inservirent.* C. Tacit. libr. 16. Annal. inter commoda familiaria, *venustos & delicatos hortulos* ponit Phædrus Tiberii Aug. libertus fab. 63. cujus versus optime collocavit eruditissimus Rigaltius IC. cum antea perturbati forent & transpositi:

Seponit mœchæ vestem, mundum muliebrem,
Lavationem argenteam, eunuchos glabros,
Domum politam, & delicatos hortulos,
Lanificæ agellos, pecora, villam, operarios,
Boves, jumenta.

Maxima cura providebatur, ne siccitate laborarent horti, ideoque aqua canalibus inducebatur, Calpurn. Siculus, quem non injuria quidam Bucolici carminis principem effecêre, eclog. 2.

Accipe dixerunt nymphæ, puer, accipe fontem,
Nam potes irriguos mutare canalibus hortos.

Sic enim in antiqua editione legebatur, mendose proculdubio. rescribe:

——— *Potes irriguos nutrire canalibus hortos.*

Quos ille *canales* vocat, *fistulas aquarias* Iul. Capitolinus in Maximo & Balbino Augg. *Veterani se in castra prætoria contulerunt, cum ipsi prætorianis, quos capit populus obsidere, nec unquam ad amicitiam essent redacti: nisi fistulas aquarias populus incidisset.* C. Plin. Iun. lib. 5. epist. 6. *Fonticuli sedilibus adjacent, per totum hippodromum inductu fistulis strepunt rivi, & qua manus ducit sequuntur. his nunc illa viridia, nunc hæc, interdum simul omnia juvantur.* malim, *lavantur*, aut fortasse, *rigantur. Sulcum publicum aquarum* appellant Impp. Theod. & Valent. l. 6. C. de Aquæductu. Sidon. Apollin. carm. 22.

Arctus at in thermas longe venit altior amnis,
Et cadit in montem, patulisque canalibus actus
Circumfert clausum cava per divortia flumen.

Materia his fistulis, quas describit Iulius Frontinus lib. eleganti de Aquæductibus urbis Romæ, est plumbum. Nam Impp. loco citato, de plumbeis fistulis ducentibus ad thermas, Claudian. de Apon. balin.

Devehit exceptum nativo spuma meatu,
In patulas plumbi labitur inde vias.

Papin. lib. 1. sil. 3.

——— *Per obliquum penitus quæ laberis amnem*
Martia, & audaci transcurris flumina plumbo.

Tubuli certe divitum plumbei, at tenuiorum lignei, ut apparet ex Ænigmate 72. Cælii Symposii:

Truncum terra tegit, latitant in cespite lymphæ,
Alveus est modicus, qui ripas non habet ullas,
In ligno vehitur medio, quod ligna vehebat.

Vide tractatum de Aquæductibus infra.

DE IANICVLO. PARALIPOMENA.

Vt collis hortulorum ab hortis vicinis nomen habet, ita à Iano *Ianiculum*: quem alii *Ianicularem* vocant, voluntque non extra urbem, sed urbi inclusum fuisse à Romulo. Nam septem illos colliculos numerant *Palatinum*, *Quirinalem*, *Cælium*, *Viminalem*, *Aventinum*, *Æsquilinum*, & *Ianicularem*. Serv. Maur. ad lib. 6. v. 784.

Septemque una sibi muro circumdabit arces.

Vel ut Verrius numerat, *Palatium*, *Veliam*, *Fagutalem Suburram*, *Cermalum*, *Oppium*, *Cispium*; aut secundum M. Varronem, alii aliter. Ianus Parrhasius epistol. 57. Tarquinios autem expulsos reducturus Hetruscorum rex Porsenna, cum collem cum exercitu suo occupavit: Præter historicos Sidon. Apollinar. carm. 5.

——— *Porsenna superbum*
Tarquinium impingens, complevit milite Thusco
Ianiculum quondam.

In transtiberina erat regione, Claudian. lib. 1. in Eutrop.

Hoc mihi Ianiculo positis Hetruria castris
Quæsit, & tantum fluvio Porsenna remotus.

Senatores etiam metu perculsi, sub initio bellorum civilium, iram Octaviani devitantes, in Ianiculum se receperunt veluti in sedem tutam quietamque. Dio lib. 47. pag. 320.

De Vaticani Ilice, & more in arborum corticibus incidendi.

PARALIPOMENA.

Decimus hic colliculus, qui Ilice nobilitabatur, in qua *titulus æreis litteris insculptus*, ut loquitur C. Plin. lib. 16. c. 44. Quare de modo, arboribus incidendi carmina, hic dicendum ex Euripide in Hippolyto. P. Victorius lib. var. lection. 16. cap. 5. doctissime & ingeniosissime disputat. Aristænet. l. 1. epist. 10. ποῖα ἦ, εἶπε, ὦ δένδρα καὶ νοῦς ὑμῖν γένοιτο καὶ φωνὴ, ὅπως ἂν εἴπητε μόνον, Κυδίππη καλὴ, ἢ γοῦν κατὰ τῶν φλοιῶν ἐγκεκολαμμένα φέροιτε γράμματα. *Vtinam, inquiebat, & mens vobis, arbores, & vox esset, hoc unum dictitaretis, Cydippe pulchra, vel corticibus inscriptas ferretis hoc ipsum testantes litteras.* Q. Symmach. l. 4. epist. 28. originem consuetudinis videtur explicare; *Mallem*, inquit, *Aboriginum more, dictionem salutis alternæ ligno aut corticibus scribere, Ægyptus papyri volumina Bibliothecis foroque texuerit.*

Ovid. epist. heroid. 5. Oenone Paridi.

Incisæ servant à te mea nomina fagi,
Et legor Oenone falce notata tua.
Et quantum trunci, tantum mea nomina crescent,
Crescite, & in titulos surgite ritè meos.

Desumpta ex Virgilio qui 10. Ecloga dixit:

——— *tenerisque meos incidere amores*
Arboribus, crescent illæ, crescetis amores.

Carmen est elegantissimum, & ob id adscribendum veteri cuidam poëtæ, Floridum nonnulli vocant, de qualitate vitæ:

Quando ponebam novellas arbores mali & pyri,
Cortici summæ notavi nomen ardoris mei:
Nulla sit exinde finis, vel quies cupidinis,
Crescit arbor, gliscit ardor, ramus implet litteras.

Olympius Nemesianus Carthaginiensis, qui sub Carino vixit principe, Ecloga 1.

Accipe quæ super hæc cerasus, quam cernis ad amnem,
Continet, inciso servans mea carmina libro.

Eidemque familiaris Calphurnius Sicul. ecl. 3.

Dic age, nam cerasi tua cortice verba notabo,
Et decisa feram rutilanti carmina libro.

Corrigendus idem Ecloga 4.

Vt quoque turba bono plaudat saginata magistro,
Ille meis pacem dat montibus, ecce per illum,
Seu cantare juvat, seu ter pede læta ferire
Carmina, nonnullas licet & cantare choreas,
Et cantus viridante licet mihi condere libro.

Primus & quartus versus graviter sunt affecti: corrigit Fr. Modius optime de hoc poëta meritus Novantiquar. lect. Epist. 17. *turba bono plaudat sagmata magistro*: id est, sagminibus coronata. Nam solemni & compitalitio festo non rustici modo coronabantur, sed & boves ipsi; auctor est Alb. Tibullus l. 2. eleg. 1.

——— *nunc ad præsepia debent*
Plena coronato stare boves capite.

Malim ego, pro *satiata*, aut *saturata*, legere, cum paganorum festa, qualia erant parilia, lustrationes ovilium, ambarvalia aliaque similia, nunquam celebrabantur sine maximo epularum apparatu. Tibull. ibid.

Turbaque vernarum saturi, bona turba, coloni
Ludet, & ex virgis extruet arte casas.

In quarto versu vitium etiam latet, quid est enim *ferire pede læta carmina*: legendum est, *læta ferire gramina*, ex Horatio l. 3. od. 18.

Scribebatur præterea in cera, papyro Ægyptiaca, tabellis ligneis, & textis lineis, ut suo ordine & loco dicetur.

CAP. XII.

De Vrbis Romæ regionibus.

His explicatis, de quatuordecim nunc regionibus dicendum est, quod hoc capite faciam. Vrbem Romam Romulus in tres partes distribuit, quas *Tribus* appellavit, Dionysio & Livio testibus. Varro eas *partes* appellat. Hæ fuerunt *Tatiensium*, *Rhamnensium*, & *Lucerum*. An verò regiones rectè dici possint dubitari potest: sed tamen habent cognationem aliquam cum regionibus, eo ipso quod unaquæque harum Tribuum propriam sedem in urbe occupavit. *Rhamnenses* enim à Romulo sic dicti, Palatium & Cœlium montes coluerunt: *Tatienses*, à Tito Tatio nomen adepti, Capitolium & Quirinalem habitarunt: *Luceres*, à Lucumone, vel, ut aliis placet, à luco, in quo Asylum fuit, denominati: loca inter Palatium & Capitolium plana, atque circum forum tenuere: de quibus plura, ubi de Tribubus erit dicendum. Fuerunt autem hæ tres *Tribus* à Tarquinio Prisco auctæ, & ex tribus sex factæ. Servius Tullius VI. Romanorum Rex ex iis quatuor fecit, aliaque eis nomina attribuit, de quibus Dionysius lib. 4. ita scribit: *Cæterum Tullius postquam septem colles uno muro complexus est, Vrbem in quatuor partes divisit, à collibus cognominatas: Palatinam, Suburanam, Collinam, Esquilinam: & quatuor Tribus esse fecit, quæ ad id temporis tres fuerant, suosque cuique tribules adscribit, divisa habituros munia, nec mutaturos domicilium.* Et hæc quidem Vrbis divisio in quatuor partes, seu regiones à Servio Tullio facta, duravit usque ad tempora Augusti. Is enim primum Vrbem in certas regiones distribuisse legitur apud Suetonium, qui in Augusto cap. 30. scribit Augustum spacium Vrbis in regiones & vicos divisisse. Plinius autem lib. 3. c. 5. auctor est, in quatuordecim regiones eam divisam esse: à quo non dissentit Tacitus, qui lib. 15. Annalium, de incendio Neroniano loquens, idem perspicuè confirmat: ne dicam de Sext. Rufo, & P. Victore, qui quatuordecim illas Vrbis regiones descripserunt. Hos secutus est Onuphrius Panvinius Veronensis, cujus descriptionem, cum reliquis sit plenior, & clarior, huc referre placet. Qualem autem in ea ordinem secutus sit, ipsemet indicat his verbis: Huic, inquit, meæ Vrbis descriptioni, integros illos duos libellos (Sexti Rufi scilicet, & P. Victoris) inclusi, utriusque ordinem secutus in recensendis Vrbis regionibus, quos inde ex antiquis probatisque auctoribus, sexcentis locis auxi. In eis autem enumerandis, quæ per singulas regiones erant, eorum ordinem non admisi, sed quandam mihi commentus sum rationem, quam iis tradendis rebus commodissimam esse existimavi, ut facile legentes cognoscere poterunt. Primo enim loco regionis nomen, deinde montes, insulam, vias intra Vrbem, rivos, aquas, si quæ erunt, ponendæ: clivos, vicos, vicomagistros, curatores, denunciatores, cohortes vigilum, nomina locorum publicorum, vel incertorum: deinde lucos, templa, ædes, ædiculas, porticus, Ianos, vel æanos, atria, areas, sacraria, sacella, delubra: nomina cæterorum locorum sacrorum, aras, signa, statuas Deorum, hominum, vel animalium: hippodromos, equiria, circos, obeliscos, stadia, factionum stabula, theatra, amphitheatra, ludos, naumachias, ædificia reliqua publica incerta, fora, cœnacula, curias, basilicas regias, comitia, septa, carceres; reliqua publica ædificia profana, castra sive stationes, campos, hortos, scholas, tabernas, aquas, thermas, balinea, lymphea, nymphea, lavacra, lacus, fontes, Bibliothecas, arcus, columnas, septizonia, sepulcra, emporia, macella, horrea, pistrina, domus, insulas, & postremo regionis ambitum, quem ordinem sequi decrevi. Hæc ille. *Regio* autem à rego dicitur, quod priusquam provinciæ fierent, regiones sub Regibus erant, atque ab iis regebantur. Posteà à similitudine earum regionum, in quas orbis dividitur, majores in Vrbe partes *regiones* appellari cœptæ. Regionis pars est *vicus*: quippe Vrbs in *regiones* tanquam in majora membra, & in *vicos* tanquam minora dividitur. Dictus verò est *vicus*, quòd vias circum haberet, nos Germani dicimus, *Eine gassen, oder strassen.* Sed hæc hactenus. Sequitur nunc ex Onuphrio descriptio regionis primæ.

AD CAP. XII. PARALIPOMENA.

Prima distributio tribuum, & Romæ regiones.

Tot regiones urbis, quot Tribus in principio nempe tres, Fest. Pompeius lib. 17. *sex Vestæ Sacerdotes constitutæ sunt, ut populus pro sua quaque parte haberet ministram sacrorum, quia civitas Romana in sex est distributa partes, in primos secundosque Tatienses, Rhamnes, Luceres.* Propert. l. 4. eleg. 1.

Hinc Tatii, Rhamnesque viri, Luceresque coloni.

Ovid. l. 3. Fast. de urbe à Romulo disposita:

Quin etiam partes totidem Tatiensibus ille,
Quosque vocant Rhamnes Luceribusque dedit.

Descriptio XIV. urbis Romæ regionum, ex Onuphrio Panvinio.

REGIO VRBIS PRIMA.

Porta Capena.

Almo Fluvius.

Vici novem,

Vicus Camœnarum.
Vicus Drusianus.
Vicus Sulpici ulterioris.
Vicus Sulpici citerioris.
Vicus Fortunæ obsequentis.
Vicus pulverarius.
Vicus Honoris & Virtutis.
Vicus trium ararum.
Vicus Fabrici.
Vicomagistri XXXVI. quatuor per singulos vicos.
Curatores II.
Denunciatores II.

Luci tres.

Lucus Cuperius Hostiliani.
Lucus Egeriæ.
Lucus Camœnarum.

Templa quatuor.

Templum Isidis.
Templum Serapidis.
Templum Fortunæ viatorum.
Templum Martis Extramurani.

Ædes sex.

Ædes Martis Quirini.
Ædes Minervæ.
Ædes Mercurii.
Ædes Tempestatis.
Ædes Apollinis.
Ædes Camœnarum.

Ædiculæ decem.

Ædiculæ Fortunæ obsequentis.
Ædicula Honoris.
Ædicula Virtutis.
Ædicula Ridiculi.
Ædicula Herculis. *Reliquæ desiderantur.*

Areæ septem.

Area Apollinis.
Area Spei.
Area Thalli sive Galli, sive Galliæ.
Area Isidis Ælianæ.
Area Pinaria.
Area Carsuræ.
Area Mercurii.

Aræ duæ.

Ara Mercurii.
Ara Isidis.
Lapis Manalis.
Circus Antonini Caracalli cum Obelisco.
Senaculum ad portam Capenam.
Mutatorium Cæsaris.
Campus Ridiculi.
Horti Terentiani.
Tabernæ Cædiciæ.
Thermæ Commodianæ.
Thermæ Severianæ.

Balinea publica sex.

Balineum Vettii Bolani.
Balineum Torquati.
Balineum Mamertini.
Balineum Abascantiani.

Balineum Mettiani Secundiani.
Balineum Antiochiani.
Balinea reliqua privata sine nomine XXCII.

Lacus Fund. XXCIII. In his:

Lacus Promethei.
Lacus Vespasiani, aliàs Vipsani.
Lacus Sanctus
Lacus Sudans.
Lacus Torquati.
Lacus Publicus.
Lacus Bivius.
Lacus Spei.
Lacus Gratiæ.
Lacus Mamertini.
Lacus Salutaris.
Lacus reliqui sine nomine LXXII.

Arcus IV.

Arcus Drusi Neronis.
Arcus divi Trajani.
Arcus divi Veri Parthici.
Arcus Bifrons.

Sepulcra.

Corneliorum Scipionum.
Atiliorum Calatinorum.
Serviliorum.
Cæciliorum.
Horatiorum.
Horrea XIV. &c.
Pistrina XII.
Domus CXXI.
Insulæ ∞ IↃↃ. CCXXXIII.
Regio in ambitu continet pedes CCIↃↃ. ∞ ∞ ∞ CCXXIII.

AD CAP. XIII. PARALIPOMENA.

Porta Capena.

Quæcunque in hac descriptione urbis Romæ nominantur, sigillatim hic exponentur, quod non alibi idonea magis occasio ea narrandi offeretur: quanquam non sim ignarus, Onuphrium Panvinium, Bartholomæum Marlianum, & Guidum Pancirolum, eruditissimos viros, singula hæc libris suis executos. Romam igitur Augustus in *vicos & regiones divisit*, descripsitque Suet. c. 30. Prima autem regio censetur porta Capena, de qua præter T. Livium variis in locis, Fest. Pomp. l. 17. in voce Senacula. vet. scholiast. Iuvenal. ad v. 11. sat. 3. *Stetit, inquit, expectans rhedam, ubi solent proconsules jurare, in via Appia ad portam Capenam, id est, ad Cumenas.* Corrige, & lege ad *Camenas*; Vicus enim Camenarum in vicinia erat, ut ex notitia urbis apud Onuphrium, & Sext. Ruffo, & P. Victore constat; & Iuvenalis ipse Sat. 3. princ.

——— *Ejectis mendicat silva Camenis.*

Simile mendum Frontinum occupaverat, qui pro *Camenis*, *Cumenas* habet. Q. Symmach. l. 1. epist. 20. nomen huic portæ à Capenis. Serv. ad v. 697. l. 7. Æneid.

Et Cimini cum monte lacum, lucosque Capenos.

Longissima omnium viarum Appia hæc erat. D. Paulin. Nolæ episcopus v. Felicis Natali 3.

——— *Portæque ex ore Capenæ*
Millia profundens ad amica mænia Nolæ
Demittit duodena decem per millia denso
Agmine, consertis longe latet Appia turbis.

Huic adjacebat ædes Martis extra muros. T. Liv. dec. 4. l. 8. *viam silice sternendam à porta Capena ad Martis ædem locaverunt.* Fest. l. 11. *manalem vocabant lapidem, petram quæ extra portam Capenam juxta ædem Martis.*

Sext. Propert. l. 4. eleg. 3.

Armaque cum tulero portæ vicina Capenæ.

P. Ovid. l. 6. Fastor.

Lux eadem Marti sacra est, quem prospicit extra
Appositum tectæ porta Capena viæ.

Aquæductus etiam hic celebris. vet. Scholiast. Iuven. loco citato: *Capenam madidam, ideo quia supra eam ductus est, quem nunc appellant arcum stillantem, primùm enim usque ibidem fuerunt portæ, quæ porta Capena vocabatur.*

Et ipse poëta:

Substitit ad veteres arcus, madidamque Capenam.

Valer. Martial. l. 3. epigr. 47.

Capena grandi porta qua pluit gutta.

REDICVLI ÆDES.

Male antea *Ridiculi* erat, *Rediculi* scribi oportebat. Fest. Pompeius lib. 16. *Rediculi fanum extra portam Capenam fuit, quia accedens ad urbem Hannibal, ex eo loco redierit, quibusdam perterritus visis.* Valer. lib. 3. cap. 7. tit. 10. *ne hostilium locus castrorum, tum maxime Capenam portam armis pulsante Hannibale, minoris veniret, quam si illum Pæni non obtinerent.* Sunt alii qui non *Capenam*, sed *Collinam* portam obsedisse Hannibalem contendant. Aurel. Prudent. lib. 2. in Symmach.

Affirmentque Libyn Collinæ à cardine portæ
Hannibalem Iovis imperio Martisque repulsum.

Sidon. Apollin. Carm. 7. vers. 132.

——— *Si denique dirum*
Annibalem juncto terræ cælique tumultu
Reppulimus, cum castra tuis jam proxima muris
Starent, Collina fulmen pro turre cucurrit.

Alii neque ad Capenam, neque ad Collinam portam castra habuisse Hannibalem, sed tantum urbi vicinum volunt. C. Plin. lib. 34. cap. 6. Sil. Italic. de obsidione illa lib. 12. Punicor.

Nunc aditus lustrat, nunc clausas cuspide portas
Infesta pulsat, fruiturque timore paventum.

M. Manil. lib. 4. Astron. princ.

Quid referam Cannas, admotaque mænibus arma.

Et in eodem opere postea:

Ignibus Albanas cum contudit Hannibal arces.

Claudian. de bello Gildon. alteri sententiæ favere videtur:

——— *Ruptaque emissus ab Alpe*
Pænus, & attonitæ jam proximus Hannibal urbi,
Scilicet ut domitis frueretur barbarus Afris.
Muro sustinui Martem, noctesque cruentas
Collina pro turre tuli.

ÆDES HONORIS ET VIRTVTIS.

Q. Symmach. lib. 1. epist. 20. *bene ac sapienter majores nostri, ut sunt aliæ ætatis illius, ædes Honori atque Virtuti gemellas junctim locarunt, commenti quod in te vidimus, ibi esse præmia honoris, ubi sunt merita virtutis.* Valer. Maxim. lib. 1. cap. 1. *cum Marcellus quintum consulatum gerens templum Honori atque Virtuti, Clastidio prius, deinde Syracusis potitus, nuncupatis debitum votis consecrare vellet, à collegio pontificum impeditus est.* Vetus marmor:

C. Policio L. F. Bibulo. ÆD. Pl. Honoris.
Virtutisque. causa senatus.
Consulto. populique. jussu. locus.
Monimento. quo. ipse posterique.
Ejus. inferrentur. publice. datus est.

Claudian. paneg. de Consul. Manlii Theodori princ.

Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaque latè
Fortunæ secura nitet. Et paucis interjectis:
Attamen invitam blandè vestigat, & ultro
Ambit honor.

Aurel.

Aurel. Prudent. lib. 1. in Symmachum:

Præmia virtutum titulis, & Honoribus aucti
Ardua retulerint.

Ædem hanc Anno ab urbe condita 545. M. Marcellus vovit. T. Liv. Dec. 3. lib. 7. Lact. Firmian. divinar. Instit. lib. 1. c. 20. *ad hoc illud M. Marcelli de consecratione Honoris atque Virtutis, honestate nominum differt, re congruit. Votum in Gallia factum, septemdecim vero annis post à Marcello filio templum structum.* Barthol. Marlian. lib. 4. Topograp. cap. 24. & de ejus consecratione Plut. in vita Marcelli, & M. Tull. lib. 2. de leg. reparavit, ut apparet C. Marius. Fest. lib. 17. *summissiorem aliis ædem Honoris & Virtutis C. Marius fecit, ne si forte officeret auspiciis publicis, augures eam demoliri cogerent.* Ara illi erecta, in qua stabat *Reverentia*, & *Majestas.*

Ovid. lib. 5. Fastor.

Donec Honor, placidoque decens Reverentia vultu,
Corpora legitimis composuere thoris;
Hinc sata Majestas.

Sacrificia ejus peragebantur aperto capite, cum sacerdotes in omnibus aliis deorum sacris tecto essent capite. Rationes varias pete à Plutarch. Problem. Roman. cap. 12. solemnitas ejus & festum in Maio, ut opinor. Dio Coccejanus lib. 54. ἥ τε τῆς Τιμῆς καὶ τῆς Ἀρετῆς πανήγυριν εἰς τὰς νῦν ἡμέρας μετέθησαν. *Festum quod Virtuti & Honori celebrabatur, in eam diem, qua hodie agitur, transtulit.* Translatio hæc festi honoris incidit in consulatum C. Furnii & C. Silani, qui annus ab urbe condita fuit 737. Cuspinian.

DE LVCIS ET EORVM CVLTV ET RELIGIONE.

Quoniam multi in hac prima urbis regione luci fuerunt, & passim apud authores lucorum urbicorum fit mentio, videndum de prima institutione, & cultu lucorum. C. Plin. lib. 12. cap. 1. *Arbores fuere numinum templa, priscoque ritu simplicia rura etiam nunc præcellentem arborem deo dicant, nec magis auro fulgentia, & ebore simulachra, quàm luco & in ipsis silentia ipsa adoramus.* Et prisci illi Germani *lucos ac nemora consecrabant, deorumque nominibus arbores appellabant.* C. Tacit. lib. de morib. Germanor. De Gallis etiam certò constat, *arbores* eos *pro diis* in *lucis* non autem *templis* coluisse, quod liquidum est ex iis quæ de Druidibus prodiderunt Strabo, Mela, Plinius, & Cæsar lib. 6. belli Gallici cap. 5. Quibus addendum est ad has ipsas arbores hostias humanas ab iis immolari solitas, quæ plerumque peregrini erant & alienigenæ. M. Lucan. lib. 2. Pharsaliæ:

Omnisque humanis lustrata cruoribus arbor.

Cl. Claudian. lib. 1. de laudib. Stilichon.

——— *Lucosque vetusta*
Religione truces, & robora numinis instar
Barbarici, nostræ feriunt impune secures.

De Indorum ritu in consecratione lucorum audiendus Q. Curtius Rufus lib. 8. *Inde deos putant quicquid colere cœperunt, arbores maximè, quas violare nefas est, & capitale.* Longobardi eidem superstitioni implicati, nam lex Luitprandi regis eorum, *ut si quis ad arborem, quam rustici sanctivum appellant adoraverit, vel incantationes fecerit, componat de medietate pretii sui in sacro palatio*, ut ex Paulo Diacono de legib. eorum pag. 108. observare non est difficile, & jam Hottomanus doctissimus notavit. Apud Romanos vero quis quærat exempla? cum omnes scriptorum paginæ loquantur celebrem in lucis deorum fuisse cultum. L. Apul. lib. 1. Apolog. *nullum in villa ejus delubrum situm, nullus locus aut lucus consecratus.* C. Tacit. lib. 14. Annal. *excisi luci sævis superstitionibus sacri.* Sic interpretandi poëtæ: P. Ovid. lib. 3. Fastor.

Lucus Aventino suberat niger Ilicis umbra:
Quo possis viso dicere numen habet.

Et lib. 3. Amor. eleg. 12.

Stat vetus, & densa prænubilus arbore lucus,
Aspice, concedes numinis esse locum.

P. Stat. Papin. lib. 4. Thebaid. v. 423.

Subter opaca quies, vacuusque silentia servat
Horror, & exclusæ pallet mala lucis imago,
Nec caret umbra deo.

Idem lib. 6. Thebaid. de incædua sylva:

——— *Stat sacra senectæ*
Numine.

Silius Italicus lib. 2. Punicor.

——— *Prisco inde favore*
Arbor numen habet.

Corruptus est locus, sic, nisi fallor, restituendus suo nitori, atque ita contenderim poëtam ipsum scripsisse:

Prisco inde pavore, &c.

Metus enim præcipua gentibus causa, cur deos esse crederent, nam quum in fontibus, fluviis, aut stagnis altitudinem immensam, in arboribus proceritatem stupendam animadvertissent, existimabant creduli & causarum certarum ignari, aliquid supra naturæ vires iis inesse, & ob id divinitatem arboribus seu lucis, aquis fluminibusque attribuerunt. Aurel. Prudent. lib. 2. contra Symmachum urbis præfectum:

Quos penes omne sacrum est, quicquid formido tremendum
Suaserit, horrificos quos prodigialia coguntur
Monstra deos.

Idem Romano martyre:

Quibus omne sacrum est, quod pavendum vanulæ
Edentularum cantilenæ suaserint.

In veteri codice legebatur:

——— *Quod pavendum rancidæ, &c.*

Et forte rectius. Valer. Flacc. Argonautic. lib. 3. quod opus egregium quidem nunc est, multo suavius futurum, si auctor in juvenili flore præreptus, ad limam revocare potuisset:

Vtque metum, numenque loco, sacramque quietem
Addidit.

Claudian. lib. 3. de Raptu Proserpinæ, de luco à Cerere profanato:

Inde timor, numenque loci.

Vt verissimum sit, quod Petronius Arbiter apud Luctatium Placidium, seu Lutatium ad lib. 3. Theb. v. 661. dixerit,

——— *Quid inertia pectora terres?*
Primus in orbe deos fecit Timor.

Et M. Lucan. lib. 1. & lib. 7.

Nulloque authore malorum
Quæ finxere timent.

Vt templa violare piaculum credebatur, nec quicquam in ea citra sacrilegium committi posset; ita nec luci exscindi contaminarive, illud factum inter illaudata reponitur Caroli Gallorum regis, qui *navali exercitu regnum Frisonum ingressus, interfectis plurimis, Popionem eorum ducem interemit, lucosque ac fana subvertit, anno salutis* 729. ut refert author incerti nominis in Annalibus Francicis. Nota sunt, quæ criticis observata in illum ritum ex Cæsare, Servio, & Lucano. Ovid. l. 3. de Arte:

——— *Multos incædua sylva per annos.*

DE ARIS EARVMQVE IMMVNITATIBVS ET IVRE.

De nomine, proprietate, usu & dedicatione earum vide infra l. 2. cap. 2. Hoc loco tantum de earum immunitate & jure dicendum est, quas inviolabiles voluere antiqui esse. Hinc dixit M. Tullius *in aram Tribunatus confugere*, post reditum in Senatu. L. Flor. lib. 2. cap. 12. *Absens victus fugit in maria, insulamque Samothracem, fretus celebri religione: quasi templa & aræ possent defendere, quem nec montes sui, nec arma potuissent.* Confugientes itaque in fana immunitatem impunitatemque consequebantur, si aras fuissent amplexi. Lutat. Placid. Grammaticus ad Papinii lib. 12. Thebaid. vers. 481. P. Terent. Heautontimorum. Act. 5. sc. 2.

Ne te admisce, nemo accusat Syre te, nec tu aram tibi,
Nec precatorem pararis.

Quare *ara confugii* vocatur. Stat. l. 12. Thebaid.

Sic sacrasse loco commune animantibus ægris
Perfugium.

Ovid.

Ovid. l. 4. Triſt. eleg. 5.
Vnica fortunis ara reperta meis.
Et l. 2. de Ponto eleg. 8.
Vos eritis noſtræ portus & ara fugæ.
Vos ego complectar, Geticis ſi cingar ab armis,
Vtque meas Aquilas, veſtra ego ſigna ſequar.
Ad hunc morem alluſit P. Maro lib. 2. Æneid. de ara Hercæi Iovis, ad quam Priamus, aliique Troiani confugerant, dum urbem Græci diriperent, ut ab injuria hoſtium tuti forent.
Hic Hecuba, & natæ nequicquam altaria circum
Præcipites atra ceu tempeſtate columbæ
Condenſæ, & divum amplexæ ſimulachra tenebant,
Prima immunitatis hujus inſtitutio, fovendæ Reipublicæ utiliſſima, & à civitatum conditoribus ideo introducta, *ne humilioris ſortis homines, à potentioribus injuriam paterentur*, ut definitur à Martiano Auguſt. l. 6. C. de his qui ad Eccleſ. confug. illud eſt quod in conſtitutionibus habetur: ὁ ἢ διὰ δυνατὸν πρόσωπον τῇ ἐκκλησίᾳ προσφεύγων, *qui propter potentem perſonam ad Eccleſiam confugerit*: quod & jure canonico pari ratione eſt cautum *c. inter alia. de immunitat. Eccleſiar.* quæ omnia ſunt intelligenda, modo ad aram vel templum fugiens, injuriam alteri non intulerit, nam *illata injuria poterat ab ara ipſa avelli.* Caliſtratus I.C. *l. 28. ff. de pœn.* pulcherrima eſt Cæſtii diſſertatio apud C. Tacitum Annal. l. 3. *Faſſus quidem eſt principes inſtar deorum eſſe, ſed addidit neque à diis injuſtas ſupplicum preces audiri, neque quemquam in Capitolium, aliudque urbis templum perfugere, ut ea occaſione arrepta flagitiis magis ac magis inquinetur.* De quo ritu multa egregia Iuſtus Lipſius ad eundem librum: id autem non in Latio tantum aut more Romano, ſed etiam Græco receptiſſimum reperio. Æmilius Probus ſeu Cornelius Nepos in vita Pauſaniæ: *Itaque huic indici, quid fieri vellent, præceperunt; fanum Neptuni eſt Tænari, quod violari nefas, putant Græci, eò ille index confugit, in ara conſedit.* Hæc eſt illa ara quam idem auctor in Timothei vita *publicæ pacis* appellat; & meminit Plutarchus in Cimonis vita. Euripid. in Hecuba:
Ἀλλ' ἴθι ναοῖς, ἴθι πρὸς βωμοῖς.
Sed vade ad templa, vade ad aras.
Confugium illud non niſi deplorato ſtatu, & ſalute deſperata. Virgil. l. 2. Æneid. v. 574. de Helena:
——— *Atque aris inviſa ſedebat.*
Ab aris autem ſine piaculo nemo avelli poterat, ut jure Pyrrhus ille Neoptolemus vituperetur, qui Priamum regem ſupplicem, ut habetur eodem libro v. 550.
——— *Altaria ad ipſa ſedentem*
Traxit, & in multo lapſantem ſanguine nati.
Quæ ita accipienda ſunt, ut magni alicujus ſceleris reus eò fugiens, igne admoto cogeretur ſponte inde diſcedere, obſervavit eruditiſſimus Hadrian. Turneb. l. 9. cap. 12. Et eſt locus inſignis M. Plauti in Rudente Act. 3. ſc. 4. ubi ſic Labrax:
Mihi non liceat ancillas meas Veneris de ara abducere.
Poſtea deinde dæmones reſpondent:
Ergo dabo ignem.
L. Sen. Herc. fur. v. 505.
Congerite ſylvas, templa ſupplicibus ſuis injecta flagrent.
At obſtructis valvis fame enecabant. Ælian. l. 9. c. 41. Idemque juris principum Romanorum ſtatuis conceſſum erat, ſive illæ in fano aut loco augurato, ſive in triviis, ut teſtatur IC. *l. 17. ff. de ædilit. edicto.* L. Seneca lib. 1. de Clement. cap. 18. C. Sueton. Tiber. cap. 53. & dicam abundantiſſime alibi: nec minus templis datum, differam l. 2. cap. 2.
Aras juraturi tenebant, ſive, ut loquitur M. Tullius pro L. Cornelio Balbo, *ut mos Græcorum eſt, jurandi cauſa ad aras accedebant.* Iuſtin. l. 24. principio; *Ptolomæus ſumptis in manus altaribus contingens ipſa ſimulachra & pulvinaria deorum, inauditis ultimiſque execrationibus adjurat.* Iuvenal. Sat. 13. v. 89.
Atque ideo intrepidi quæcunque altaria tangunt.
Vet. ſcholiaſt. *ſine ullo timore pejerant.* Et ſat. 14. v. 219.
Falſus erit teſtis, vendet perjuria ſumma
Exigua, & Cereris tangens aramque pedemque.
Idem vetus interpres, *ut perjurus erit.* Sed hæc præoccupavit incomparabilis B. Briſſonius in libris lectionis multiplicis & judicii limatiſſimi de Formulis. Quod non tantum inter litandum aut ſacrificandum fiebat, ut obſervat Aurel. Theodoſ. Macrobius l. 3. Saturn. cap. 2. ſed etiam inter jurandum. Æmil. Prob. in Hannib. *ad aram adduxit, apud quam ſacrificare inſtituerat, eamque cæteris remotis, tenentem jurare juſſit.* Sil. Italic. lib. 1.
Stant aræ cælique Deis.
Subjungit deinde:
Hanc mentem juro noſtri per Numina Martis,
Per manes regina tuos.
Vnde Latinus ille Virgilianus l. 12. Æneid.
Tango aras, medioſque ignes, & numina teſtor.
Denique & morituri aras deorum amplecti jubebantur, quod neſcio an ulli hactenus obſervatum. L. Seneca in Herc. fur. Act. 2. ſc. 3. ubi Lycus ad Megaram quam interficere volebat:
Conjugia quoniam pervicax noſtra abnuis,
Regemque terres, ſceptra quid poſſint, ſcies.
Complectere aras, nullus eripiet deus,
Te mihi.
Quo ſenſu accipio illud C. Plinii l. 35. cap. 10. *Timanthi eſt Iphigenia, oratorum laudibus celebrata, quâ ſtante ad aras peritura, cum mæſtos pinxiſſet omnes, patris vultum velavit.*
Q. Horat. l. 2. ſat. 3.
Tu cum pro vitula ſtatuis dulcem, Aulide, natam
Ante aras, ſpargiſque mola caput improbe ſalſa.
Virgil. l. 2. Æneid. v. 255.
——— *Vos aræ, enſeſque nefandi*
Quos fugi, vittæque Deûm, quas hoſtia geſſi.
T. Lucret. Carus de rerum Natura l. 1.
Aulide quo pacto Triviai virginis aram
Iphianaſſai turparunt ſanguine fædo
Ductores Danaum delecti.
Vel ut alii ex Priſciano Cæſarienſi legunt:
Iphianaſſæo turparunt ſanguine.
Legendi formularii, nam in ſacris receptiſſimum vocabulum *ſtare ad aras*, de hoſtia ferienda, aut immolanda.

DE AREA.

Area quid ſit expendendum hîc, quòd tam frequens arearum mentio in hac regione, & in aliis. Igitur præter ſignificata Grammaticorum *Crates pectoris humani* denotat, ut notat Ioan. Savaro doctiſſimè ad Sidonium ſuum l. cap. 13. deinde *ſpatium illud ante deorum ædes, quod in privatorum ædificiis veſtibulum vocatur, in templis* area *ſolet nuncupari.* Inde *Vulcani area.* A. Gell. l. 4. cap. 5. Spei, Minervæ, Fidei, & Capitolini Iovis aream, apud Suetonium, Plinium, & Vitruvium, alioſque auctores reperio, & Critici annotarunt: & *Circi area*; Ovid. l. 6. Faſtor.
Proſpicit à tergo ſummum brevis area Circum.
Livius 3. Dec. l. 5.
Vt multitudinem area Capitolii non caperet.
Sed quod nemo in hunc diem notavit, *Area* in campo Martio tyronibus exercendis, atque ut inambulationis gratia baſilicis, templis, faniſque deorum addita loca vacua, quæ Feſtus l. 1. *areas* appellat, quæ nempe ſint *æqualitate tabularum ſtrata*, ut loquitur Iſidorus Hiſpalenſis Etymolog. l. 15. cap. 13. ita quod inter Tibridem fluvium, & ſepta, interjacebat ſpacium, tyrocinio militum devotum erat, & area dicebatur. Locus eſt egregius Horatii l. 1. od. 9.
Nunc & campus & area
Leneſque ſub noctem ſuſurri
Compoſita repetantur hora.
Quem locum male exponit Floridus Sabinus l. 1. ſubſecivor. cap. 9. quem locum male etiam eruditi de Circo Romano putant intelligendum. Claudian. de 6. Honor. Conſul.
Hic & belligeros exercuit area luſus,
Armatos hic ſæpe choros, pulchraſque vagandi
Textas lege fugas, inconfuſoſque recurſus.

Quæ

Quæ ſane de Circo perperam, ut puto, Ioſephus Scaliger interpretatur Iſag. 2. in M. Manilium. Nam Claudianus antea de Circenſibus, iſto vero loco de campeſtribus agit, ſive militaribus exercitiis, quæ in campo Martio, aut verius ejus area. Nec citatus illi Martialis l. 10. epigr. 24. quicquam facit:
Sed vitæ tribus areis peractis
Lucos Elyſiæ petam puellæ.
Nam in vetuſto codice MS. eſt diſerte:
Sed vitæ tribus aureis peractis.
Vt fila intelligat fatalia, poëtarumque omnibus paginis celebrata, quæ *ferrea*, habebantur *mala*, *inauſpicata*; *aurea* vero *bona.* Res notiſſima paſſim. L. Sen. Apocoloc. de Neronis genethliaco:
Aurea formoſo deſcendunt ſæcula filo.
Denique de *area* in hoc ſignificatu M. Lucan. l. 6. videtur capiendus:
——— *Coit area belli.*
Et quia *areæ templorum* mentio facta eſt, adſcribam inſcriptionis antiquæ verba, eruta è marmore Neapolitano, quibus appareat, non modo in urbe, ſed & in coloniis municipiiſque areas ſacrarum ædium veſtibulis adjectas.
Ab. colonia. deducta. anno XC. Neuſido. M. F. M. Pollio. duovir. P. Rutilio. Cn. Mallio. coſ. operum. lex. II. lex. parieti. faciendo. in. area. quæ. eſt. ante. ædem. Serapis. trans. viam. qui. redemerit. prædes. dato. prædiaque. ſubſignato. duumvirum. arbitratu. hoc. opus. omne. tacito. arbitratu. duovir. &. duoviratium. qui. in. conſilio. eſſe. ſolent. Puteolis. dum. ne. minus. viginti. adſient. cum. ea. res. conſuletur. quod. eorum. viginti. jurati. probaverint. probum. eſto. quod. ei. improbaverint. improbatum. eſto.
Extat apud Wolfgangum Lazium l. 3. Commentar. Reipublicæ Romanæ cap. 2.

DE ARCVBVS TRIVMPHALIBVS, QVORVM FREQVENS IN HAC REGIONE MENTIO.

Inter pompæ triumphalis ornamenta numerabantur *arcus*, qui veluti victoriæ perpetuum monimentum erectum in urbe, hoſtes fuſos loquebantur. Vet. ſcholiaſt. Iuvenal. ad verſ. 136. Sat. 10.
——— *Et ſummo triſtis captivus in arcu.*
Erecti illi aliquando ſola libidine Imperatorum, adeò in urbe quatuordecim arcus ex hiſtoricis & P. Victore diligentiſſimo urbis Romæ deſcriptore enumeret Onufrius Panvinius, ſed ante Titum nemo Imperatorum *arcum triumphalem.* Barthol. Marlian. Topographiæ l. 4. c. 17. Et eſt locus inſignis C. Suetonii in Domitiano cap. 13. *Ianos arcuſque cum quadrigis, & inſignibus triumphorum per regiones urbis tantos, ac tot extruxit, ut cuidam Græce inſcriptum arcui ſit, Aream & calvitium:* Scio Turnebum legere Ἀρκεῖ, ſed cur non calvitium retineamus? maxime cum calvities probroſa cuilibet illo ſæculo, ſed præ omnibus Domitiano, cum idem Suetonius dicat, illum *calvitio fuiſſe deformem*; cap. 18. D. Auſon. in luculento de Cæſaribus ſuis opere:
Et Titus imperii fælix brevitate, ſecutus
Frater, quem calvum dixit ſua Roma Neronem.
I. Iuvenal. Sat. 4. v. 38.
——— *Semianimem laceraret Flavius urbem*
Vltimus, & calvo ſerviret Roma Neroni.
Vbi vetus ſcholiaſtes eadem illa explicat, ſed memoria lapſus, epigramma Auſonianum Martiali attribuit.
Flavia gens, &c.

A nominibus triumphantium dicti, vel Septimii Severi, Gallieni, Titi, Fabianus. L. Seneca de Sapientis Conſtantia cap. 1. Cornutus ſeu quilibet alius ad Perſii Sat. 4. v. 49. ante diem Triumpho præſtitutum à ſenatu extrui ſolebant. Claudian. de 6. Hon. conſul. ubi ad Honorium principem hæc Roma:
Aſt ego frenabam geminos, quibus altior ires
Electi candoris equos, & nominis arcum
Iam molita tui, per quem radiante decorus
Ingrediere toga.
M. Tull. Act. 2. in Verrem *fornicem Fabianum* appellat, ad quæ verba Aſconius Pædianus; *Arcus eſt juxta regiam, in ſacra via à Fabio cenſore extructus, qui à devictis Allobrogibus,* Allobrox *cognominatus eſt.*
M. Martial. lib. 8. epigr. 64.
Grande loci meritum teſtantur & altera dona,
Stat ſacer edomitis hoſtibus arcus ovans.
Secundus verſus mira varietate, ſed puto non male ſic poſſe lectionem priorem retineri, *edomitus* enim, *egelidus*, aliaque ſimilia, idem ac *domitus*, *gelidus*: ſi nihilominus arridet altera lectio, ſic interpungatur:
Stat ſacer, & domitis hoſtibus arcus ovat.
Et eſt inſcriptio Arcus elegans inter epigrammata veterum:
Ad divortia Rheni pervaſi hoſtiles depopulatus agros:
Dum tibi Roma decus, æternaque ſudo trophæa,
Iſter pacatus lenior ibat aquis.
Non tantum nomina ducum ſeu imperatorum triumphantium his arcubus inſcripta, ſed & hoſtium devictorum gens, geſta, habitus, & ſpolia inſculpebantur, veluti manſurum tropæum. Claudian. eodem opere:
Æraque veſtitis numeroſa puppe columnis
Conſita, ſubnixaſque jugis immanibus ædes,
Naturam cumulante manu, ſpoliiſque micantes
Innumeros arcus, acies ſtupet igne metalli,
Et circumfuſo trepidans obtunditur auro.
Idem lib. 3. de laud. Stilic.
——— *Septem circumſpice montes,*
Qui ſolis radios auri fulgore laceſſunt,
Indutoſque arcus ſpoliis.
Sed cum multi de horum arcuum forma prodiderint, nemo expreſſius elegantiuſve Aurelio Prudentio lib. 2. In Symmachum præfectum urbis:
Fruſtra igitur currus ſummo miramur in arcu
Quadrijuges, ſtanteſque duces in curribus altis
Fabritios, Curios, hinc Druſos, inde Camillos.
Sub pedibuſque ducum captivos poplite flexo
Sub juga depreſſos, manibuſque in terga retortis.
Nec veteris ſolum Romæ ea conſuetudo, ſed & novæ ſive Byzantii, Corripus Africanus poëta elegans qui inaugurationem Iuſtini Minoris Auguſti carmine proſequens, arcuum ſæpè meminit: ſed neſcio an triumphales illi; puto ſubita lignorum congeſtione in publica lætitia tantum erigi ſolitos; ea abſoluta tolli ſubvertique; cum illi qui in Italia, perpetuum manerent, ut dixi, monimentum. Ita igitur ille lib. 3. num. 6.
Quatuor in ſeſe nexos curvaverat arcus.
Et lib. 4. num. 1.
Roboribus flexis teretes curvaverat arcus
Artificum prædocta manus, trabibuſque cavatis
Affigens tabulas pendentes ſtruxerat ædes.
Et eodem libro num. 3.
Perque arcus vicoſque omnes adſtabat utraque
Parte favens vulgus.

REGIO VRBIS SECVNDA,

Cœlimontium.

Mons Cœlius, aliàs Querquetulanus, aliàs Auguſtus.
Cœliolus.
Subura.

Ceroliensis.

Vici XII.

Vicomagiſtri XXXII.

Cura-

Curatores II.
Denunciatores II.
Cohortes vigilum V.
Lupariæ in Subura.
Antrum Cyclopis.
Caput Africæ.
Arbor ſancta.
Mica aurea.
Spolium Samarium.
Luci duo.
Templum Tulli Hoſtilii.
Templum Bacchi.
Templum Fauni.
Templum divi Claudii.
Templum Deæ Carneæ.
Ædiculæ VIII.
Dianæ in Cœliolo.
Fortunæ Barbatæ.
Minervæ captæ.
Iſæum Metellianum.
Minervium.
Statua Equeſtris M. Antonini Imperatoris.
Ludus Matutinus.
Ludus Gallicus.
Regia Tullii Hoſtilii.
Armamentarium.
Caſtra peregrina.
Manſiones Albanæ.
Campus Martialis.
Campus Fontinarum, aliàs, Forinarum.
Campus Cœlimontanus.
Thermæ publicæ.
Balineæ privatæ XXC.
Lacus fund. ſine nomine LXV.
Macellum magnum.
Horrea XXIII.
Priſtrina XXIII.
Domus CXXXIII.

In his:

Domus Vectiliana, aliàs, Vitelliana.
Domus Philippi.
Domus Septem Parthorum.
Domus Laterani.
Cæſaris Dictatoris.
Mamurræ Formiani.
Tiberii Claudii Centumali.
Iunii Senatoris.
Stellæ Poëtæ.
Tib. Claudii Clypti Hymnologi.
Tetricorum.
Turris Mamilia.
Inſulæ CIↃ CIↃCIↃCVI.
Regio in ambitu continet pedes CCIↃↃ ∞ ∞ ∞ CC. id eſt, 13200.

PARALIPOMENA.

Ad Regionem ſecundam.

DE SVBVRA.

Non viam aut vicum, ut alii omnes ſcriptores, ſed *regionem urbis frequentiſſimam* appellat vetus ſcholiaſtes Iuvenalis ad Sat. 11. v. 50. Sed conſtat viam, non autem regionem fuiſſe, celebrem habitatione Cæſaris apud Suetonium cap. 46. niſi forte ante urbem ab Auguſto in regiones has quatuordecim diſtributam, quælibet via nomen regionis obtinuerit, quod forte verum eſt. Ideo Feſtus lib. 17. *Suburam ajunt appellatam & regionem urbis:* at urbe jam deſcripta, *Subura ſub terreo muro Carinarum ſecundæ regioni attributa*, inquit M. Varro lib. 4. de ling. lat. Si regioni attributa, ergo non fuit ipſa regio. Iuvenal. ſat. 10. v. 155. videtur in ipſa urbe non ſub muro Carinarum, ut Varro, collocare.

——— Niſi Pœno milite portas
Frangimus, & media vexillum pono Subura.

Hic tonſores tabernas ſuas meritorias habebant. M. Martial. l. 2. epigr. 17.

Tonſtrix Suburæ faucibus ſedet primis,
Cruenta pendent quà flagella tortorum.

Quod ſi verum, procul dubio *Subura* non in urbe, ſed extra pomœrium. Nam ſervus publicus, ſeu tortor in urbe habitare non poterat, ut dicam infra hoc opere. Hic etiam venales rure merces exponebantur, puta ficus, olivæ, poma, aliaque edulia. Martial. lib. 7. epigr. 30.

Quicquid villicus Vmber, aut colonus,
Aut Thuſci tibi, Tuſculique mittunt,
Aut rus marmore tertio notatum,
Id tota mihi naſcitur Subura.

Idem lib. 10. epigr. 94.

Hæc igitur media quæ ſunt mihi nata Subura,
Mittimus, Autumni cerea poma mei.

In primo verſu melius MS. *Quæ ſunt modo nata Subura*, jam empta in Subura, eo rure illata, & ob id veluti *modo nata*. In hac via erant & proſtibula impudicarum ſive fornices, infra hac regione, *lupariæ in Subura*.

Idem l. 9. epigr. 38. de meretrice:

Cum ſis ipſa domi, mediaque ornere Subura,
Fiant abſentes & tibi, Galla, comæ.

Scio locum de galericulo ſeu falſo capillamento poſſe ſumi, ſed diſertius l. 11. epigr. 62.

Summanianis inquinatior buccis.
Quem cum feneſtra vidit è Suburrana
Obſcœna nudum lena fornicem clauſit.

In tertio verſu non lena, ſed *Leda*, legunt docti, ut lenis formoſarum mulierum nomina fuiſſe impoſita judicari poſſit: Nam notiſſimi nominis productrix eſt *Leda* apud eundem lib. 4. epigr. 4.

Quod ſpurcæ moriens lucerna Ledæ.

Adi ad Q. Horatii interpretes Epod. od. 5.

Senem quod omnes rideant adulterum,
Latrent Suburanæ canes.

Vbi *canis* notiſſimo ſignificatu pro ſcorto uſurpatur, quod ut illud animal impudentiſſimum eſt, ita hæc projecti pudoris. Denique exprobratio illa Propertiana huc referenda l. 4. eleg. 7.

Iamne tibi exciderant vigilantis furta Suburæ,
Et mea nocturnis trita feneſtra dolis?

DE SCHOLIS.

Mentio in hac regione *ſcholæ capulatorum*. Diſcutiendum idcirco hoc loco, quid proprie *Schola*? Auſon. Eidyll. 32. ad nepotem, & eruditiſſimus Vinetus:

——— Graio ſchola nomine dicta eſt,
Iuſta laboriferis tribuantur ut otia curis.

Ob id locus in quo tyrocinia literarum exhibita, ſic dictus. M. Martial. l. 1. epigr. 36. l. 2. epigr. 64. præceptis ſcholam, exercitiis forum convenit:

Si ſchola damnatur, ſi litibus omnia fervent.

Et

Et lib. 3. epigr. 20.

An otioſus in ſchola poëtarum.

Inde tractum nomen ſcholaſtici, pro *tyrone*, qui primis veluti literarum inſtitutis informatur. Salvian. Maſſilienſ. lib. 1. de provident. Dei: *Id facere anniſi, non ut ſalubres & ſalutiferi, ſed ut ſcholaſtici & diſerti haberentur.* C. Suet. lib. de clar. Rhetorib. cap. 6. *Declamabat autem genere vario; modo ſplendide atque adornate; tum ne uſquequaque ſcholaſticus exiſtimaretur, circumcisè ac ſordidè.* Petron. Arbiter pag. 7. *tanquam ſcholaſtici ad cœnam promiſimus*, ut deſinat nugari Antonius Delrio in L. Senecæ Thyeſten, qui poëtam venuſtiſſimum eruditiſſimumque ineptiis ſuis ac frivolis commentis dehoneſtavit: certè in jure *ſcholaſtici* etiam advocati, officiales & ſcholaſtici lib. 2. apud Conſtantinum Aug. C. Theod. lib. 8. tit. 10.

Scholæ iſtæ in balneis teſte M. Pollione Vitruvio Architect. l. 5. c. 10. aut in porticibus C. Plin. lib. 35. c. 10. & erat ſeparata ſcholarum diſtinctaque conſecratio à balneis porticibuſque in quibus erat, vetus Marmor:

Bebryx. AV. F. L. Druſianus. A. Fabius. Xanthus. Cur. imagines. argenteas. deorum. ſeptem, ad. dedicationem. ſcholæ.

Traducta tamen verbi ſignificatio, & ad rem militarem converſa, Ammian. libr. hiſtor. 26. *memorat ſcholas capitum*, ſive præfectorum tyronibus exercendis. Sic intelligendus Claudianus de 6. Hon. Conſul.

——— Intonuit cum verbere ſigna magiſter,
Armatos edunt pariter tunc pectora motus,
In latus illiſis clypeis.

Invaluit tamen ut ad res ludicras transferretur, & eſſet *locus exercendis gladiatoribus*. Res nota omnibus. L. Flor. lib. 3. Hiſtor. cap. 20. *Spartacus, Cryxus, Oenomaus, effracto Lentuli ludo, cum triginta aut amplius ejuſdem ſortis viris eruperunt.* Aut in ſacris Græcorum certaminibus uſurpatur, Aurel. Propert. libr. 3. eleg. 13.

——— Virginei munera gymnaſii.

Denique ubi tyrones futuræ militiæ præparabantur, *ſchola* appellata. Magnus Caſſiodor. l. 5. epiſt. 23. *Oſtentent juvenes noſtri bellis, quod in gymnaſio didicere virtutis, ſchola Martia mittat examina, pugnaturus ludo, qui ſe exercere conſuevit in otio.* Editio G. Fornerii, *non oſtentent*, habet, ſed *oſtendant juvenes*, & poſt, non, *quod virtutis didicere*, ſed *quid virtutis*, melius Flav. Renat. Veget. l. 2. de re militari cap. 19. *In legionibus plures ſunt ſcholæ.* Et cap. 21. *In orbem quendam per diverſas cohortes, & diverſas ſcholas promoventur.* Neque modo militum, ſed & ſpeculatorum fuiſſe ſcholas diſco ex fragmento vetuſti marmoris.

Schola. ſpeculatorum. leg. I. & II. adju. piar. fidelium. Severinarum. refecta. per. eoſdem. quorum. nomina. infra. ſcripta. ſunt. dedicante. Fl. Æliano. leg. Aug. PR. PR. Kalend. Octob. Modeſto. &. Probo. coſſ.

Wolfgangus Lazius Reip. Rom. Commentar. l. 4. c. 13. ſcholam Martiam, ſcutariorum, ſagittariorum, gentilium, tyronum, ſpeculatorum, domeſticorum; Palatinam, notariorum, & denique agentium in rebus, allatis auctorum teſtimoniis, probat. At clarior à Iuſtiniano lux, qui *undecim militum ſcholas enumerat l. 33. C. de locato.* Erat præterea & *ſchola Palatinorum*, hoc eſt, protectorum, domeſticorum, aut in Palatio agentium. Iuſtinus Aug. l. 13. C. de Iudiciis *duarum librarum auri pœna afficere, per ſcholam Palatinam exigenda*, quam ille Palatinam appellat ſcholam, alii *domeſticorum* ſolent nuncupare, Suida auctore, & aliis, & eſt formula apud Aurelium Caſſiodorum lib. 8. epiſt. 12. & eſt pulchra comitum hujus ſcholæ deſcriptio apud Corippum Africanum de laudib. Iuſtini minoris Auguſt. lib. 3. num. 6.

Illis ſumma fides, & plena licentia ſacris
Deſervire locis, atque aurea fulcra parare,
Regales menſas epulis onerare ſupernis,
Conſervare domum, ſanctumque intrare cubile,
Internas munire fores.

Apud eundem vox ea ſæpe corrupta; ſive linguæ Græcæ inſcitia, ſeu licentia poëtis uſurpata; ſeu denique librarii incuria, legitur enim libro 3. num. 5.

Ornata eſt Auguſta domus, juſſuque regentis
Acciti proceres omnes, ſcholaque palati eſt
Iuſſa ſuis adſtare locis.

Poſſet ſic verſus in legitimos cogi numeros:

Acciti proceres omnes, ſcholaque alta palati.

Simile mendum irrepſit lib. 4. num. 2.

Protinus officiis ſummam tutantibus aulam
Ordinibus propriis, & priſco more notatis
Per ſcholas, turmaſque vocans.

Levi adjectione locus ſanabilis, hoc pacto:

Perque ſcholas, turmaſque vocans.

Parrhaſius ad Orat. Milonianam.

DOMUS STELLÆ POETÆ.

Solus Onuphrius in notitia urbis, Stellæ ponit domum, in ſecunda urbis regione; tacent P. Victor, & Sext. Ruffus, qui iidem tamen diligentiſſimè Romæ Topographiam expreſſerunt. Fuit ergo hic ſummi ingenii, nec minoris famæ poëta, temporibus Domitiani, ut puto, principis; quippe ejus cum Violantilla nuptias, cultiſſimo & terſiſſimo carmine exequitur P. Papinius lib. 1. ſylv. 2. inſigni ortum familia: ibidem eum celebrat Venus, eumque XV. virum Sibyllinis libris conſulendis vult fuiſſe v. 176.

Hunc & biſſenos (ſic indulgentia pergat
Præſidis Auſonii) cernes attollere faſces,
Ante diem, certe jam nunc Cybeleia novit
Limina, & Euboicæ carmen legit ille Sibyllæ.

Multus eſt in ejus encomio M. Valerius Martialis, *diſertum* appellat lib. 5. epigr. 60. *facundum* lib. 12. epigr. 3. celebraverat Columbam l. 7. epigr. 13. elegiaco carmine ſcripſit & Amatorio. Stat. libro ſylvaque citatis v. 98.

——— Armiferos poterat memorare labores
Claraque facta virûm, & torrentes ſanguine campos:
Hinc tibi plectra dedit, mitiſque incedere vates
Maluit, & noſtra laurum ſubtexere myrto.

Tam fœlix in eo calor, ut, ſive re vera ita ſe res habuerit, ſive adulatus tantum ſit Martialis, eum Catullo prætulerit libr. 1. epigr. 8.

Tanto Stella meus tuo Catullo,
Quanto paſſere major eſt columba.

Vetus marmor, ut puto, ejus meminit:

C. Ælio. Stellæ. fidei. monumentum.
Bithynia. erexit. SENECIONE. &. SVRA coſſ.
PATRONO optimo.

Vixit ergo uſque ad tempora Trajani Imperatoris cum fama & nomine. Nam ſub eo Senecio tertiùm, & Licinius Sura ſecundum coſſ. fuerunt, ut ex Faſtis Capitolinis liquet, & fuſiſſimè oſtendit Ioann. Cuſpinianus in Commentariis ad Magni Caſſiodori Chronicon, qui conſulendus. meminit & ejus forte alia inſcriptio apud Lazium lib. 6. cap. 1. Commentar. Reip. Rom.

C. Ceſtio. C. F. Stellæ. Sabino. Trib. coh. xiij.
VRB. PP. Legi. Adjutricis. P. F. Leg. viij. PR.
Coh. VIII. VRB.

REGIO TERTIA, ISIS ET SERAPIS MONETA.

Carinæ.

Vici VIII.

Vicus Albus.
Vicus Fortunæ vicinæ.
Vicus Anciportus.
Vicus Baſſianus.
Vicus Structorum.
Vicus Aſellus.

D

Vicus

Vicus Lanarius.
Vicus Primigenius.
Vicomagistri XXXII.
Curatores II.
Denunciatores II.
Caput Suburæ.
Tribus Gratiæ aureæ, aliàs, areæ.
Summum Choragium.
Caput Sacræ viæ.
Prætura præsentissima.
Lucus Cuperius Scholæ capulatorum.
Templum Isidis & Serapidis Monetæ.
Templum Concordiæ virilis cum delubro.

Ædiculæ octo.

Ædicula bonæ Spei.
Ædicula Serapidis.
Ædicula Sangi Fidoni.
Ædicula Minervæ.
Ædicula Isidis.
Ædicula Veneris.
Ædicula Æsculapii.
Ædicula Vulcani.
Porticus Liviæ, juxta templum concordiæ virilis.
Porticus Claudii Martialis.
Amphitheatrum Vespasiani, quod capit loca I Ɔ Ɔ Ɔ. C C I Ɔ Ɔ C C I Ɔ Ɔ I Ɔ Ɔ ∞ ∞ id est, 77000.
Ludus magnus.

Item:

Ludus Dacicus.
Ludus Mamertinus.
Castra Misenatium.
Castra Misenatium vetera.
Schola Quæstorum.
Schola Capulatorum.
Schola Galli.
Thermæ Titi Cæsaris Augusti.
Thermæ Trajani Cæsaris Augusti.
Thermæ Philippi Cæsaris Augusti.
Balineæ privatæ LXX.
Lympheum Tiber. Claudii Cæsaris Augusti.
Lacus Pastoris.
Lacus sine nomine LXV.
Horrea XXIX. aliàs, XIX.
Pistrina XXIII.
Domus CLX.

In his:

Aurea Neronis cum porticu.
Domus Bruttiani.
Domus Pompeiani.
Titi Cæsaris cum atrio, in quo fuit Laocoontis statua
Insulæ ∞ ∞ DCCCVII.
Regio continet in ambitu pedes C C I Ɔ Ɔ ∞ ∞ CDL. id est, 12450.

PARALIPOMENA.

De Regione Tertia.

DE SERAPIDE.

In hac regione ponunt Isidis & Serapidis templum auctores qui urbem descripserunt. Itaque hic de Serapide nonnulla obiter dicam, plura in lib. 2. infra rejecturus. Ægyptii per Isidem & Serapidem *cœlum* & *terram* significabant. Lactant. Firmian lib. 1. cap. 13. Artemid. lib. 5. cap. 26. χθόνιος ὁ θεὸς ἐνενόμιςαι. *Terrestris Deus esse putatus est.* At revera primus pretio medicinæ artem exercuit, quæ primitus gratuita erat. M. Varro in Eumenidibus:

Ego medicina Serapi utor.

Sic legitur apud Nonium Marcellum cap. 17. num. 104. At doctissimus Turnebus lib. 3. cap. 8. Adversarior. legit:

Ego medicina à Serapi utor.

Idem M. Varro:

Hospes quid miras nummo curare Serapim?
Quid? quasi non curet tantidem Aristoteles.

Huc refert illud M. Tullii lib. 2. de Divinat. *Quid convenit ægros à conjectore somniorum potius, quàm à medico petere medicinam? an Æsculapius, an Serapis potest præscribere per somnium curationem valetudinis?*

Neapolitani marmoris vetus fragmentum meminit apud Wolfgang. Lazium lib. 3. comment. Reip. Rom. cap. 2. Vnde liquet non tantum Romæ, sed & in coloniis municipiisque erecta Serapidi fana, verba adscribam:

A. Colonia. deducta. Anno. X C. Neusido. N. F. M.
Pollio. duovir. P. Rutilio. Cn. Mallio. coss.
Operum. lex. parieti. faciendo. in. area. quæ.
Est. ante. ædem. Serapidis, trans. viam.

Sed de solemni religiosoque ejus apud Ægyptios cultu statuaque mirando artificio pensili, Michael Glyc. Annal. parte 4. pag. 358. *adeo ut Capitolio Romano conferri possit*, Ammian. Marcell. lib. 22. in fine. Locus est Strabonis l. 17. Geograph. Κάνωβος ἔχουσα τὸ τοῦ Σεράπιδος ἱερὸν, πολλῇ ἁγιστείᾳ τιμώμενον, καὶ θεραπείας ἐκφέρον, ὥστε καὶ τοὺς ἐλλογιμωτάτους ἄνδρας πιστεύειν, καὶ ἐγκοιμᾶσθαι αὐτοὺς ὑπὲρ ἑαυτῶν ἢ ἑτέρων. Vertit Xylander: *Canopus habet Serapidis templum, religiose cultum, ut etiam nobilissimi viri ei credant, & pro se, vel pro aliis insomnia ibi captent.* Subdit deinde & oraculorum virtutes, & curationes infirmorum ibidem celebrari: eundem cum Osiride esse vult Martianus Capella lib. 2. de Nupt. Merc. & Philologiæ:

Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Osirim,
Dissona sacra Mithram.

Sed ejus sacra Romam translata, fanumque ei in Italia erectum docet M. Tullius lib. 3. de Natura deor. imo & indignatur: & dicam, ubi de peregrinis sacris agam. Eidem & in Græcia fanum, Thebis videlicet dedicatum reperio apud C. Plinium lib. 36. cap. 7. quod commune cum Libero patre erat, Pausan. Bœotic. & apud Romanos devoti templi meminit Michaelius Glycas, Annalium parte 4. pag. 349. Hunc consulebant ergo per somnia de valetudine sua solliciti. Artemidor. lib. 5. Oneirocrit. cap. 92. νοσῶν τις εὔξατο τῷ Σεράπιδι, εἰ μέλλει σωθήσεσθαι τὴν δεξιὰν αὐτῷ χεῖρα ὄναρ ἐπισείεσθαι, εἰ δὲ μὴ ἀριστεράν. *Quidam ægrotans precatus est Serapidem, ut si convaliturus esset, dextram manum ipsi in somnis concuteret, sin minus, sinistram.* De insigni ipsius in somniorum conjectionibus fide, adeundus C. Suetonius in Vespasiano cap. 7. *E plebe quidam debili crure, item alius luminibus orbatus, sedentem pro tribunali pariter adierant, orantes opem valetudinis, demonstratam à Serapide per quietem, restituturum oculos, si inspuisset.* Hæc quidem gentiles vario errore delusi finxere, cum constet Ægyptiorum regem fuisse, si fides Adoni Viennensi chron. ætate 3. pag. 23. Neque desunt, qui Iosepho liberatori suo, populum Ægyptium, honorem divinum nomine Serapidis detulisse, Otto Frising. lib. 1. cap. 15. Effigies ei erecta cum modio capiti imposito, Suida auctore, vel calatho, ut liquet ex Artemidoro l. 5. oneir. cap. 93. triplex forma, *leonis*, *canis*, *lupi*, quos suo volumine *serpens* includebat. Britannic. ad sat. 6. v. 536. Iuvenal.

Et movisse caput visa est argentea serpens.

Vetus tamen Scholiastes diversum sentit, *argentea*, inquit, *serpens quæ est in templo Isidis:* nisi forte dicamus in eodem templo Isidem & Serapidem consecratos, quod facile admiserim, Dio in actis anni 711. in fine: καὶ νεὼν τῷ τε Σεράπιδι καὶ τῇ Ἴσιδι ἐψηφίσαντο. *Et templum Serapidi Isidique consecrarunt*, l. 47. Plutarch. lib. de Iside & Osiride. Valer. Flacc. Argonaut. l. 4. forte huc facit:

Aspide cincta comas, & ovanti persona sistro.

Ovid. l. 2. Amor. eleg. 13.

Pigraque labatur circum donaria serpens.

Idolum istud non modo erroribus oppresso orbe consecratum lego, sed etiam ab ipsis ethnicis destructum, Dio Coccejan. l. 42. ἔδοξε γνώμῃ τῶν μάντεων πάντα αὖθις τά τε ἐκείνης, καὶ τὰ τοῦ Σεράπιδος τεμενίσματα κατασκάψαι. *Itaque aruspices iterum omnia templa Serapidis demoliri jusserunt.* ad hanc ædem solitos mendicos stipem exigere, licet conjicere ex M. Martiali lib. 9. epigr. 30.

Heu quæ lingua silet? non illam mille Catastæ
Vincebant, non quæ turba Serapin amat.

Ac si dicat adeo loquacem fuisse Philenem, ut dicacitate nec venales servi, (quos à loquacitate commendabat Augustus apud Suetonium) nec mendicabula, illi possint certare.

REGIO QVARTA, VIA SACRA, aliàs TEMPLVM PACIS.

Via sacra.
Ad Corneta.

Vici VIII.

Vicus Cyprius, post Sceleratus.
Vicus Eros.
Vicus Veneris.
Vicus Apollinis.
Vicus trium viarum.
Vicus Anciportus minoris.
Vicus Fortunatus minoris.
Vicus Sandaliarius.
Vicomagistri XXXII.
Curatores II.
Denunciatores II.
Carinæ caput.
Æquimælium.
Bucena aurea.
Sororium tigillum.
Meta sudans.
Caput Lynco.
Busta Gallica.

Templa X.

Templum Pacis, in quo inter cætera ornamenta erant Templi Hierosolymorum.
Templum Remi.
Templum urbis Romæ & Augusti.
Templum Veneris Cloacinæ.
Templum Divæ Faustinæ, cum porticu.
Templum Telluris in Carinis cum armamentario.
Templum Solis.
Templum Lunæ.
Templum Concordiæ in porticu Liviæ.
Templum divi Nervæ in foro transitorio.
Ædes Iani Curiatii.
Ædes Iunonis sororiæ in Carinis.
Ædes Salutis.

Ædiculæ VIII.

Ædicula Musarum.
Ædicula Spei.
Ædicula Mercurii.
Ædicula Lucinæ Valerianæ.
Ædiculæ Iunonis Lucinæ.
Ædicula Mavortii.
Ædicula Iuventutis.
Ædicula Isidis.
Volcanale, ubi lotos à Romulo sata.
Sacriporticus, aliàs, Sacriportus.
Porticus absidata.
Area Victoriæ.
Area Volcani, in qua sanguine per biduum pluit.
Sacellum Deæ Strenuæ.
Colossus Solis altus pedum CIIS. aliàs, CXX. habens in capite radios VII. singulos pedum XXIIS.
Apollo Sandalarius.
Odaeum.
Forum Transitorium, aliàs, Palladium, aliàs divi Nervæ, cum porticibus.
Forum Cupedinis.
Basilica vetus L. Æmilii Paulli.
Basilica Constantiniana.
Secretarium populi Romani.
Balineum Daphnidis.
Balineæ privatæ LXXV.
Lacus sine nomine LXXIX.
Arcus Titi Cæsaris Vespasiani Augusti.
Arcus L. Septimii Severi.
Arcus Constantini Augusti.
Horrea XIIX.

In his:

Cantharia, aliàs, Testaria.
Pistrina XXIV.
Domus CXXXVIII.
Regis Anci Marci in via Sacra.
Sp. Cassii Viscellini in Carinis, ubi postea templum Telluris fuit.
Domus Cn. Pompeii, post M. Antonii in Carinis.
Domus avita Ciceronum.
Domus alia C. Cæsaris in Sacra via.
Domus M. Manilii.
Domus Philippi in Carinis.
Domus D. Cœlii Balbini Imper.
Insulæ ∞ ∞ DCCLVIII. id est, 2758.
Regio continet in ambitu pedes C C I Ɔ Ɔ. ∞ I Ɔ Ɔ. id est, 14000. aliàs, ∞ ∞ C C I Ɔ Ɔ. i. 8000.

PARALIPOMENA.

Ad Regionem quartam.

DE VIA SACRA.

Nulla via historicorum scriptis celebratior legitur. Nomen traxit à fœdere inter Romulum & Tatium Reges ictum, quod nunquam sine prævio sacrificiorum apparatu, patet liquido ex Dionysii Halicarnassæi narratione lib. 2. meminit L. Seneca, qui *viam sacram celeberrimum locum* appellat lib. de consolat. ad Marciam cap. 16. & ante illum Asconius Pædianus Comment. in orat. 2. in C. Verrem. Totam autem velis intexit C. Cæsar, ut & forum Romanum, cui vicina fuerat. C. Plin. l. 19. c. 1. fine: Ibique ipse Iulius Dictator habitavit, ut liquet ex C. Suetonio in ejus vita cap. 46. & quod miror omnes urbis topographos omisisse, *signa fœderis initi in ea extabant, tempore Servii Honorati, regibus diverso itinere venientibus, Romulo à Palatio, Tatio à Rostris*, ad v. 641. lib. 8. Æneid. Sed illud omittendum non duxi. Plinium ab Ovidio dissentire; ille enim foro Romano: hic foro Cæsaris, viam sacram facit contiguam, lib. 3. Trist. eleg. 1.

Paruit, & ducens, hæc sunt fora Cæsaris, inquit,
Hæc est à sacris quæ via nomen habet.

Suspicor Xystos inambulationi idoneos aut in ipsa hac via, aut non longe ab ea fuisse. Nam Horat. l. 1. Serm. sat. 9. principio:

Ibam forte via sacra.

Et lib. Epod. od. 4.

Videsne sacram metiente te viam
Cum bis ter ulnarum toga.

Sext. Propert. lib. 2. eleg. 23.

Cui sæpe immundo sacra conteritur via socco,
Nec sinit esse moram, si quis adire velit.

Celebre hic & à multis rerum venalium emporium, rusticis in urbem commeantibus, & fructus villicos conferentibus. M. Terentius Varro de re rustica l. 1. cap. 2. *Hujusce, inquam,* (Cn. Tremellii) *Pomaria summa sacra via, ubi poma veneunt, contra auream imaginem*: & ob id *frequentissimum ementium vendentiumque consessum* retulit M. Tullius orat. pro Cn. Plancio. Ovid. lib. 1. Amor. eleg. 8.

Munera præcipue videat, quæ miserit alter,
Si tibi nil dederit, sacra roganda via est.

Et lib. 2. de Arte amandi:

Dum bene dives ager, dum rami pondere nutant,
Adferat in calatho rustica dona puer.
Rure suburbano poteris tibi dicere missa,
Illa tibi in sacra sint licet empta via.

Petronius in catalectis, seu quicunque alius auctor est Priapeiorum versuum:

Hæc quæcunque tibi posui vernacula poma,
De sacra nulli dixeris esse via.

Sext. Propert. lib. 2. eleg. 44.

Et cupit iratum talos me poscere eburnos,
Quæque nitent sacra vilia dona via.

Et licet certum sit, primam nominis imponendi occasionem à sacro fœdere defluxisse, inter reges icto, tamen non displicet sententia Verrii Flacci apud Festum Pompeium lib. 17. *Quod eo itinere utantur Sacerdotes Eidulium sacrorum causa conficiendorum*; vel ut loquitur M. Varro l. 4. de lingua Latina, *quod per eam sacra, quotquot mensibus feruntur in arcem, & per quam augures ex arce profecti solent inaugurare.* Denique quod nullus hactenus observavit, Theodosius Hispanus Aug. & filius Honorius in ea habitarunt, diserte Claudianus meus Paneg. de 6. Honorii consul.

Hinc te jam patriis laribus via nomine vero
Sacra refert.

Nisi forte indicari quis contendat, sacrificium diis Laribus à reduce Imperatore solutum intelligi, quorum ædem in Sacra via fuisse, præter alios loquitur C. Iul. Solinus Polyhist. cap. 2. sed nullum hujusmodi sacrum ab eo idolis falsisque figmentis portentorum oblatum dici potest, quum constet Christianæ addictissimum se exhibuisse pietati, omnibusque, quibus poterat, edictis, monstrosos Ethnicorum ritus sustulisse.

PARALIPOMENA.

De Dea Strenia. Et de strenarum ritu.

Vitiosum hujus deæ nomen; nam pro *strenia*, *strenuam* sciolus aliquis antiquitatis ignarus reposuerat; & sic concipitur in Romæ descriptione apud Onuphrium Panvinium pag. 175. & apud P. Victorem pag. 243. in quarta regione, & in eadem regione apud Sextum Rufum pag. 229. qui sacellum *Strenuæ* tantum nominat, cum alii ædiculam deæ *strenuæ*. Sed melius M. Terentius Varro lib. 4. de ling. Lat. *Ceroliensis à Carinarum junctu dictus Carinæ, postea Cerionia, quod hinc oritur caput sacræ viæ à Streniæ sacello.* Fest. Pomp. lib. 17. *Itaque neque eatenus quidem, ut vulgus opinatur, sacra appellanda est à regia, ad domum regis sacrificuli, sed à regis domo ad sacellum Streniæ.* Quo loco imperite nonnulli *Sireniæ* legere. Nam *Streniam* deam dictam, quæ *Xeniis seu muneribus Calend. Ian. dandis accipiendisque præesset*, auctor est D. August. l. 4. de civit. Dei, cap. 16. *Cui à strenuitate aut bellica fortitudine nomen deductum.* Non Marcell. c. 1. num. 56. ex Pomponio in Pistoribus, vel ut alii verius, in Pictoribus.

——— *Asside,*
Si qua est alia ventura strena strenuè.

Sed paulo altius res repetenda est, quanquam satis sciam aliis animadversam. Q. Florens Tertull. lib. de Idololatria: *Quid minus est inquinamenti eo quem præstat quæstus & nominibus & honoribus idolo nuncupatis, quàm Minervalia Minervæ, quàm Saturnalia Saturni, quam etiam serviculis sub tempore Saturnalium celebrari necesse est, etiam strenæ captandæ, & septimontium, & brumæ, & caræ cognationis honoraria exigenda omnia.* Ex quibus liquet inter præcipua Romanarum solemnitatum festa, *strenarum diem* fuisse. Vsus & origo à Romuli tempestate. Q. Symmach. l. 10. epist. 28. *Strenarum usus adolevit authoritate Tatii regis, qui verbenas fœlicis arboris ex luco Streniæ, anni novi auspices, primus accepit*: receptam eandem Calendis Ianuariis solemnitatem idem non obscure indicat eodem libro epist. 20. *Calendas anni auspices, quibus mensium recursus aperitur, impertiendis strenis dicavit antiquitas*: nomen hoc bonum tantum omen significabat. Fest. Pomp. lib. 17. Plaut. Sticho. sc. Salvete.

Bona, scava, strenaque obviam accessit mihi.

Legendum:

Bona scæva, strenaque hoc bolo accessit mihi.

Obscævare enim idem ac *vesci*. eadem Comœdia, sc. Libros:

Mustela murem mihi abstulit præter pedes eam strenua obsonavit.

Corrigit Palmerius in Spicilegio: *Eam strenam obscævavit.*

Vt *mus* fuerit *strena* aut *præda*, seu *bolus*, ut antea explicui *mustelæ*.

Ovid. ad Ianum lib. 1. Fastor.

At cur læta tuis dicuntur verba Calendis,
Et damus alternas accipimusque preces?

Eo igitur die quo strenas missitabant, prodigii instar habebant verba inomina, sive ominosa, abundantissime docuit I. Lipsius ad Taciti Annales. Idem Ovid. lib. 3. trist. eleg. 13.

Concipiamque bonas ore favente preces.

Et eam ob causam *novus consul omina fausta capturus annum novum aperiebat.* Aurel. Cassiod. lib. 2. epist. 1. l. 1. C. Theod. ne publ. læt. Stat. lib. 4. sylv. 1.

——— *Insignemque aperit Germanicus annum.*

Neque vero munera hæc lætitiæ insignia alio nomine, quam *strenarum* appellari fas erat, & quia Vlpianus ἐπινομίδα *distributionem, largitionemque* appellat, τὴν ὑπὸ Ῥωμαίων καλουμένην στρηνὰν κατά τινα πατρίαν παράδοσιν λεγομένην, καὶ διδομένην τοῖς φίλοις, *vocatam à Romanis strenam, patria consuetudine sic dictam, amicisque dari solitam*, à Cynulco graviter increpatur apud Athenæum lib. 3. Dipnosophist. cap. 10.

Dona hæc, seu strenam, *auro ducta munuscula*, interpretatur Symmachus lib. 10. epist. 28. offerri solebant patronis à clientibus. Docte nec minus pulchre M. Martialis lib. 8. epigr. 33.

Hoc

Hoc linitur sputo Iani Cariota Calendis,
Quam fert cum parvo sordidus asse cliens.

Et æque diserte lib. 13. epigr. 27.

Aurea porrigitur Iani Cariota Calendis,
Sed tamen hoc munus pauperis esse solet.

Aut Senatus totaque civitas, veluti publico suo parenti, imperatori strenas largiebatur, Magnus Cassiod. lib. 6. epist. 7. *supplicum per te fortunas erigimus, Calendis Ianuariis affatim dona largimur, & lætitia publica militia tua est.* Idem Byzantii invaluisse liquet ex Corripo Africano de rebus Iustini minoris lib. 4. num. 2.

Dona Calendarum, quorum est ea cura, parabant
Officia.

Introducta, quantum suspicari licet, hæc consuetudo ab Augusti sæculo. C. Sueton. in eo cap. 57. *Omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto pro salute ejus stipem jaciebant; item Calendis Ianuariis, strenam in Capitolio, etiam absenti, ex qua summa pretiosissima dearum simulachra mercatus, vicatim dedicabat, ut Apollinem sandaliarium, & Iovem Tragœdum.* Post eum mos idem sub Tiberio principe retentus, idem Sueton. in eo cap. 34. *Quotidiana oscula prohibuit edicto, item Strenarum commercium, ne ultra Calendas Ianuarias exerceretur.* Impudentius multò scurriliusque C. Cæsar Caligula apud Sueton. in eo c. 42. *edixit, & strenas ineunte anno se recepturum, stetitque in vestibulo ædium Calendis Ianuariis ad captandas stipes, quas, plenis ante eum manibus & sinu, omnis generis turba fundabat.* Neque modo accipiebant imperatores strenas, sed stipem emendicabant, ut patet ex loco Tranquilli jam citato, cui addendus alter ex Augusti vita c. 91. *Ex nocturno visu etiam stipem quotannis certo die emendicabat à populo, cavam manum asses porrigentibus præbens.* Quem ritum observabat vir eruditus Iac. Casellius Durantius variar. lect. c. 20. quem miror alios suppresso nomine transcripsisse. Ammian. lib. 16. *Inductis quadam solemnitate, agentibus in rebus, in consistorium ut aurum acciperent, inter alios, quidam ex eorum consortio, non ut moris est, expansa chlamyde, sed utraque manu cavata accepit, & Imperator, rapere, inquit, non accipere sciunt agentes in rebus.* Rapina ergo per manum cavam expressa, ingenua & liberalis usurpatio, reive acceptio per sinum togæ expansum significabatur: quo sensu Æl. Lampr. in Commodo Aug. *Agebanturque omnia per alios, qui etiam condemnationes in sinum vertisse dicuntur.* Plin. lib. 36. c. 15. *Scaurus toties princeps civitatis, & Marianis sodalitiis rapinarum provincialium sinus.* Inde formulæ istæ locutionum manarunt, *ferre sinu*, Q. Horat. lib. 2. sat. 3.

——— *Talos Aule, nucesque*
Ferre sinu laxo.

Vacuo sinu remittere, M. Martial. l. 10. epigr. 78.

Rectorem vacuo sinu remittes.

Et sane is mendicantium ritus non manum protendere, sed laxum togæ gremium. L. Apul. libr. 8. Metamorph. *Stipes æreas, imo vero & argenteas, multis certatim offerentibus, sinu recepere patulo, nec non & vini cadum, & lactem, & caseos, & farris, & siliginis aliquid.* Rutil. Numatian. Gallus Itinerarii sui lib. 1.

Ditia pacatæ dent vectigalia terræ:
Impleat Augustos barbara præda sinus.

Qui secus fecisset, non carebat avaritiæ rapacitatisque argumento, unde pastor ille Virgilianus Eclog. 1. graviter conquerens ait:

Non unquam gravis ære domum mihi dextra redibat.

Et amica avara apud Albium Tibullum l. 2. eleg. 4.

Nec prosunt elegi, nec carminis auctor Apollo,
Illa cava pretium flagitat usque manu.

Corripus Africanus de laudib. Iustini l. 4. n. 1. idem in solemnitatibus Circensium ludicrorum observatum ostendit, in quibus missilia seu sparsiones, aut principum donativa; non manu, sed toga protensa accipere solitum insinuat:

Liberius spectare oculis, manibusque favere,
Et donis aptare sinus, quæ plurima consul
In Plebes missurus erat.

Vltimæ deinde & plebejæ multitudinis rapacitatem adumbraturus subdit:

——— *Palmasque capaces*
Tondere, quo veniens late pluat aureus imber.

Et dixerat antea:

——— *Exertas ad munera tendere dextras.*

Eodem libro Num. 2.

——— *Prætendunt dextras, & præmia sumunt.*

Et libro eodem Num. 3.

——— *Palmasque sinusque parabat.*

Dixi multis ad illud Claudiani l. 2. in Ruffinum, quem constat avaritia omnes mortales superasse.

Dextera quin etiam ludo concessa vagatur
Æra petens, pœnasque animi persolvit avari
Terribili lucro, vivosque imitata retentus
Cogitur adductis digitos inflectere nervis.

Denique *fur manuarius* dicitur A. Gellio l. 16. c. 7. Et sic intelligendus Laberii antiqui poëtæ versus in Fullone, Fullonicis.

Manuari pudorem perdidisti.

Sed ut ad strenas, unde digressus sum, revertar, Imperatores dantib. sibi & offerentib. strenas, pares aut majores reddebant. C. Sueton. Tiber. c. 34. *Consueverat quadruplam & de manu reddere, sed offensus interpellari se toto mense ab iis, qui potestatem sui, die festo non habuissent, ultra non reddidit.* D. Auson. epist. 2. cujus Epigraphe sic concepta *ad Vrsulum Grammaticum Trevirorum, cui strenas Calendis Ianuariis ab imperatore non datas, reddi fecit.* Sequitur deinde in epistola:

Primus jucundi fuit hic tibi fructus honoris,
Augustæ faustum munus habere manus.
Proximus ex longo gradus est, Quæstoris amici
Curam pro strenis excubuisse tuis.

Ad quem locum doctissimus Vinetus videatur, quem suspicor in corruptum codicem incidisse. Nam locum Nonii supra à me citatum, aliter quam legi debeat profert.

——— *Asside pistoribus*
Si qua alia ventura est strena strenue.

T. Pomponius Comœdiam scripserat, cui epigraphe indita, *pistores*; itaque Nonius citarat primum opus, deinde verba expressit. Sed quum nimiam licentiam vellet reprimere Tiberius, ne strenæ amplius darentur, edicto perpetuo cavit. præter Sueton. loco citato, Dio Coccejan. l. 57. ὁ δὲ δὴ Τιβέριος ἐπεὶ καὶ μετὰ τὴν νουμηνίαν τινὲς ἀργύριον αὐτῷ προσενεγκάν, οὔτε ἐδέξατο, καί τι καὶ γράμμα περὶ αὐτοῦ τούτου ἐξέθετο ῥήματι τινὶ μὴ λατίνῳ χρησάμενος. *Tiberius strenam à quibusdam oblatam non accepit, eaque de re edictum proposuit, in ea voce non Latina usus.*

Interdixit quidem Tiberius, & edicto sustulit strenarum commercium, ut & primæ ecclesiæ constitutiones, can. *non observetis* c. 26. quæst. 7. *Non observetis dies, qui dicuntur Ægyptiaci, aut Calendas Ianuarii, in quibus cantilenæ quædam, & commessationes, & ad invicem dona donantur, quasi in principio anni boni fati augurio.* Quo loco dissuadet quidem Ecclesia missionem munerum, at diserte prohibet *can. si quis, quæst. eadem, Si quis Calendas Ianuarii ritu paganorum colere, vel aliquid plus novi facere propter annum novum, aut mensas cum lampadibus, vel eas in domibus præparare, & per vicos & plateas cantores, & choros ducere præsumpserit, anathema sit.* Quo referendum illud Q. Flor. Tertull. lib. de idololat. *Saturnalia, & Calendæ Ianuariæ, & brumæ, & matronales frequentantur, munera commeant, strenæ commeant, lusus, convivia constrepunt.* Sed hæc de strenarum abusu, non vero legitima consuetudine intelligenda sunt, quandoquidem moderatum usum admisere imperatoria edicta. Anastasius Aug. Eustathio l. 4. C. de advocat. divers. Iudicum. *Laudabile vitæque hominum necessarium advocationis officium, maxime principalibus præmiis oportet remunerari, ideoque jubemus viros clarissimos, fisci, pro tempore, patronos, fori tuæ celsitudinis, solemni die festivitatis Calendarum Ianuariarum ipsius tantummodo anni, quem per tale peragunt officium, inter spectabiles sacri nostri consistorii comites, divina serenitatis nostræ manu puncti, consequi solatia.* Qua in lege, *solatia*, *strenas* glossa Accursiana reddit, quanquam sciam alios ex Vlpiano IC. *l. 1. ff. de Commun. præd.* non male interpretatos, *solatia, laboris præmia, mercedem.*

Porro

Porro ſunt qui putent idem eſſe *ſtrenas* & *Xenia*, ſed falſi illi, Hieron. Wolfius vir alioqui doctus interpretatus Suidæ verſiculum ex Archilocho poëta tranſcriptum:

Ξένια δυσμενέσι λυγρὰ χαριζόμενος.

Vertit male:

Strenas hoſtibus acerbas largiens.

Nam *Xenia* pro *Minervali advocatorum*, ſeu *ſupernumerario munere*, C. Plinius Iunior l. 5. epiſt. 14. uſurpat: *Quem me juvat, quod in cauſis agendis, non modo pactione, dono, munere, verum etiam Xeniis ſemper abſtinui.* Morem indicat eorum, qui à clientibus ſordide, & cum dedecore dona ſibi dari poſtulabant. Quo reſpexit Aurel. Macrob. l. 1. Saturnal. c. 7. *Occaſione Saturnaliorum per avaritiam, à clientibus ambitioſe munera exigebant; ſed cum id onus tenuiores gravaret, Publicius Trib. pleb. legem tulit, ut non niſi Cerei ditioribus miſſitarentur.* Licet aliam cauſam aſſignet Cereorum miſſorum in Saturnalibus, nempe *ut Saturnum antea humana hoſtia coli ſolitum, accenſis in ara ipſius luminibus, placarent*; ejuſdem libri cap. 11. quo ritu M. Martial. l. 10. epigr. 87.

Linguis, omnibus & favete votis,
Natalem colimus, tacete lites,
Abſit cereus aridi clientis.

Vel certe dona quæ hoſpitibus oblata ἀπὸ τῶν ξένων *Xenia* dicebantur; M. Pollio Vitruv. Architect. l. 6. cap. 9. *qualia erant pulli, olera, ova, poma, ſimileſque res agreſtes, hoſpitibus, ad cœnam invitatis, miſſæ.* Tertio Xenia ſunt quæcunque munuſcula à provincialibus per præſidem præfectumque contra jus faſque; vetueruntque ea aut exigi, aut oblata recipi, Valentinianus & Valens Augg. l. un. C. Theodoſ. l. 11. tit. 11. Vlpianus IC. egregie, ut ſolet, ex epiſtola divorum Severi & Antonini, l. 6. ff. de offic. proconſ. *non vero in totum*, inquit, *Xeniis abſtinere debebit proconſul, ſed modum adjicere, ut neque moroſe in totum abſtineat, neque avare modum Xeniorum excedat; nam valde inhumanum eſt à nemine accipere, ſed paſſim, viliſſimum eſt; & omnia, avariſſimum.* in antiquo Codice legebatur male *euxeniorum.* Pius Antonius Bartolinus cap. 6. P. Ovidius l. 1. Amor. eleg. 10. eo reſpicit,

Non bene ſelecti judicis arca patet.
Turpe reos empta miſeros defendere lingua,
Quod faciat magnas turpe tribunal opes.

Ob hanc, ut puto, cauſam, prohibitum lata lege, ne magiſtratus in provinciam proficiſcentes uxores comitarentur, ne videlicet *fæminæ in avaritiam ſuapte natura propenſæ, potentia ſubnixæ, provinciales expilarent*, dicam alibi fuſe. Iuvenal. ſat. 8. v. 129.

——— *Si nullum in conjuge crimen,*
Nec per conventus, nec cuncta per oppida curvis
Vnguibus ire parat, nummos raptura celæno.

Vetus ſcholiaſtes, *ſi uxor*, inquit, *tua te adminiſtrante nihil rapit.* ultimo denique convivantium ſolemnis ritus, poſt epulas munuſculum aliquod ad cœnam vocatis, in teſſeram hoſpitii gratioris offerre, Plin. Iunior lib. 6. epiſt. 31. *adhibebamur quotidie cœnæ, erat modica, ſi principem cogites; interdum ἀκροάματα audiebamus, interdum jucundiſſimis ſermonibus nox ducebatur, ſummo die abeuntibus nobis (tam diligens in Cæſare humanitas fuit) Xenia ſunt miſſa.* M. Martial. l. 14. epigr. 1.

Divitis alternas & pauperis accipe ſortes,
Præmia convivæ det ſua quiſque ſuo.

Apophoreta appellata à C. Suetonio in Veſpaſiano cap. 19. & eſt locus apud L. Senecam qui eget manu medica lib. 1. de Benef. cap. 5. *Non poteſt beneficium manu tangi, animo cernitur, multum intereſt inter materiam beneficii, & beneficium: itaque nec argentum, nec quicquam eorum, quæ à proximis accipiuntur, beneficium eſt.* I. Lipſius putavit legendum, *nec quicquam eorum quæ pro ſummis accipiuntur.* Ianus Gruterus, *quæ aperto ſinu*, alii forte non male, *quæ pro maximis*, ſed omnium ex MS. commodiſſime, Franciſcus Modius Novantiquar. lect. epiſt. 28. *eorum, quæ pro xeniis accipiuntur.* Et ſic cum Apophoretis, Xeniiſque plerumque ſtrenæ confunduntur. Andreas Alciatus IC. Emblemate 45. & Minos ad eum locum:

Roſtra novo mihi ſetigeri ſuis obtulit anno,
Hacque cliens ventri Xenia, dixit habe.

Plura qui cupis, lege Homiliam D. Auguſtini *de Calendis Ianuariis*, quam debet poſteritas eruditiſſimo Savaroni, qui & eandem multiplici doctrina ſua illuſtravit.

DE COLOSSO SOLIS ET RADIATA CORONA.

Coloſſi in urbe multi fuerunt, *ænei triginta ſex, marmorei quinquaginta & unus*, ut teſtatur P. Victor. in 14. urbis regione. Porro hunc coloſſum in 9. reg. ponit urbis notitia: Sext. Rufus in 13. reg. ædem Antiquam Apollinis cum Coloſſo collocat, denique in reg. 10. Apollinis Palatini coloſſum ſtatuunt, altum quinquaginta pedibus M. Martial. l. ſpectacul. epigr. 2. & Theodorus Marcilius ibidem:

Hic ubi ſidereus propior videt aſtra coloſſus.

Et lib. 1. epigr. 71.

Nec te detineat miri radiata coloſſi,
Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus.

Et lib. 8. epigr. 44.

Ædemque Martis & coloſſum Auguſti.

Quo loco *Auguſtus* Martiali eſt *Veſpaſianus princeps, qui dempto capite Neronis, impoſuit caput Solis, ſeptem radiis inſigne*; erectum enim coloſſum in Solis honorem, ſatis conſtat ex iis, qui de ſeptem orbis miraculis poſt Plinium, Strabonem, Pauſaniam, Melam & alios prodiderunt. Commodus deinde *ablato Solis capite, ſuum impoſuit.* Æl. Lamprid. in eo. Herodian. lib. 1. ſed de longitudine ejus anceps eſt controverſia. P. Victor *centum duobus*, C. Suetonius in Nerone cap. 31. *centum viginti*, ſi modo is eſt, qui in Neronis veſtibulo ſtetit, cui conſonat C. Plin. l. 35. cap. 5. diſſentit, altitudinemque ponit *pedum centum decem*; Ioan. Xiphilin. in Veſpaſiano *pedum ducentorum viginti quatuor*; denique Euſebius l. de Temporib. & Aurelius Caſſiodorus in Chronico ſuo conſulari, *pedum centum ſeptem*; ut ſit mirum tantam de eadem re ſcriptorum diſcrepantiam reperiri.

Mutavit hic coloſſus ſæpius locum, nam & in veſtibulo domus aureæ Neronis ſtetit, ex Suetonio proxime citato, & in eo loco, ubi templum urbis erat, hoc in monte Palatino, ut multis oſtendo ad Claudiani illud l. 2. de laudib. Stilich.

Conveniunt ad tecta deæ, quæ candida lucent
Monte Palatino.

Tranſlatum autem coloſſum hunc ab Adriano Aug. prodit Æl. Spartianus in eo. in ſacra via ſtetiſſe oſtendit Dio Coccejan. l. 66. ἐπὶ δὲ τοῦ Οὐεσπασιανοῦ ἕκτον, καὶ ἐπὶ τοῦ Τίτου τέταρτον ἀρχόντων, τὸ τῆς εἰρήνης τέμενος καθιερώθη, ὅτε κολοσσὸς ὠνομασμένος ἐν τῇ ἱερᾷ ὁδῷ ἱδρύθη, φασὶ δὲ αὐτὸν τὸ ὕψος ἑκατὸν ποδῶν, καὶ τὸ εἶδος ἢ μὲν τὸ τοῦ Νέρωνος, ἢ δὲ τὸ τοῦ Τίτου ἔχειν, *Veſpaſiano ſextum & Tito quartum conſulibus, templum Pacis dedicatum eſt, & coloſſus ſacra via collocatus, quem ferunt fuiſſe altum pedes centum, imago Neronis erat, vel Titi, ut aliis traditum eſt.* Alter ejuſdem eſt locus l. 63. ad finem, quem ut ſolet, ad verbum Xiphilinus exſcripſit; καὶ μηδεὶς ἀπιστήσῃ, καὶ γὰρ τοῦ κολοσσοῦ τὴν κεφαλὴν ἀποτεμὼν, καὶ ἑτέραν ἑαυτοῦ ἀντιθεὶς, καὶ ῥόπαλον δοὺς, λέοντά τε τινὰ χαλκοῦν ὑποθεὶς, ὡς Ἡρακλεῖ ἐοικέναι. *Idque mihi omnes credent facilius, ſi intelligent eum abſciſſo coloſſi capite, ſui capitis imaginem repoſuiſſe, data ei clava, leoneque æneo ſubjecto, ut Herculi ſimilis eſſet.*

Coloſſus hic Soli ſacer, & ob id corona radiata inſignitus, talis enim diis majoribus gentium ſed præcipue Soli, Iovi & Baccho, & de Sole quidem Martian. Capella l. 1. nupt. *Solis Auguſtum caput radiis perfuſum circumactumque flammantibus.* Et poſt: *Septem radiorum coronam ſolivaga virginitas renudavit.*

P. Ovid. l. 2. Metam. fab. 1.

——— *Circum caput omne micantes*
Depoſuit radios.

De Iove, Claudian. de 3. Hon. conſul.

Quis non luciferum roſeo cum ſole videri
Crederet, aut junctum Bromio radiare tonantem.

Et Caſtores Latin. Drepan. paneg. Theodoſii, *Severi credidere majores, Caſtores geminos, albentibus equis, & ſtellatis apicibus inſignes: ſtellatum apicem* interpretor *Corona radiata ornatum.* Et Aurora, Claudian. lib. 2. in Eutropium:

Nec radiis redimita comam, nec flammea vultum.

Sed maxime radiatus Sol dicebatur. L. Sen. Herc. furente Act. 4. in choro: Ad cujus ſimilitudinem viri principes, qui dii haberi volebant, ſimilem coronam geſtabant. Latinus ille Virgilianus lib. 12. Æneid.

Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt
Solis avi ſpecimen.

Si ad Imperatores reſpicimus, longa eſt impietatis ſeries, qui ſtatuas ſibi erigi & aras, fana dicari, flamines inſtitui, non ſecus quam dii voluerunt: princeps ejus ritus uſurpator Auguſtus, *cujus ſpecies nocturna*, apud C. Suetonium cap. 94. *mortali ſpecie amplior cum fulmine & ſceptro exuviiſque Iovis opt. max. ac radiata corona*: quod fœdiſſimus adulator Vell. Paterculus ſignavit, lib. 2. hiſtoriæ ſuæ, *cum intraret urbem, Solis orbis ſuper caput ejus curvatus æqualiter, rotundatuſque in colorem arcus, veluti coronam, tanti mox viri capiti imponens.* Et *coronas, diſtinctas Solis ac Lunæ ſpecie* uſurpat Caligula Aug. Sueton. in eo cap. 45. Alluſit C. Plin. in panegyr. Trajani. *Illi jamdudum radiatum caput, & media inter Deos ſedes ſtaret auro & ebore.* Sic interpretor C. Taciti verba lib. 1. Annal. qui ait *Auguſtum primum ſpecie numinis coli voluiſſe*, hoc eſt, *additis ſimulachro ſtatuæ ſuæ radio, haſta & fulmine*, quod expreſſum eleganter ab Aurelio Prudentio lib. 1. in Symmachum:

Teſtantur tituli, produnt conſulta ſenatus
Cæſareum Iovis ad ſpeciem referentia templum.

L. Flor. lib. 4. c. 2. affectatum hunc ante Auguſtum à Cæſare dictatore, ſeu delatum honorem ab aliis inſinuat. *Itaque non ingratis civibus, omnes unum in principem, circa templa imagines, in theatro diſtincta radiis corona, ſuggeſtus in curia, faſtigium in domo, menſis in cælo.*

Sic de Cn. Pompejo ſuo M. Lucan. lib. 8.

Fulminibus manes radiiſque ornabit & aſtris.

Stat. de Domitiano lib. 1. Thebaid. principio:

Ipſe tuis alte radiantem crinibus arcum
Imprimat.

Et de ejus filio Silius Italic. lib. 3. Punicor.

——— ——— *Mediumque parens fraterque locabunt*
Siderei juxta radiabunt tempora nati.

Imo in privatis principum ædibus, radiatæ etiam coronæ uſus, diſco ex Claudiano lib. 1. de laudib. Stil.

——— *Radiis auri Tyriaque ſuperbit*
Majeſtate thorus.

DE BALNEO DAPHNIDIS.

P. Victor & Sext. Ruffus in quarta hac regione balneum Daphnidis reponunt, ſed quale id fuerit, neuter eorum explicat. An à *Daphnide ſervo* extructum? *cujus ingens pretium Cn. Piſaurenſi vendente, & M. Scauro licitante refertur fuiſſe trium millium ſeptingentorum ſeſtertiûm.* C. Plin. lib. 7. cap. 39. de quo intelligendum puto M. Martialem lib. 3. epigr. 5.

Protinus hunc adeas, primique in limine tecti,
Quos tenuit Daphnis, nunc tenet ille lares.

An quia Apollini ſacrum? in cujus tutela laurus, quæ frequenter circa balnea, aut in ipſis balneis creſcebat; quam ex Plinio & aliis *Daphnem* vocari ab etymologia Græca apertum eſt: quod luculento carmine ejuſdem Martialis conſtat, libr. 12. epigr. 50.

Daphnonas, Platanos, ac aërias Cypariſſos,
Et non unius balnea ſolus habes.

Qua occaſione venit in mentem celebrata Daphnes oppidi prope Antiochiam hiſtoria: cujus meminit Philoſtratus Lemnius in vita Apollonii Thyanæi lib. 1. cap. 12. ubi & lucus ingens, & opacus, fontanis aquis irriguus, in cujus medio eſt fanum Apollinis, & Dianæ, & aſylum, prope urbem Orontes labitur, adi ad Strabonem Geograph. lib. 16. nomen urbi indubie à lauro ſpectatiſſima deſumitur, quæ magna copia ibi viſitur. D. Auſon. in urbibus de Antiochia & Alexandria:

Tertia, Phœbææ lauri domus, Antiochia.

Cn. Pompejus Daphnenſibus aliquantum agrorum dedit, quo lucus ibi ſpatioſior fieret, delectatus amœnitate loci, ut loquitur Eutropius lib. 6. Ammianus Marcellin. lib. 19. *amœnum & ambitioſum Antiochiæ ſuburbanum Daphnem appellat.* Eſt & conſtitutio, *ne arbores inde cædantur*, lata à Theodoſio C. *de cupreſſis ex luco Daphnenſi, vel paſcuis per Ægyptum non excidendis* l. 11. Non ergo in hoc luco tantum lauri, ſed & magna aliarum arborum copia. Priſcian. Cæſarienſis ex Dionyſio in Periegeſi:

Hic nemoroſa virent Daphnes, loca celſa cupreſſus
Erigitur, ramos innectit laurus odora,
Crine Dionæo myrtus diffunditur, altæ
Conſurgunt pinus, & cœlum ſibila pulſant
Robora, mollicomis tellus inſternitur herbis.

Eadem Claudian. lib. 3. de raptu Proſerp.

Tollebant geminæ capita inviolata cupreſſus
Cæſpite vicino, quales non rupibus Idæ
Miratur Simois, quales non divite ripa
Lambit Apollinei nemoris nutritor Orontes.

REGIO QVINTA, ESQVILINA CVM TVRRI ET COLLE VIMINALI.

Mons Eſquilinus, aliàs, Ciſpius, Oppius & Septimus.
Mons Viminalis, aliàs, Faguralis.
Aggeres Tarquinii Superbi.
Clivus Vrbicus.
Vicus Patricius.

Figlinæ.

Puticuli, aliàs, Puticulæ in Exquiliis.
Spes vetus.

Vici XV.

Vicus Sucuſanus.
Vicus Vrſi pileati.
Vicus Minervæ.
Vicus Vſtrimus.
Vicus Palloris.
Vicus Sejus.
Vicus Silvani.
Vicus Capulatorum.
Vicus Tragœdus.
Vicus Vnguentarius.
Vicus Paullinus.
Vicus Paſiores.
Vicus Caticarius.
Vicus Veneris placidæ.
Vicus Iunonis.
Vicus Africus in Eſquiliis antiquus.
Vicomagiſtri LX.
Curatores II.
Denunciatores II.
Stationes cohortes cohort. vigilum VII.
Tabernola.
Tres tabernæ.
Lucus Poëtilinus.
Lucus Fagius, aliàs, Faguralis.

Lucus Esquilinus.
Lucus Querquetularius.
Lucus Mephitis.
Lucus Iunonis Lucinæ.
Lucus Viminalis, alias, Iovis Viminei.
Lucus Rubiginis.
Templum Iovis Fagutalis, alias Viminei.
Templum Iunonis Lucinæ.
Templum Minervæ Medicæ.
Pantheum.
Templum Silvani sub Viminali, cum porticu.
Templum Æsculapii.
Templum Veneris Erycinæ ad portam Collinam cum porticu.
Ædes Veneris Verticordiæ, extra portam Collinam, via Salaria.
Ædes Rubiginis via Nomentana, extra portam Catulariam.
Ædes Quietis extra portam Collinam.
Ædes Felicitatis.
Ædes Malæ Fortunæ.

Ædiculæ XVI.

Ædicula Fortunæ Seiæ.
Ædicula Veneris placidæ.
Ædicula Castoris.
Ædicula Pollucis.
Ædicula Silvani.
Ædicula Apollinis.
Ædicula Cloacinæ.
Ædicula Herculis.
Ædicula Mercurii.
Ædicula Martis.
Ædicula Lunæ.
Ædicula Serapidis.
Ædicula Vestæ.
Ædicula Cereris.
Ædicula Proserpinæ.
Ædicula Fortunæ parvæ.
Sacellum deæ Næniæ extra portam Viminalem.
Sacellum Querquetularium.
Sacellum Iovis Fagutalis.
Ara Iovis Viminei.
Ara Malæ Fortunæ.
Hercules Silvanus.
Isis Patricia.
Amphitheatrum Castrense.
Circus Aureliani cum obelisco.
Forum Esquilinum.
Basilica Sicini.
Regia Servii Tullii.
Campus Esquilinus.
Campus Viminalis sub aggere, in quo erat ædicula Fortunæ parvæ.
Horti Mecœnatis cum turri.
Horti Plautiani, alias, Planciani, alias Pallantiani.
Horti Torquatiani.
Castra Prætoria.
Vivarium.
Thermæ Olympiadis.
Thermæ Novati.
Balineum Pauli.
Balinea privata LXXV.
Nympheum Alexandri Imp.
Lavacrum Agrippinæ.
Lacus Promethei II.
Lacus sine nomine CLXXIX.
Castellum aquarum Marciæ, Iuliæ, & Tepulæ.
Arcus Gallieni.
Macellum Livianum.
Horrea XXIII.
Pistrina XXII.

Domus CXXC. In his:

Domus Regis Ser. Tullii.
Q. Lutatii Catuli.
M. Licinii Crassi divitis.
Aquilii Iure consulti.
P. Virgilii Maronis.
Propertii.
Aul. Persii.
C. Plinii Iunioris.
Licinii Imperatoris.
Insulæ ∞ ∞ DCCCL.
Regio habet in ambitu pedes CCIↃↃ IↃↃ DCCCCL. id est, 15950.

PARALIPOMENA.

Ad Regionem quintam.

DE PALLORE.

Palloris vicum in quinta regione ponunt notitia urbis, & Sext. Ruffus, qui & ædiculam eidem erectam in eadem hac regione scribit, vere, an secus ambigo. Cultum quidem, ut *omnes alios affectus humanæ mentis* prodidit D. Augustin. de civit. Dei l. 4. cap. 23. & amplius Lactant. Firmian. l. 1. Divinar. Institut. cap. 20. *Pavorem Palloremque Tullus Hostilius figuravit, & coluit, quid de hoc dicam, nisi dignum fuisse, qui semper deos (sicut optari solet) præsentes haberet?* ut sit mirum non describi à Topographis urbis, cum luculenta extet T. Livii narratio 1. Dec. l. 1. *Tullus Hostilius in re trepida duodecim vovit Salios, fanaque Pallori ac Pavori, equitem clara increpans voce, ut hostes exaudirent, redire in prælium jubet.* Sed non in urbe, verum extra urbis pomœrium *Pallori* structam ædem loquitur Plutarchus in Cleomene. Isti autem auctores tantum ea quæ in ipsis mœnibus continentur descripserunt.

Et recte *Pallorem* communi cum *Pavore* fano coluerunt, quia *ex timore* seu pavore nascitur *pallor*, *antequam pallescamus exangues simus*, inquit Servius l. 2. Æneid. v. 214.

Diffugimus visu exsangues.

Sive, ut idem loquitur ad v. 30. l. 3. Æneid. *pallor nascitur, cum se ad præcordia fugiens contrahit sanguis.* M. Tull. l. 5. de finib. bon. & malor. *Quis est enim, aut quotusquisque, cui, mors cum appropinquet, non refugiat timido sanguine, atque exalbescat metu.* Atque ita semper poëtæ: alios citari nihil expedit. unicus satis erit Claudian. l. 2. in Ruffin.

At procul exsanguis Ruffinum perculit horror,
Infectæ pallore genæ.

MS. meus diserte, & melius:

—— *Exsanguem Ruffinus perculit horror.*

Idem lib. de bello Gildon.

—— *Semper pallebit regia Bacchi.*

Et eodem opere:

Pallida

Pallida translatum jam sentiat Africa Rhenum.

Nempe calamitatis metu venturæ: idem paneg. de 3. Honorii consul.

—— *Famulis Gangem pallescere ripis.*

DE RVBIGINE AVT RVBIGO DEO.

Vt Furias & Tempestatem, aliaque pejoris mundi numina veteres coluerunt, ita & *Rubigum, ne obesset.* T. Livius 1. dec. libr. 1. in Numæ Regno. Lactant. Firmian. libr. 1. cap. 20. *Hæc enim semper est excusatio eorum, qui mala sua pro diis habent, ut Romani Rubiginem ac Febrim.* M. Terent. Varro Rei Rust. libr. 1. cap. 1. *Quarto Robigum & Floram, quibus propitiis neque rubigo frumentum neque arbores corrumpit, neque non tempestive florent: itaque publice Robigo feriæ Robigalia, Floræ ludi Floralia instituti.* Quæ ille *Robigalia*, Servius infra citandus *Rubiginalia* appellat. Iun. Columella libr. 10. de Re Rustica:

Hinc mala Rubigo virides ne torreat herbas,
Sanguine lactentis vituli placatur & extis.

P. Virgil. lib. 1. Georg.

Mox & frumentis labor additus, ut mala fruges
Esset Rubigo, segnisque horreret in arvis
Carduus.

Varro de ling. Lat. l. 5. *Robigalia Robigo dicta, secundum segetes huic Deo sacrificatur, ne rubigo occupet segetes.* Sed quale illud sacrificium? controversum. Moderatus Columella supra citatus, *sanguine lactentis vituli.* P. Ovid. lib. 4. Fastor.

Flamen in antiquæ lucum Rubiginis ibat,
Exta canis flammis, exta daturus ovis.

Sequitur deinde votorum conceptio:

Aspera Rubigo parcas Cerealibus herbis,
Et tremat in summa lene cacumen humo.

Sacrificium hoc *medio Vere* offerri solitum, ut est in fastis Capitolinis, hoc est, *septimo Calendas Majas.* Fest. Pomp. l. 16. *Robigalia dies festus 7. Calendas Majas, quo Robigo Deo, quem putabant rubiginem avertere, sacrificabant.* Concors ei C. Plin. lib. 18. cap. 29. *Tria tempora fructibus metuebant, propter quod instituerunt ferias, diesque festos, Rubigalia, Floralia, Vinalia. Rubigalia Numa constituit, anno regni sui undecimo, quæ nunc aguntur ad Septimum Calendas Maii, quoniam tunc fere segetes rubigo occupat.* Alii uno die prius, hoc est, *sexto Calend. Majas* volunt celebratum istud sacrum, Alexand. Neapolitan. lib. 6. cap. 8. At dissentit Servius Honoratus ad l. 1. Georgic. v. 151. *Rubigo genus est vitii quo culmi pereunt, quod à rusticanis calamitas dicitur. hoc autem genus vitii ex nebula nasci solet, cum nigrescunt, & consumunt frumenta, inde & Rubigus Deus, & sacra ejus decimo Calend. Majas Rubiginalia appellantur, sed hæc res abusive rubigo dicitur: nam proprie rubigo est (ut Varro dicit) vitium obscœnæ libidinis, quod hulcus vocatur, id autem abundantia & superfluitate humoris solet nasci, quæ græce σατυρίασις dicitur.* Legantur D. August. l. 4. de civit. Dei, Valer. Maxim. lib. 2. cap. 1. aliis notati. Hinc metaphorice *loquendi rubigo* apud Sidonium Apollinar. lib. 8. epist. 6. & *rubiginem linguæ abstergere* dixit D. Hieronym. in epistolis, de Malcho monacho; & *stylum rubigine, & situ obduci*, idem in Epistolis in Epitaphio Nepotiani. Denique M. Accius Plaut. Rudente Act. 5. sc. 2.

—— *Hoc volo hic ante ostium extergere:*
Nam hoc pol quidem è rubigine, non è ferro factum est.

Ex quo loco alia significatio hujus nominis, quam ab aliis supra discere possumus.

REGIO SEXTA, ALTA SEMITA.

Mons Quirinalis, alias, Agonius, Salutaris, Latiaris, & Mutialis.
Campus Sceleratus, ad portam Collinam.
Clivus Publicus.

Vici XIII. alias, XII. non enim connumerant vicum Bellonæ.

Vicus Bellonæ extra numerum.
Vicus Mamuri.
Vicus Albus.
Vicus Publicus.
Vicus Floræ.
Vicus Quirini.
Vicus Flavius.
Vicus Fortunarum.
Vicus Paccius.
Vicus Tiburtinus.
Vicus Salutis.
Vicus Calidianus.
Vicus Maximus.
Vicus Mustellarius antiquus, extra numerum.
Vicomagistri XLVIII. alias, LII.
Curatores II.
Denunciatores II.
Cohortes vigilum III.
Capitolium vetus.
Malum Punicum.
Decem tabernæ.
Ad Gallinas albas.
Pila Honoris.

Templa XV.

Templum Salutis in colle Quirinali.
Templum Serapium, alias Serapidis.
Templum Apollinis & Clatræ.
Templum Floræ.
Templum Veneris hortorum Sallustianorum.
Templum Quirini cum porticu.
Templum Minervæ Flavianæ.
Templum Fortunæ Sejæ.
Templum aliud Salutis.
Templum Fidei.
Templum Fortunæ liberæ.
Templum Fortunæ statæ.
Templum Fortunæ reducis.
Templum Fortunæ publicæ.
Templum Fortunæ primigeniæ.
Ædes divi Fidii in colle, alias, Sancti Fidii Semipatris.

Ædiculæ XVI.

Ædicula Fortunæ parvæ.
Ædicula Genii Liberorum.
Ædicula Genii Larum.
Ædicula Dianæ Valerianæ.
Ædicula Iunonis Iuliæ.
Ædicula Spei.
Ædicula Sangi, in qua lana, colus, & fusus Tanaquildis.
Ædicula Silvani.
Ædicula Veneris.
Ædicula Herculis.
Ædicula Victoriæ.

E Ædi-

Ædicula Matutæ.
Ædicula Liberi patris.
Ædicula Saturni.
Ædicula Iovis.
Ædicula Minervæ.
Sacellum Quirini.
Porticus Quirini.
Porticus Milliaria.
Area Callidii.
Statua Quirini alta pedes XX.
Statua Mamuri plumbea.
Statua Fortunæ publicæ in colle.
Statuæ duæ marmoreæ Alexandri Magni Bucephalum domantis, Fidiæ & Praxitelis.
Circus prope portam Collinam, juxta Ædem Veneris Erycinæ, cum obelisco, forte Salustii.
Circus Floræ.
Forum Sallustii.
Forum Diocletiani.
Senaculum Matronarum in colle Quirinali, quod Antonius Alagabalus fecit.
Horti Sallustiani.
Thermæ Diocletiani & Maximiani.
Thermæ Constantini in colle.
Balinea Paulli.
Balinea privata LXXV.
Lacus LXXV.
Bibliotheca Vlpia in Thermis Diocletiani.
Horrea XIX.
Pistrina XXIII.
Domus CLV. *In his:*
Domus Corneliorum.
Domus Attici.
Domus C. Salustii.
Domus Titi Flavii Sabini.
Insulæ CIↃ CIↃ CIↃ IↃV. id est; 3505.
Regio in ambitu continet pedes CCIↃↃ IↃↃ IↃC. id est, 15600.

PARALIPOMENA
Ad Regionem sextam.
DE SALVTE.

Salutem divino honore cultam, fanumque juxta portam salutarem habuisse, in monte Quirinali testantur Festus l. 17. Sext. Ruffus in *alta semita*, P. Victor in 6. reg. Templum ejus frequenter memoratur, Bartholom. Marlian. Topogr. lib. 5. cap. 24. lib. 2. cap. 5. diesque dedicationis aut inaugurationis, *natalis Salutis* appellabatur; M. Tull. l. 4. ad Atticum, epist. 1. & observat eruditissimus Adrian. Turneb. lib. 2. Adversarior. cap. 11. T. Liv. 4. Dec. l. 10. *Decemviri libros inspicere, consul Apollini, Æsculapio, Saluti dona vovere, & dare signa inaurata, quæ vovit, deditque.* Idem 5. Dec. l. 1. *Senatus majoribus hostiis usque ad litationem sacrificari jussit. Cæteris diis perlitatum ferunt, Saluti Petilium perlitasse negant.* Sunt & nummi apud Lazium lib. 3. Comment. Reip. Rom. cap. 12. quorum inscriptio SALVS PVBLICA. Neque vero placet eorum opinio, qui censent *Salutem* ab Augusto principe consecratam, cum Cicero votum ei fanum ante Augusti imperium testetur lib. 2. de Natura deor. *Vides Virtutis templum, vides Honoris à Marco Marcello renovatum, quod multis ante annis erat bello Ligustico à L. Maximo dedicatum, quid Opis, quid Salutis, quid Concordiæ, Libertatis, Victoriæ? quarum omnium rerum, quia vis erat tanta, ut sine deo regi non posset, ipsa res deorum nomen obtinuit.* Eique ædem dedicavit primus Q. Iun. Bubulcus. Liv. 1. dec. lib. 10. & fuit à Fabio depicta anno urbis 450. C. Plin. lib. 35. cap. 4. duravitque ea pictura usque ad Plinii ætatem. Renovavit *itaque* Augustus abolitum jam & intermissum *Salutis Augurium*, non consecravit. C. Sueton. in eo cap. 31. Atque *Salus* ista *Publica* dicebatur. Ioan. Saresber. Policratic. l. 3. cap. 1. seu, ut alii loquuntur, *popularis.* Testis mihi Dio Coccejan. ὑγιείας δὲ δημοσίας καὶ προσέτι ὁμονοίας εἰρήνης τε ἔστησεν εἰκόνας. *Salutis autem popularis, concordiæque, ac pacis posuit imagines.* Vide, locum versus finem libri 54.

Dedicatio incidit in diem tertium Calendas Apriles, fasti & Ovid. l. 3. Fastor. in fine:

Ianus adorandus, cumque hoc Concordia mitis,
Et Romana salus, araque Pacis erit.

Diu vero post hæc tempora, Nerone videlicet imperante ædes Saluti structa, quod video observatum à Ioanne Cuspiniano in Fastos Aurelii Cassiodori ex C. Tacito l. 15. Annal.

QuodRomanis erat salus, id Græcis θεοὶ Σωτῆρες, *dii salvatores.* Ælian. lib. 1. var. Histor. cap. 30. συντονώτερον ἐπιδιώξαντες διόσκουροι, τοῖς δειλαίοις γενώμεθα σωτῆρες ἔνθα, καὶ ἀγαθοὶ παραστάται, τοῦτο δὴ τὸ λεγόμενον ἐπὶ τῶν θεῶν τούτων. *Velocius persequentes appareamus miseris quasi Dioscuri salvatores, & opiferi salutem ferentes, quod communi proverbio de his diis vulgatum est.* Heliodor. Æthiopic. l. 9. *Nilum* vocat σωτῆρα Αἰγύπτου, *servatorem Ægypti*, & post eodem libro θεοὶ σωτῆρες ἀνεβόησαν, *dii salvatores exclamarunt.* Penes hos tutela & salus hominum esse credebatur, quique præsto aderant gravi aliquo periculo afflictis, & in angustia constitutis. Iul. Pollux Onomast. lib. 6. cap. 16. ὥσπερ καὶ Διὸς σωτῆρος κρατὴρ ἱερὸς ἦν. *Sicuti & Iovis salvatoris poculum sacrum est.* Ex quo loco liquet *salvatorem* hunc Deum *Iovem* fuisse. Et Athenæus meminit lib. 15. cap. 20. ἀγαθοῦ δαίμονος καὶ Διὸς σωτῆρος, *Boni Genii, & Iovis salvatoris*, quem Græci æde structa venerabantur, Pausan. Corinthiac. Neque tantum ibi sed & in Epidauriorum finibus aliud fuit templum erectum, idem Pausan. in Laconic. Neque omittendum in omni convivio *primum calicem Iovi Olympio, secundum heroibus, tertium Iovi salvatori* offerri solitum, scholiastes Pindari ex Æschylis & Sophoclis Tragœdiis ad odem 6. Isthmior. & ex illo eadem prodidit Gerardus ad Aristophaneum illud in Pluto Act. 4. Sc. 3.

Νὴ τὸν Δία τὸν σωτῆρα πολλοῦ γ᾽ ἄξιος
Ἅπασι τοῖς Ἕλλησιν ὁ θεὸς ἐστ᾽

Vertit Nicodem. Frischlinus:

Næ, per Iovem servatorem, magni hic deus
A Græcis fieri posthac debet omnibus.

Et in eadem Comœdia:

Τὸν οὖν Δία τὸν σωτῆρα κἀυτός μοι δοκῶ,
Χαίρειν ἐάσας.

Interpretatur idem:

Mihi itaque visum sospitatorem ut Iovem
Valere sinam.

Nec tantum Iupiter sic cognominabatur, sed quicunque in difficili & ancipiti angustia constitutis liberaturi subvenissent, Heliodor. Æthiopic. l. 2. σωτῆρα σὲ καὶ θεοῖς ἰσοστάσιον ἡγήσομαι, *servatorem te meum ac diis æqualem ducam.* Idem hic servator: seu salutem adferens deus, *Dioscorus*, ut ex Æliano liquet, appellabatur; quo nomine geminos Castorem & Pollucem, doctiores intelligi voluerunt. Tzetzes, & Ioan. Meursius ad Lycophronem multa erudite, meo judicio, ubi Iovem servatorem ipse poëta à Lapersis seu Geminis distinguit pag. 36. & Λαπέρσαι quidem ab oppido Laconiæ, Strabo lib. 8. & Steph. in λᾶς, Eriphtus apud Athenæum l. 4. cap. 3. Iul. Pollux Onomast. l. 7. cap. 2. Hi autem non à quibuslibet periculis, sed tempestatibus, liberare credebantur, passim omnes poëtæ, adi Homerum in hymno iis dicato, Plinium lib. 2. cap. 37. & Claudian. de bello Gildon.

——— *Cæca sub nocte vocati*
Naufraga Ledæi sustentant vela Lacones.

Dicam infra lib. 2. cap. 18. Interim hic corrigatur locus è codice Fulgentii, sive, ut aliæ præferunt membranæ, Fabii Planciadis lib. 2. Mytholog. cap. 16. *Ex hoc ovo generantur tres, Castor, Pollux, & Helena, nihilominus seminarium scandali & discordiæ sicut antea diximus, & geminum luctu concussit adultera mundum.* Mutila & manca indubie sententia, quam eleganter supplet manuscriptus codex, in quo sic legitur. *Castor, Pollux & Helena; Helena quidem ponitur quasi seminarium scandali & discordiæ, sicut antea diximus:*

Quæ geminum luctu concussit adultera mundum.

Denique salutares hi dii παραστάται, *opitulantes, opem adferentes* vocantur, apud Ælianum supra citatum, quam dictionem latinam fecit Cælius Rhodigin. Antiquar. lect. lib. 13. cap. 15. Significationem ad rem in judicio disceptatam traducit Iulius Pollux lib. 1. Onomast. cap. 10. παραστάτης, *qui alicui adsistit*, & παραστῆναι, est, *in judicio alicui adesse*; Plato apud eundem lib. 8. cap. 6. allusere, ut solent, Poëtæ, P. Ovid. lib. Metamorph. fab. 9. Apollo de se:

——— *Opiferque per orbem*
Dicor.

Ex quo Q. Sammonicus Serenus lib. de Medicina:

Phœbe salutiferum, quod pangimus, assere carmen,
Inventumque tuum prompto comitare favore.

Albius Tibull. lib. 1. eleg. 3.

Nunc dea, nunc succurre mihi.

Coripp. lib. 1. Num. 1.

Et fer opem quæso.

PARALIPOMENA.
De Sango deo & lanificio Tanaquillis.

Sangi ædiculam, vicum, sacellumque in urbis Romæ regionibus celebrant Sext. Rufus, P. Victor, Onuphrius, aliique, sed quis ille sit deus non est adeo exploratum, ut prætermitti debeat. Herculem esse contendit Festus lib. 14. *Propter viam fit sacrificium, quod est proficiscendi gratia Herculi aut Sanco, qui scilicet idem est deus.* Et Paulus ex Festo in schedis; *Profecturi viam Herculi, aut Sanco sacrificabant.* Quem illi Sancum vocant, Dionysius Halicarnassæus lib. 2. *Sangum, Sabinorum deum cujus filius Sabus nomen genti imposuit:* Sed malo, *Sancus*, præsertim in tanto veterum codicum consensu, Martian. Capella de Nuptiis Mercurii, Philologiæque lib. 1. *Venit ex altera Fortuna, & Valetudo, Pavore, & Manibus refutatis, quippe hi conspectum Iovis non poterant advenire, ex duodecima Sancus tantummodo advocatur.* Lactant. Firmian. lib. 1. divinar. Instit. cap. 15. *Summa veneratione coluerunt, Ægyptii Isidem, Mauri Iubam, Macedones Cabyrum, Pœni Vranum, Latini Faunum, Sabini Sancum, Romani Quirinum.* Vnde Corrigendus M. Cato in originibus pag. 19. *Equicolos tenent Sabini, à Sabo conditi, Sabatio Sangi gentili edito, inde ad fontes Arni amnis Sabelli Sabinorum proles incolunt, Sangui gentili Sabi pronunciant Sabini, Sanctum Romani, Sagam Barbari, à quo & Sagi primi Thusci, id est, pontifices & sacri expiatores*; legendum, ut puto, *Sabatio sangi aut sanci*, quod verius est; *gentili* hunc eundem volunt esse *Sanctum*; & quidam in citato Festi loco non *Sanco*, sed *Sancto*, reponunt. Lilius Gyraldus Ferrariensis hist. deor. gentil. syntag. 1. de quo Sext. Propert. lib. 4. eleg. 10. in fine:

Sancte pater salve, cui jam favet aspera Iuno.
Sancte, velis libro dexter inesse meo.
Nunc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
Sic Sanctum Tatii composuere Cures.

Posterior versus dupliciter corruptus fuerat, primum *sanctum* scribebatur, quasi non esset nomen proprium; deinde *Tatia*

Cures, Ios. Scaliger legendum censuit *Tatii.* Et sic legendus Silius Italic. Punic. lib. 8. 15.

Ibant, & læti pars Sanctum voce canebant
Auctorem gentis, pars laudes ore ferebant,
Sabe, tuas, qui de proprio cognomine primus
Dixisti populos magna ditione Sabinos.

In primo versu, antea male, *pars sanctum voce*, in tertio, *patrio de nomine*; pessime; neque enim *à patrio nomine*, id est, *Sancti*, seu *Sangi*, seu *Sanoi*, dicti *Sabini*, sed à *Sabo Sancti filio.* Francisc. Mod. Novantiquar. lect. Epist. 48. Translatus Romam hujus cultus sub Tatio rege, una cum Fidio. Marlian. lib. 5. cap. 24. Top. Cultus Nonis Iuniis. P. Ovid. lib. 5. Fastor.

Quærebam Nonas Sancto, Fidione referrem.
An tibi Semo pater? cum mihi Sanctus ait:
Cuicunque ex istis dederis; ego nomen habebo,
Nomina terna fero, sic voluere Cures.

In æde Quirinali monte Dei Sangi seu Sanci, asservatam Tanaquillis colum scribit Onuphrius in Roma sua pag. 180. C. Plin. lib. 8. cap. 48. *Lanam cum colo & fuso Tanaquillis, quæ eadem Caja Cæcilia vocata est in templo Sangi, durasse prodente se auctor est M. Varro, factamque ab ea togam regiam undulatam in æde Fortunæ, qua Ser. Tullius fuerat usus. Inde factum ut nubentes virgines comitaretur colus compta, & fusus cum stamine.* Ex quibus laudatissimum in matronis lanificii opus conjicere non est obscurum fuisse. Moderat. Colum. lib. 12. rei rust. cap. 3. *Pluviis diebus vel cum frigoribus aut pruinis mulier sub dio rusticum opus obire non poterit, ut ad lanificium reducatur, præparatæ sint & pectitæ lanæ.* Ac primum ignobiles servæ diurna pensa à dominis suis præscripta trahebant. Ovid. Epist. Briseidis:

Nos humiles famulæque tuæ data pensa trahemus,
Et minuent plenas stamina nostra colus.

Iisque quædam præposita. Claudian. l. 1. in Eutrop.

Tu potes alterius studiis hærere Minervæ,
Tu telas non tela pati, tu stamina nosse,
Tu segnes operum solers urgere puellas.

Et virgines in sacerdotii munera castitate mira educatæ lanificio erudiebantur. Fest. l. 16. *Rica est vestimentum quadratum, fimbriatum, purpureum, quo Flaminicæ pro palliolo utebantur, alii dicunt, quod ex lana fiat succida Alba, quod conficiunt virgines ingenuæ patrimæ matrimæ cives.* Augustus apud Suetonium in eo cap. 73. *veste non temere alia quam domestica usus est, ab uxore, & sorore, & filia neptibusque confecta.* Xenoph. libro tertio memorabilium: ἐν ᾗ ταλασίᾳ καὶ τὰς γυναῖκας ἐπεδείκνυεν ἀρχούσας τῶν ἀνδρῶν διὰ τὸ τὰς μὲν εἰδέναι, ὅπως χρὴ ταλασιουργεῖν, τοὺς δὲ μὴ εἰδέναι. *In lanificio etiam mulieres viris præesse monstrabat, quo pacto lanificium sit exercendum, viri contra ignorent.* Idem lib. 5. Memorab. ἄλλαι δέ τοι, ἔφην ἐγὼ, ἴδιαι ἐπιμέλειαι, ὦ γύναι, ἡδεῖαί σοι γίγνονται, ὁπόταν ἀνεπιστήμονα ταλασίας λαβοῦσα, ἐπιστήμονα ποιήσῃς, καὶ διπλασίου σοι ἀξία γένηται. *Sunt & aliæ, inquam ego, curationes propriæ tuæ, mea uxor futura non injucundæ, ut cum imperitam lanificii nacta, peritam efficies, atque ea tibi deinde duplo pluris erit.* Pensum istud ancillis non semper ab eunucho aliquo & ancilla præscribebatur, ut ex Claudiano supra lib. Ovid. 2. Fast.

——— *Famulæ data pensa trahebant;*

Sed etiam ab ipsa matrefamilias. Xenophon eodem lib. οὐ γὰρ ἀγαπητόν σοι δοκεῖ εἶναι εἰ μόνον ἦλθεν ἐπισταμένη, ἔρια παραλαβοῦσα, ἱμάτιον ἀποδεῖξαι. καὶ ἑωρακυῖα ὡς ἔργα ταλάσια θεραπαίναις δίδοται. *An non autem boni consulendum tibi videtur, quod saltem venerit perita conficiendi accepta lana vestem, ac animadversa ratione pensi ancillis dandi? convocat omnes quasillarias, familiæque sordidissimam partem.* Petron. Satyr. pag. 103. distribuebatur victus diurnus his ancillis pro operis ratione. Claudian. lib. de bello Gildon. allusit:

——— *Gaudetque diurnos*
Vt famulæ præbere cibos.

Et erat gynæceum seu conclave in penitiori ædium parte. θάλαμος ἱστῶν ταλασιουργὸς οἶκος. *Thalamus telarum, domus*

operosi

operosi lanificii. Iul. Poll. lib. 1. cap. 8. adi eundem l. 7. c. 10. Hesychius Grammatic. γυναικωνῖτις, οἶκος γυναικῶν, *domus mulierum.* Eustath. ad l. 2. Iliad. v. 515. *thalamum vocat hujusmodi gynaceum, lanificiis aptum.* Egregie in Lucretiæ historia Ovid. lib. 2. Fastor.

Et venit in thalamos nupta pudica tuos.

Cum ante dixisset:

Inde cito passu petitur Lucretia, cujus
Ante thorum calathi, lanaque mollis erat.

Lucil. lib. 6. Satyr.

——— *Thauvomeno inquit valva sorore.*
Lanificam dici siccam, atque abstemiam audit.

D. Hieronym. in Epist. ad Demetriadem virginem. *Habeto semper lanam in manibus.* Serv. ad v. 646. l. 8. Æneid. *Ingressi itaque civitatem Collatinam ubi Lucretiæ domus, invenerunt eam lanificio operam dantem, & tristem propter mariti absentiam.* Morem hunc non Romanum tantum, sed & peregrinum certum est fuisse. Alexander apud Q. Curtium lib. 5. *Hanc vestem, qua indutus sum, sororum non solum donum, sed etiam opus vides.* Et Xerxes donatus est ab Amestri sorore sua *amiculo, quod ipsa neverat.* Herodot. lib. 7. Vnde senarius ille comicus:

Ἱστοὶ γυναικῶν ἔργα κ᾽ οὐκ ἐκκλησίαι.
Telæ fœminarum opera, non conciones.

Apud Homerum infinita pene exempla. Nam Calypso nympha Atlantis filia à Mercurio lanificiis occupata deprehenditur, l. 5. Odyss. & Nausicaa matrem Areten nentem offendit, l. 6. Odyss. & Penelope noctu telam retexit, quam die texuerat, l. 18. & Pallas pavimentum Iovis integit peplo, quod ipsa paraverat suis manibus l. 8. Iliad. adi ad l. 12. Iliad. in fine. Celebre refertur de Theano Brontini Crotoniatæ uxore, ut vult Plotinus, aut Pythagoræ, quod placuit Theocrito, quæ rogata, quam uxorem commendaret, ut retulit Ioan. Stobæus serm. 72. respondit versu Homerico e l. 1. Iliad. de Agamemnone:

Ἱστὸν ἐποιχομένην, καὶ ἐμὸν λέχος ἀντιόωσαν.
Telam texentem, & meum lectum sternentem.

Sappho apud Hephestionem:

Γλυκεῖα μᾶτερ οὔτοι δύναμαι κρέκειν τὸν ἱστὸν
Πόθῳ δαμεῖσα παιδὸς, βραδινὰν δι᾽ ἀφροδίταν.
Dulcis mater non possum texere telam
Amore victa pueri per acrem Venerem.

Pindar. Pythior. od. 9. de Cyrena:

ἁ μὲν οὔθ᾽ ἱστῶν παλιμβά-
μους ἐφίλασεν ὁδοὺς
οὔτε δείπνων οἰκουριᾶν
μεθ᾽ ἑταιρᾶν τέρψιας.

Hæc neque telarum retrogradas amavit vias, neque cœnarum oblectationes inter domesticas socias, Ovid. libr. 1. Amor. eleg. 13.

Tu ne fœminei possint cessare lacerti,
Lanificam revocas ad sua pensa manum.

Idem libr. 12. Metamorph. fab. 5.

Quid sis nata, vide, vel quid sis passa, columque
I, cape cum calathis, & stamina pollice torque.

Inde gloria nobilibus matronis, aut heroinis priscis, vestes filiis, maritis, amicisque discedentibus manibus propriis confectas dedisse, de Alexandro & Xerxe antea. Claudian. libr. 1. de raptu.

Ipsa domum tenui mulcens Proserpina cantu
Irrita texebat rediture munera matri.

Et de consul. Olyb. & Probini:

Lætatur veneranda parens, & pollice docto
Iam parat auratas trabeas, currusque micantes
Stamine.

Et in epigr. de Equo Honorii:

Et medium te zona liget, variata Serenæ
Floribus, & castæ manibus sudata, colorum
Persarum gentile decus.

Silius Italic. libr. 7.

Quod nostræ nevere manus venerabile donum.

Virgilius multis in locis aliis observatus, libr. 3. Æneid. Andromache ad Ascanium;

——— *Vestes manuum monimenta mearum.*

Libr. 4. Æneid.

——— *Dives quæ munera Dido*
Fecerat, & tenui telas discreverat auro.

D. Auson. Parental. carm. 3.

Morigeræ uxoris virtus cui contigit omnis
Fama pudicitiæ, lanificæque manus.

Et ejusdem operis carm. 13.

Docta satis vitamque colo, famamque tueri,
Docta bonos mores.

D. Iuvenal. Sat. 6. vers. 286. de frugalitate antiquarum matronarum:

——— *Somnique breves, & vellere Thusco*
Vexatæ, duræque manus.

C. Flac. Setinus libr. 4. Argonautic.

Accipe Tænarei chlamydem de sanguine ahæni,
Frænaque, & accinctum gemmis fulgentibus ensem,
Hoc patrium decus, hæc materni, texta, labores.

Extat veteris marmoris pulcherrimum fragmentum, quod non gravabor adscribere, quoniam illo præcipua matronalis encomii contineantur, licet incerto authore:

Hospes quod dico, paullum est, asta, ac pellege,
Hic est sepulchrum haud pulchrum, pulchrai fœminæ
Nomen parentes nominarunt Claudiam,
Suom maritom corde dilexit suo.
Gnatos duos creavit, horum alterum
In terra liquit, alium sub terra locat.
Sermone lepido, tum autem incessu commodo:
Domum servavit, lanam fecit, dixi, abei.

REGIO SEPTIMA, VIA LATA.

Vici XL.

Vicus Ganymedis.
Vicus Gordiani minoris.
Vicus Novus.
Vicus Caprarius.
Vicus Soli.
Vicus Gentianus.
Vicus Sanci.
Vicus Herbarius.
Vicus Mansuetus.
Vicus Sigillarius minor.
Vicus Solatarius.
Vicus Fortunæ.
Vicus Spei majoris.
Vicus Novus ulterior.
Vicus Libertorum.
Vicus Publii.
Vicus Novus citerior.
Vicus Statuæ Veneris.
Vicus Archemorium, aliàs, Archemonium.
Vicus Æmilianus.
Vicus Piscarius.
Vicus Cælatus.
Vicus Victoris.
Vicus Vicinus.
Vicus Græcus.
Vicus Lanarius ulterior.
Vicus Pomonæ.

Vicus

Vicus Caput Minervæ.
Vicus Trojanus.
Vicus Peregrinus.
Vicus Castus.
Vicus minor.
Vicus Putealium.
Vicus Scipionis.
Vicus Iunonis.
Vicus Sellarius.
Vicus Isidis.
Vicus Tabellarius.
Vicus Mancinus.
Vicus Lotarius.
Vicomagistri CLX.
Curatores II.
Denunciatores II.
Cohortes VII. primorum vigilum.
Pila Tiburtina.
Ad Mansuetos.
Lapis Pertusus.
Templum Solis.
Templum novum Spei.
Templum novum Fortunæ cum porticu, à Lucullo conditum, in quo erat statua Minervæ facta à Fidia, posita à Paulo Æmilio.
Templum novum Quirini.
Ædicula Capraria.
Porticus Constantini.
Sacellum Genii Sangi.
Equi ænei Tyridatis.
Forum Suarium.
Forum Archemorium.
Castra Gentiana, alias, Gypsiana.
Campus Agrippæ.
Horti Argiani.
Balinea privata LXXV.
Nympheum Iovis.
Lacus sine nomine LXXVI.
Arcus DD. Marci & Veri.
Arcus Gordiani Iunioris Aug.
Arcus Novus.
Pistrina XVII.
Horrea XXV.
Domus CXX.

In his:

Domus Martialis.
Insulæ ∞ ∞ ∞ CCCXXCV. id est, 3385.
Regio in circuitu continet pedes CCIↃↃ CCIↃↃ ∞ ∞ ∞ DCC. id est, 23700.

REGIO OCTAVA, FORVM ROMANVM.

Mons Saturnius, post Tarpejus, demum Capitolinus; alias, Capitolium, ubi omnium Deorum simulachra celebrabantur.
Arx Capitolii.
Rupes Tarpeja, alias, Saxum Carmentale.
Clivus Capitolinus.
Porta Stercoraria.
Via Nova.

Vici XII.

Vicus Ligurum.
Vicus Iugarius.
Vicus Thurarius.
Vicus Tuscus.
Vicus Vnguentarius major.
Vicus Vnguentarius minor.
Vicus novus.

Reliqui desunt.

Vicomagistri XLIIX.
Curatores II.
Denunciatores II.
Cohortes vigilum VI.
Vmbilicus urbis Romæ.
Milliarium aureum.
Porta Carmentalis.
Puteal Libonis.
Lacus Curtius.
Pila Horatia, ubi Trophæa locata.
Scalæ annulariæ.
Sub Novis.
Ad Iunium secundum Tiberim.
Luteolæ ad Iani templum.
Marsyas.
Favissæ Capitolinæ.
Lucus Vestæ Cuperius.

Templa XXI.

Templum Iovis Capitolini, alias, Optimi Maximi, in quo erant tria delubra.
Medium Iovis.
Dextrum Minervæ.
Lævum Iunonis: ibique in arca lapidea servabantur libri Sibyllini.
Templum Iovis Feretrii.
Templum divi Iulii in foro, in quo simulachrum erat Veneris è mari exeuntis DD. ab Augusto.
Templum Castorum ad lacum Iuturnæ, alias, Castoris & Pollucis, in quo erat signum Floræ.
Templum Concordiæ cum cella, inter Forum & Capitolium, à Camillo DD. In quo erat Senaculum, ubi Magistratus, cum Senioribus deliberabant: erantque in eo hæc simulachra.
Battonis adorantis Apollinem, opus Bedæ.
Latonæ puerperæ, Apollinem & Dianam sustinentis, opus Euphranoris.
Æsculapii & Hygiæ, opus Niceratі.
Martis & Mercurii, opera Piscratis.
Cereris & Iovis, opera Sthenis & Victoriæ.
Templum Vestæ, cum atrio: ubi erant Palladium, Ignis, & Virgines vestales.
Templum Deum penatium.
Templum Romuli, alias, Quirini in Foro.
Templum Iani Gemini æreum, quatuor portarum, cum signo Iani, opus Scopæ & Praxitelis, ab Augusto DD.
Templum divi Trajani.

Templum divi T. Cæſaris Veſpaſiani.
Templum Carmentæ.
Templum Veneris Calvæ novum.
Templum Veneris Calvæ vetus.
Templum vetus Minervæ.
Templum Nemeſis, cum Simulachro.
Templum Saturni: cum ara, ubi erat ærarium, ante quod erat æneum Silvani ſignum.
Templum divi Auguſti.
Templum Iunonis Martialis.
Templum Larum.
Templum Veneris genitricis, alias, Veneris & Anchiſæ, cum atrio.

Ædes X.

Ædes Victoriæ.
Ædes Opis & Saturni, in vico Iugario.
Ædes Martis ultoris in foro D. Auguſti.
Ædes Vejovis, inter arcem & Capitolium, prope Aſylum, cum ejus ſimulachro cupreſſino.
Ædes Iovis Tonantis in clivo Capitolii, in qua erant ſigna:
Iovis Tonantis, opus Locræ.
Iovis ex ære Deliaco, opus Hygiæ.
Caſtoris & Pollucis, opus Hygiæ.
Ædes Herculis victoris parva & rotunda, in foro Boario.
Ædes matris Matutæ.
Ædes Vortumni in vico Tuſco.
Ædes Iunonis Monetæ cum officina.
Ædes Iovis cuſtodis DD. à Domitiano.
Ædes Veneris Cloacinæ.
Ædes Veneris Erycinæ.
Ædes Salutis.
Ædes Libertatis.
Ædes Iovis ſponſoris.
Ædes Mentis.
Ædes Fidei, in Capitolio.
Ædes Fortunæ primigeniæ.
Ædes Aji Locutii.
Ædes Fortunæ proſperæ.
Ædes fortis Fortunæ in foro Boario.

Ædiculæ XII.

Ædicula Victoriæ, DD. à M. Porcio Catone.
Ædicula Iuventutis.
Ædicula Termini.
Ædicula Concordiæ ærea, ſupra Græcoſtaſim.
Ædicula Fortunæ obſequentis.
Ædicula Matris Rumæ.

* *
* *
* *
* *
* *
* *

Porticus Iulia.
Porticus Margaritariorum.
Porticus Liviæ.
Porticus Auguſti.
Porticus Minucia: aliàs, Numicia.
Porticus Naficæ.
Porticus Porphyretica.
Porticus Capitolinæ.
Porticus Conſtantini.
Iani duo, celebris Mercatorum locus ad arcum Fabianum, ſuperior, inferiorque.
Atrium publicum in Capitolio.
Atrium Minervæ.
Atrium Veſtæ.
Area Opis, &,
Area Cereris in vico Iugario.
Area Saturni ante ærarium.
Sacellum Sumani.
Sacellum Larum.
Sacellum pudicitiæ patriciæ.
Sacellum Herculis in foro Boario.
Delubrum Minervæ in foro.
Delubrum Larum.
Aſylum inter duos Lucos, Arcemque & Capitolium.
Domus Divi Tatii.
Doliola.
Sepulchrum Romuli.
Sepulchrum Accæ Laurentiæ in via nova.
Vicus ruminalis.
Lupercal Virginis.
Germalus.
Ara Saturni vetus.
Ara Saturni nova ad lacum Curtii.
Ara Iunonis Iugæ in vico Iugario.
Ara Iovis piſtoris in Capitolio.

Signa & ſtatuæ Deorum.

Signum Iovis Imperatoris Præneſte devectum.
Signum æreum Iovis à Sp. Carvilio, ex Samnitica præda factum.
Signum Iunonis, DD. à Pompejo Bithynico.
Signum Apollinis tranſlatum ex Apollonia à Lucullo, altum cubitos XXX. alias XXXII.
Signum Minervæ Catulianæ opus Euphranoris.
Signa duo Herculis, alterum à P. Sempronio Saverrione dedicatum, alterum æreum: opus Lyſippi, à Q. Fabio Maximo Tarento devectum.
Signum Herculis tunicati juxta roſtra.
Victoria aurea in Templo Iovis Opt. Max.
Fides candida.
Signum Vortumni in vico Iugario.
Signum Matris Statæ.
Tria Signa Deorum Nixiorum, ante cellam Minervæ, in templo Iovis Capitolini.
Signum Boni Eventus, opus Praxitelis.
Signum Bonæ Fortunæ, opus Praxitelis.

Simulachra hominum.

Statua Divi Iulii Equeſtris in ejus foro.
Divi Auguſti.
Divi Claudii II. aurea, X. pedum, in templo Iovis Opt. Max.
Divi Conſtantini Equeſtris.
Romuli & Remi infantium ſub Lupa.
Septem Regum in Capitolio.
Attii Navi Auguris ante Curiam.

L. Iunii

L. Iunii Bruti primi Cos. in Capitolio.
P. Valerii Poplicolæ.
Horatii Coclitis in Comitio.
Mucii Scævolæ.
Annii Fecialis Equeſtris, in atrio domus regis Superbi.
M. Furii Camilli pro roſtris.
Tullii Cœlii, L. Roſcii, Sp. Nautii; & C. Fulcinii Legatorum populi Romani, à Fidenatibus cæſorum, pro roſtris.
P. Iunii, & Ti. Coruncani Legatorum populi Romani ab Illyriis cæſorum, pro roſtris.
Cn. Octavii in legatione occiſi, pro roſtris.
Equeſtris togata Q. Martii.
Tremuli ante templum Caſtorum.
L. Cæcilii Metelli Pont. Max. in Capitolio.
Q. Fabii Maximi ærea equeſtris in Capitolio.
P. Scipionis Africani.
L. Scipionis Aſiatici chlamydata & crepidata.
M. Lepidi Bullata & prætextata.
Trebii Ædilis in Capitolio.
Sullæ Dictatoris aurea Equeſtris.
Sullæ Felicis Dictatoris ænea.
Trium Sibyllarum pro roſtris.
Cloeliæ virginis Veſtalis Equeſtris.
Cajæ Suffetiæ virginis Veſtalis.
Corneliæ Gracchorum matris.
Hermodori Epheſii XII. Tabularum interpretis in Comitio.
Alcibiadis, Pythagoræ in Comitio.
Trophæa C. Marii aurea in Capitolio.
Currus ſejuges à C. Cornelio poſiti.
Simulachrum Leonis, pro roſtris.
Equus C. Cæſaris in ejus foro.
Equus æneus Domitiani Auguſti.
Equus æneus Trajani Auguſti.
Equa cernens quatuor ſatyros.
Elephas herbarius.
Æreum Tauri ſimulachrum in foro Boario.
Signum anſeris argenteum in Capitolio.
Clypei XII. inaurati.
Clypeus Martis cum imagine Haſdrubalis.
Ænearum tabularum publicarum tria millia.
Ludus Æmilius, alias, Lepidi.

Fora.

Forum Romanum, quod dicebatur Magnum, alias, Vetus.
Forum Cæſaris, in quo erant Veneris ſigna duo, alterum loricatum, alterum factum ab Arceſilao.
Forum Auguſti, in quo erant ſtatuæ M. Valerii Corvini, & eburnea Apollinis.
Forum Trajani cum porticu.
Forum Boarium.
Forum Piſcarium.
Forum Argentarium.
Curia.
Curia Hoſtilia ſub veteribus.
Curia Calabra in Capitolio, ubi Pontifex minor pronunciabat dies.
Regia Numæ, alias, Curia Pompiliana, in qua ſacrarium erat Opeconſivæ.
Senaculum aureum.
Baſilica Pauli Æmilii cum Phrygiis columnis in foro.
Baſilica Iulia.
Baſilica Vlpia, alias, Trajani.
Baſilica Porcia, ubi fuerat domus Q. Mænii.
Baſilica Sempronia.
Baſilica Argentaria.
Baſilica Opimii.
Comitium, in quo erat ficus Ruminalis.
Roſtra populi Romani vetera.
Roſtra populi Romani nova.
Græcoſtaſis.
Carcer imminens foro, à Ser. Tullio ædificatus, media Vrbe.
Stationes municipiorum.
Ludi Literarii.
Schola Xantha.
Horti Aſiniani.
Septem, alias, Quinque Tabernæ argentariæ novæ.
Balineum Polycleti.
Balineæ privatæ LXVI.
Lacus Iuturnæ.
Lacus ſine nomine CXX.
Bibliotheca Capitolina.
Bibliotheca Templi divi Trajani.
Arcus Fabianus.
Arcus Titi Cæſaris prope ædem Saturni.
Arcus Trajani Cæſaris Auguſti.
Arcus Severi & Marci Antonini in foro Boario.
Fornix Sertinii in foro Boario cum ſignis auratis.
Columna C. Duiilii.
Columna Mœnia.
Columna Magn. Lud. ſæcul.
Columna roſtrata in Capitolio.
Columna divi Iulii roſtrata pedum XX.
Columna Coclidis Trajani Imperatoris, alta pedes CXXIIX. habet gradus CXXXV. feneſtellas XLV.
Sepulchrum C. Poblicii Bibuli ædilis plebis.
Macellum.....
Horrea XXIIX.

In his:

Germanica, &
Agrippiana.
Piſtrina XXX.
Domus CL.

In his:

L. Tarquinii Superbi Regis cum atrio.
M. Manlii Capitolini.
P. Scipionis Africani.
T. Anni Milonis.
P. Ovidii Naſonis.
M. Valerii Amerini Equitis Romani.
Inſulæ CIↃ CIↃ CIↃ DCCCLXXX. i. 3880.
Regio in ambitu continet pedes CCIↃↃ ∞ IↃↃ DCCCLXVII. id eſt, 14867.

PARA-

PARALIPOMENA.

De Regione Octava.

DE VMBILICO.

V*mbilicum* seu meditullium urbis Romæ ponunt in octava regione Onuphrius & P. Victor. quid autem id loci fuerit, nemo quod sciam descripsit. Certe ad hanc formam *media libri pars umbilicus* appellatur, quæ in tegmine libri, quod non impingebatur, nisi toto absoluto opere, & ad finem perducto. Q. Horat. Epod. od. 14.

Inceptos olim promissum carmen Iambos
Ad umbilicum adducere.

Helenius Acron, *id est, perficere,* inquit, *quia in fine operum, umbilici lignei aut ossei aut cornei addebantur. Cornua* vocavit Ovidius lib. 1. Trist. eleg. 1.

Nec titulus minio, nec Cedro charta notetur,
Candida nec nigra cornua fronte geras.

Tegmen ergo nigrum, literarum majuscularum apices minio notati, aut cedrino succo, Perf. sat. 1. v. 56. umbilicus diversi alterius coloris. Cornutus seu verius Pseudocornutus in sat. 3. Persii, *Membrana bicolor, quod pars crocea, pars glutinata apud antiquos erat.* Et ipse Persius:

Iam liber, & positis bicolor membrana capillis.

M. Martial. lib. 4. epigr. ult.

Iam pervenimus usque ad umbilicum.

Et lib. 5. epigr. 6.

Quæ cedro decorata purpuraque
Nigris pagina crevit umbilicis.

Scio Theodorum Marcilium eruditissimum hæc observasse, & ante illum, Turnebum, & utroque priorem Cœlium Rhodiginum lib. 1. cap. 20. Addantur Papinius lib. 4. sylv. ult. ex quo liquet utramque paginam impositis umbilicis decorari solitam.

Noster purpureus novusque charta,
Et binis decoratus umbilicis,
Præter me mihi constitit decussis,

Q. Valer. Catull. epigr. 19.

——— *Chartæ regiæ, novi libri,*
Novi umbilici, lora rubra, membrana
Dissecta plumbo & pumice æquata omnia.

Sic enim ultimum versum legit Achilles Statius, at Ios. Scaliger *directa.* alii *derecta*, & forte non male *discreta*, hoc est, lineis divisa, notataque plumbeis, pumicis usus poliendo tegmini. Ovid. lib. 1. Trist. eleg. 1.

Geminæ poliantur pumice frontes.

Mart. lib. 4. epigr. 10.

Comitetur pumice librum
Spongia.

Legendum puto:

——— *Comitetur Punica librum*
Spongia.

Sic enim legit Modius Epist. 109. & Ioan. Brod. ad lib. 6. Antholog. cap. 26. & spongiæ usus in scribendo, *ad scripta delenda.* Sueton. August. cap. 84. Denique umbilicus hic, coronis est. Martial. lib. 1. epigr. 8.

Si nimius videor, seraque coronide longus
Esse liber.

Est etiam *umbilicus terræ medietas*, seu meditullium, translatione desumpta ab clypeo, cujus media pars ὀμφαλὸς vocatur, hoc est, *umbilicus.* Iul. Pol. lib. 1. cap. 10. ἀσπὶς, καὶ τὰ μέρη τῆς ἀσπίδος, ὀμφαλὸς, καὶ μεσομφάλιον. *Clypeus, & partes clypei, umbilicus & medium clypei.* nonnulli bullas quasdam interpretantur: Suid. γῆς ὀμφαλὸς, *terræ umbilicum* ait esse templum Apollinis. Strabo lib. 9. τῆς ἑλλάδος ἐν μέσῳ πως ἐστὶ τῆς συμπάσης τῆς τε ἐντὸς ἰσθμοῦ, καὶ τῆς ἐκτὸς ἐνομίσθη δὲ καὶ τῆς οἰκουμένης, καὶ ἐκάλεσαν τῆς γῆς ὀμφαλὸν, *sunt Delphi fere in medio siti totius Græciæ, quæ & extra Isthmum est & intra, quinetiam in medio totius terrarum orbis jacere quidam senserunt, terræque umbilicum appellarunt.*

Stat. lib. 1. Thebaid.

Audiit & medius cœli Parnassus.

Ovid. lib. 10. Fab. 5.

Te meus ante genitor dilexit, & orbe
In medio positi caruerunt præside Delphi.

Et lib. 15. Fab. 1.

Auxilium cœleste petunt, mediamque tenentes
Orbis humum Delphos, adeunt oracula Phœbi.

Pet. Apollon. Collatius, non malus, ut illa ferebant tempora, poëta lib. 3. de excidio Hierosolymitano:

——— *Medium telluris apertæ*
Credita habere locum, titulo quoque Delphica quo se
Insula jactavit magnis auctoribus olim.

Ille Solymam urbem, non Delphos, umbilicum terræ statuit, sed contra stant alii jam laudati, & præter eos Pindar. Pythior. od. 6.

——— ἀναπολίζομεν
ὀμφαλὸν ἐριβρόμου χθονός.
——— ——— *Versamus*
Vmbilicum horrisonæ terræ.

Et od. 8.

——— ἰόντι γαίας
ὀμφαλὸν παρ' ἀοίδιμον.
Eunti terræ
Ad umbilicum decantatissimum.

Idem Od. 11.

ὄφρα Θέμιν ἱερὰν Πυθῶνά τε καὶ ὀρθοδίκαν
γᾶς ὀμφαλὸν κελάδητε.

Vt Themim sacram Pythonemque, & recta judicia dantem umbilicum terræ resonetis. Quo è fonte fabula defluxit, cum Iupiter mundi medium locum vellet cognoscere, ex ortu atque occasu duas Aquilas dimisisse fertur, quæ volatu lassæ in Parnassi vertice consederunt, Luctatius Placidius ad v. 117. lib. 1. Thebaidos Statianæ. Alii non Aquilas demissas à Iove, sed corvos prodiderunt, nonnulli etiam cygnos, scholiastes Pindari, & Plutarchus, sed communior sententia de aquilis, Claudian. præfat. ad consulatum Manlii Theodori:

Iupiter ut perhibent, spatium cum discere vellet
Naturæ, regni nescius ipse sui,
Armigeros utrimque duos æqualibus alis
Misit ab Eois occiduisque plagis.

Denique *quicquid medium est, umbilicus* appellatur; *Italiæ umbilicus* in agro Rheatino, C. Solin. cap. 8. & *Ætoli Græciæ umbilicum incolunt*, T. Liv. 4. Dec. lib. 5. & *Enuna si civitas Siciliæ umbilicus.* M. Tull. Actione 6. in C. Verrem, & in homine ὀμφαλοτομία, *centrum* Suidas & Iul. Pollux lib. 4. onomast. l. 25. Isid. Hispal. Etymolog. lib. 11. cap. 1. Sed M. Varro contradicit lib. 8. de ling. Lat. est & *umbilicus diei* apud Plautum. Menæchm. Act. 1. sc. 3. puto pro meridie:

Dies quidem jam ad umbilicum est dimidiatus mortuus.

PARALIPOMENA.

De Marsyæ statua.

De Marsya altum omnium silentium, qui Topographiam urbis descripserunt. At ego existimo statuam esse, vel in foro ipso Romano, vel prope forum, ad quam causarum patroni consueverint convenire. Q. Horat. lib. 1. sat. 6.

Deinde eo dormitum, non sollicitus, mihi quod cras
Surgendum sit mane, obeundus Marsya, qui se
Vultum ferre negat Noviorum posse minoris.

Martial. lib. 2. epigr. 64.

Si schola damnatur, si litibus omnia fervent,
Ipse potest fieri Marsya causidicus.

Atque hæc quidem ratio probatur Adriano Turnebo l. 22. c. 12. De hujus statuis erigendis pulcher est locus apud Servium Honoratum ad lib. 3. Æneid. v. 20.

Auspicibus cæptorum operum.

Quod de Libero diximus, hæc causa est; *ut signum sit liberæ civitatis. Nam apud majores aut stipendiariæ erant, aut fœderatæ, aut liberæ, sed in liberis civitatibus simulachrum Marsyæ erat, qui in tutela Liberi patris est. Idem Lyæus apte urbibus libertatis est Deus, unde etiam Marsyas minister ejus per civitates in foro positus libertatis indicium est, qui erecta manu testatur nihil urbi deesse.* Ad v. 57. libr. 4. Æneid.

Legiferæ Cereri, Phœboque, patrique Lyæo.

Et notavit Cœl. Rhodiginus lect. Antiquar. l. 28. cap. 12. Lil. Gyraldus syntagm. 8. de Diis gentilib. pag. 234. Iust. Lipsius & alii ad illud L. Senecæ lib. 6. de Beneficiis cap. 32. *Forum ipsum ac rostra, ex quibus pater legem de adulteriis tulerat, filiæ in stupra placuisse, quotidianum ad Marsyam concursum.* De statua Marsyæ erecta omnes hactenus sunt interpretati, at vetus scholiastes Iuvenal. ad principium sat. 9.

Occurras fronte obducta, ceu Marsya victus.

Aut proprie ab eo, inquit, *quem Apollo vicit, aut advocatus temporis illius.* Vult ille non statuam modo in foro positam, sed quendam celebratæ in actitandis causis Famæ. Porro fabula de Marsya decantatissima est, quippe Pallas excogitavit prima tibiarum usum, sed cum oris deformitatem, inflatasque in palude vidisset buccas, offensa tibias abjecit. quæ buccarum inflatarum fœditas expressa est ab Aristeneto lib. 1. epist. 14. τί οὖν μάτην ὦ νέοι ὑμᾶς διαῤῥήγνυτε τὰς γνάθους ἐμφυσῶντες τῇ σύριγγι, οὐδὲν ὑμᾶς ὀνήσει τὰ κιθαρίσματα. *Quid vos ergo Iuvenes frustra disrumpitis buccas inflanda fistula? nihil vos juvabunt Cytharæ modulamina.* Idem lib. 2. epist. 6. ὡς αὐλητρίδος, υἱὸς ἐξαίρεις τὰς γνάθους. *Veluti tibicinæ filius inflas buccas.* Heliodor. libr. 2. Æthiop. ἐπειδὴ κυρτουμένην αὐλῇ τὴν παρειὰν ἐν τοῖς αὐλήμασιν εἶδε, καὶ πρὸς τὸ βίαιον τῶν φυσημάτων ἀπρεπέστερον ἐπὶ τὰς ῥῖνας ἀνισταμένην, τότε ὄμμα πιμπράμενον, καὶ τῆς οἰκείας ἕδρας ἐξωθούμενον. *Ea de causa quod illi intumescere genas inter canendum videbat, & vehementer inflando præter decorum ad nares exurgere, oculis incensis, ac sua sede excedentibus.* Locus est mirifice corruptus Fulgentii lib. 3. Mytholog. *Minerva tibias ex osse invenit, quibus cum in convivio deorum cecinisset, cumque ejus tumentes buccas dii omnes irrisissent, illa ad Tritonem paludem pergens, in aqua faciem suam speculatur, dum turpia adjudicasset buccarum, in flumina tibias ejecit, quibus Marsya repertis, doctior factus provocavit Apollinem.* Postremorum verborum sensus mancus, quem sic ex M S. supplendum censeo, *dum turpia adjudicasset biamenta buccarum, in flumen tibias abjecit, quibus Marsya repertis.* Plutarchum lege in vita Alcibiadis. A. Gell. lib. 15. cap. 17. *Accersi Pericles Antigonidam tibicinem jussisset, ut eum canere tibiis (quod honestissimum tum videbatur) doceret: traditas sibi tibias cum ad os adhibuisset, inflassetque, pudefactus oris deformitate, abjecit infregitque.* Claudian. lib. 2. in Eutrop.

Hic cecinit Libycis jactata paludibus olim
Fistula, fœdatam cum reddidit umbra Minervam.

Aurel. Propert. lib. 2. eleg. 30.

Quæ non jure vado Mæandri jacta natasti,
Turpia cum faceret Palladis ora tumor.

Prosequitur deinde eandem narrationem; *Provocavit Apollinem concertaturum de cantibus, sibique Midam regem judicem deligunt (lege, utrique Midam regem judicem deligunt) quem, Apollo, cum non recte judicasset, asininis auribus depravavit.* Tacet pœnam Marsyæ, quem constat ab Apolline excoriatum, pellemque Celænis fuisse suspensam. Apollodor. libr. 1. Bibliothec. & alludit Martianus Capella libr. 9. *Nam fides apud Delphos per Deliacam citharam demonstravi*, tibiæ per *Tritonidam nostri comitem, Marsyamque Lydium sonuerunt.* Luctat. Placid. *Marsyam dicit, qui victus, submissus est pœnæ*, ad v. 699. lib. 1. Thebaid.

Tu Phryga submittis citharæ.

Et paria scripsit idem de inventione tibiarum ad v. 667. lib. 2. Thebaid.

Fœda Celenæa committere prælia buxo.

Et *in antro* ab Apolline superatum idem docet ad v. 186. lib. 4. Thebaid. quod puto nullus alius dixit:

——— *Quis non certamina Phœbi*
Nosset, & illustres Satyro pendente Celænas?

Et Papinius idem lib. 5. sylv. 3.

Et Phrygium silicem, atque ausum contraria Phœbo
Carmina, nec fissa gavisam Pallada buxo.

In hoc oppido pellis Marsyæ detracta, in victoriæ suæ monimentum, ab Apolline affixa est. M. Lucan. lib. 3. v. 206.

——— *Quæ tua munera Pallas*
Lugent damnatæ, Phœbo victore, Celenæ.

P. Ovid. lib. 6. Metamorph. fab. 5.

Clamanti cutis est summos direpta per artus,
Nec quicquam nisi vulnus erat.

Quid attinet dicere cruorem excoriati in fluvium sui nominis mutatum? cum res sit notissima ex Tito Livio 4. decad. lib. 8. Strabone lib. 12. Q. Curtio lib. 3. Et Ovidio lib. 6. Fastor.

Provocat & Phœbum, Phœbo superante pependit,
Cæsa recesserunt à cute membra sua.

Idem paria habet in Ibim:

Nudaque direpta pateant tua viscera pelle,
Vt Phrygii, cujus nomina flumen habet.

PARALIPOMENA.

De Templo D. Iulii & Venere Anadyomene.

Iulio Dictatori structam *ædem* loquuntur historici. Appian. Alexandrinus lib. 4. bell. civil. in foro Romano concors reponit consensus Sexti Ruffi, P. Victoris, & Onuphrii. *Templum hoc Cæsaris patris* appellat C. Plinius lib. 35. cap. 4. in fine, sed planius ad institutum nostrum idem differit ejusdem libri c. 10. *Venerem exeuntem mari Divus Augustus dicavit in delubro patris Cæsaris, quæ Anadyomene vocatur, versibus Græcis, tali opere, dum laudatur, victo, sed illustrato.* Causæ centumvirales in eo pertractabantur. Plin. Iunior l. 5. epist. ult. Quintil. apud Parthasium epist. 57. M. Valer. Martial. lib. 6. ep. 38.

——— *Centumque viri, densumque corona*
Vulgus, & infanti Iulia tecta placent.

Et lib. 5. epigr. 10. *& laudant Catuli Iulia templa senes.* Antea male legebatur, *Vilia templa.* Nec tantum Romæ, sed etiam Alexandriæ C. Cæsari templum structum, quod existimo tunc primum factum, cum Ægyptus ab Octavio Augusto in formam provinciæ redacta est. Meminit hujus Alexandrini templi idem Plinius, l. 36. cap. 9. *& alii duo sunt Alexandriæ in portu ad Cæsaris templum, quos excidit Mesphees rex quadragenum binum cubitorum.* Templi Romani, quod in foro erat, meminere P. Ovid. l. ult. Metamorph. fab. ult. ubi Cæsare interempto in Curia, sic ad Venerem Iupiter:

Hanc animam interea cæso de corpore raptam
Fac jubar, ut semper Capitolia nostra, forumque
Divus ab excelsa prospectet Iulius æde.

Et lib. 3. Amor. eleg. 9.

Qua licet affectes cœlum quoque, templa Quirinus,
Liber, & Alcides, & modo Cæsar, habent.

C. Sueton. obiter in Augusto cap. 100. *Adhibito honoribus modo, bifariam laudatus est, pro æde D. Iulia à Tiberio, & pro Rostris sub veteribus, à Druso Tiberii filio.* Adulatorie, ut solet, Valer. Maxim. lib. 1. cap. 6. tit. 12. *Tuas aras, tuaque sanctissima templa, dive Iuli, veneratus oro, ut propitio ac faventi numine, tantorum casus virorum sub tui exempli præsidio ac tutela delitescere patiaris.* P. Virgil. l. 1. Æneid. 296.

Hunc (Cæsarem) tu olim cœlo, spoliis orientis onustum
Accipies secura, vocabitur hic quoque votis.

Vocari votis, ut à formularum scriptoribus notum, idem atque *aris fanisque structis ac sacrificiis coli flaminesque habere.* Papin. lib. 1. sil. 1.

At laterum passus hinc Iulia templa tuentur.

Venus hæc è mari exiens seu emergens celebratissima est poëtarum scriptis, Græci ἀναδυομένην, *iterum emergentem*, seu θαλαττίαν, *marinam* appellant: sed Plinius supra citatus dictionem Græcam tanquam Latinam usurpavit, ut & ejusdem libri cap. 11. *Apellis Venerem, hoc est, depictam elaboratissimo Apellis penicillo.* Aristenet. lib. 1. epist. 7. ὡς δ' ἱκανῶς εἶχε τῶν θαλαττίων λουτρῶν, εἶπες αὐτὴν κόρην ἀνισχουσαν τῶν κυμάτων ἰδὼν, οὕτω τῆς θαλάττης τὴν Ἀφροδίτην εὐπρεπῶς προνεύουσαν γράφουσιν οἱ ζωγράφοι. *Sed ubi satietas eam cœpit mari-*

marinæ lotionis, dixisses visa exeuntibus è fluctibus virgine, ad hunc modum decore pingunt Venerem exerentem se è mari.

Extat elegans Epigramma Antipatri Sidonii in Anthologia libr. 4. cap. 12. num. 26.

Τὰν ἀναδυομέναν ἀπὸ ματέρος ἄρτι θαλάττης
Κύπριν, Απελλείου μόχθον ὅρα γραφίδος,
Ὡς χερὶ συμμάρψασα διάβροχον ὕδατι χαίταν,
Ἐκθλίβει νοτερῶν ἀφρὸν ἀπὸ πλοκάμων.

Emergentem ex matre jam mari Venerem, Apelleæ intuere picturæ, quomodo manu corripiens irrigatam aqua comam, exprimit humidis spumam è crinibus. Hæc quidem interpretatio ad verbum reddita. At D. Ausonius Epigr. 104. metricis legibus inclusit:

Emersum pelagi nuper genitalibus undis
Cyprin Appellæi cerne laboris opus.
Vt complexa manu madidos salis æquore crines
Humidulis spumas stringit utraque comis.

Eadem & *marina Venus* dicta. Fest. Avien. de ora marit.

Veneri marinæ consecrata est insula,
Templumque in illa Veneris.

Hanc perfectissimam humani ingenii operam respexit P. Ovid. lib. Amor. eleg. 14. de coma amicæ suæ:

Illis contulerim, quas quondam nuda Dione
Pingitur humenti sustinuisse manu.

Idem lib. 3. de Arte amandi:

Cum fieret, lapis asper erat, nunc nobile signum
Nuda Venus madidas exprimit imbre comas.

Quod ideo factum in pictura Veneris, quia jam antea poëtæ eam è spuma maris ortam prodiderant. L. Apul. Apolog. l. 1. *Nisi forte hoc vos ad mendacium induxerit, quod Venus dicitur pelago exorta.* Arnob. lib. 4. contra gentes: *Nunquid vos delectat ex pelagi spuma, & Cæli genitalibus amputatis Cythereæ Veneris concretum coaluisse candorem?* Sed apud L. Apuleium pulchra est descriptio ejus; *Venus est dea, quam cærulum profundum pelagi peperit, & ros spumantium fluctuum educavit.* Hesiod. in Theogonia v. 190.

——— ——— ἀμφὶ δὲ λευκὸς
Ἀφρὸς ἀπ' ἀθανάτου χροὸς ὤρνυτο, τῷ δ' ἔνι κούρη
Ἐθρέφθη.

Circum vero alba spuma ab immortali corpore ferebatur, in quo puella innutrita est.

Nonnus Panopolitanus Dionys. lib. 41. v. 97.

πρώτη Κύπριν ἔδεκτο φιλοξείνῳ πολεῶνι
ἐξ ἁλὸς ἀρτιλόχευτον, ὅτε βρυχίην Ἀφροδίτην
οὐρανίης ὤδινεν ἀπ' αὔλακος ἔγκυον ὕδωρ.

Prima Venerem excipit hospitali janua, ex mari nuper partu editam, quando submersam Venerem cælestis genuit sulci aqua gravida.

Cointus Calaber paraleipom. Homer. l. 5. v. 71. in clypeo Achillis:

Ἀφρὸν ἔτ' ἀμφὶ κόμῃσιν ἔχουσ' ἀνεδύετο πόντου,
Κύπρις ἐϋστέφανος.

Spumam adhuc capillis aspersam habens, emergit salo Venus pulchre coronata.

Meleagri cultum illud Anthologiæ lib. 7. epigr. 106.

Θαῦμα δέ μοι πῶς ἄρα διὰ γλαυκοῖο φανεῖσα
Κύματος, ἐξ ὑγροῦ κύπρι σὺ πῦρ τέτοκας.

Mirum est mihi quomodo sane per cæruleum apparens fluctum, ex humido Venus tu ignem pepereris. Ratio hujus fabulæ, quod *in fœmina multo majus humidum, quam in viro*, Plutarch. Symp. lib. 3. cap. 3. & ideo *ob abundantiam humidi viris longe salaciores.* Albert. Magn. lib. 12. Animal. cap. 3. ut recte Græci *lascivos ac petulantes*, & in Venerem propensos ὑγροὺς vocent. Epigramma Delphicum testatur:

ὑγρᾶς καὶ τρυφερᾶς βασιλεὺς Ἆγις μ' ἀνέθηκεν.
Lascivæ & delicatæ rex Agis me dedicavit.

At Aristoteles lib. 2. de generat. animal. cap. 2. quod *salsa sit spermatis natura, & spumosa, quale est mare.* Quod Phornuto placuit lib. de Nat. deor. Alii quod *sal ad genituram multum habeat momenti.* Plut. Symposiac. lib. 5. cap. 10. Nonnullis placet *semen cito surgere, cito cadere*, Fulgent. l. 2. Mytholog. Denique quod *sudor sit salsus, quem semper coitus elicit.* Servius Danielis ad lib. 5. Æneid. v. 801.

Fas omne est Cytherea meis te fidere regnis,
Vnde genus ducis.

T. Lucretius de Natura lib. 4. eleganter rationem Servii confirmat:

——— *Teriturque Thalassina vestis*
Assidue, & Veneris sudorem exercita potat.

Non transcribo poëtas Latinos aliis observatos. In hanc rem Oppianus Cyneget. libr. 1. v. 33. ἀθύρματα ποντογενείης, *ludicra Veneris mari generatæ.*

PARALIPOMENA.

De Templo D. Augusti, & Divinis Impp. Roman. honoribus.

Ambitio nimia & humanum fastigium excedens in Augusto notatur à C. Tacito l. 1. Annal. *Qui se templis & effigie numinum per flamines & sacerdotes coli voluit.* Apertius eodem libro in sequentibus: *Templum ut in colonia Tarraconensi strueretur Augusto petentibus Hispanis permissum, datumque in omnes provincias exemplum.* Servius ad illud Eclogæ 1.

Namque erit ille mihi semper Deus.

Semper, inquit, *id est, post mortem, & dum vivit, alii imperatores post mortem in numerum referuntur deorum, Augustus templa vivus emeruit.* Aram certe ei erexisse Vbios in Germaniis, Lugdunenses & Narbonenses in Galliis probat disquisitio erudita Iacobi Campii I C. apud Fr. Modium novantiquar. lect. ep. 3. templum Pergamenos C. Tacit. libr. 4. Annal. liquet. Modum præscriptum ab ipso Augusto innuit C. Suetonius in eo, cap. 52. *Templa quamvis sciret etiam proconsulibus decerni solere, in nulla tamen provincia, nisi communi suo Romæque nomine recepit, nam in urbe quidem pertinacissime abstinuit.* Recte quidem, & ut decebat virum humanæ fragilitatis conscium, & deridetur sive furor Augusti tam immodica, & mortalitate altiora poscentis, sive abjectus humilisque animus, in servitium prono impetu ruentis senatus, talia & offerentis, aut stultitia provinciarum tantam impietatem recipientium ab Arriano in dissertationibus Epicteti lib. c. 19. in fin. σή μερον τις ὑπὲρ ἱερωσύνης ἐλάλει μοι τῷ Αὐγούστου. & quæ sequuntur; *quidam hodie mecum locutus est de sacrificio, quod Augusto exhiberi solet.* Et invehitur amare Q. Tertullianus. Vide multa apud Iustum Lipsium ad C. Tacitum. Hæc quidem laudata fuerat principis modestia, si sic semper se continuisset: nam ut egregie Callisthenes apud Curtium, *mortalitatem interdum sequitur divinitas, nunquam comitatur.* At Augustus, sub finem, ut apparet, principatus sui, Deus coli à suis haberique voluit. Prudent. l. 1. contra Symmachum:

——— *Flamine & aris*
Augustum coluit, vitulo placavit & agno,
Testantur tituli, produnt consulta senatus,
Cæsareum Iovis ad speciem statuentia templum.

Vide quæ supra de radiata corona à me sunt dicta, & de Apotheosi dicam infra suo loco.

Q. Horat. libr. 3. od. 3.

Hac arte Pollux & vagus Hercules
Innixus, arces attigit igneas,
Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.

Et ejusdem libri od. 5.

Cælo tonantem credidimus Iovem
Regnare, præsens divus habebitur
Augustus, adjectis Britannis
Imperio, gravibusque Persis.

Et adulatione fœdissima lib. 2. epist. 1.

Præsenti tibi maturos largimur honores,
Iurandasque tuum per nomen ponimus aras.

Ab hoc ritu derivatum, ut Cæsares pro diis vivos colerent, deosque appellarent. De Caligula L. Seneca de Tranquillit. animi cap. 14. *Nec jam procul erat tumulus, in quo Cæsari Deo nostro fiebat quotidianum sacrum.* De Nerone M. Lucan. lib. 1.

Sed mihi jam numen, nec si te pectore vates

Accip.

Accipiam, Cyrrhæa velim secreta moventem
Sollicitare Deum.

De immani monstro Domitiano, quid attinet referre? quod retulit C. Suetonius in ejus vita cap. 13. *Pari arrogantia cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit, Deus & Dominus noster sic fieri jubet.* Vnde institutum posthac, ut ne scripto quidem ac sermone cujuspiam appellaretur aliter; & passim adulantes ejus ævi scriptores, sed ante omnes Martialis passim, *Deum* vocat, in libro spectaculor. Epigr. 17.

Crede mihi numen sentit & ille tuum.

Lib. 5. epigr. 5.

Ingenio frueris qui propiore Dei.

Epigr. 6.

Nosti tempora tu Iovis sereni.

Magis ad mentem Suetonii epigr. 8.

Edictum domini deique nostri.

Lib. 7. epigr. 1.

Sacrum cui tangere pectus
Fas erit, & nostri mente calere Dei.

Et pene omnibus paginis Papin. l. 1. Thebaid. in principio, de Capitolio ab eo & patruo Sabino, bello Vitelliano, occupato:

Aut defensa prius vix pubescentibus annis
Bella Iovis.

Iupiter de eodem Domitiano apud Silium Italicum Punicor. lib. 3.

Tunc ô nate Deum, divosque dature, beatas
Imperio terras patrio rege.

Valer. Flacc. Argonautic. lib. 1.

Ille tibi cultusque Deum, delubraque genti
Instituet, cum tu genitor lucebis ab omni
Parte poli.

Salse, ut par erat. D. Iuvenal. sat. 4.

——— *Nihil est quod credere de se*
Non possit, cum laudatur diis æqua potestas.

Diu post illa tempora mansit saltem nomen, etiam sub Christianis principibus, licet cultum immortali unique Deo concedendum censerent. Latin. Pacat. panegyrico quem Theodosio dixit, *Deum dedit Hispania, quem videmus:* Edictum Theodosii & Valentiniani Augg. extat in hæc verba conceptum, *ludis quoque simulachra proposita, tantum in animis concurrentum, mentisque secretis nostrum numen & laudes vigere demonstrent.* C. Theodos. l. 15. titul. 4. l. 1. ubi tamen putaverim non *numen* legendum, sed *nomen*, sequitur enim, *excedens cultura hominum dignitatem superno numini reservetur.* Claudian. præfat. de 3. Honorii consulatu:

Me quoque Pieriis tentatum sæpius antris
Audet magna suo mittere Roma deo.

Eleganter Corippus Africanus potentiam regum in Iustino Minore inaugurato, expressit lib. 2. num. ult. in fine:

Terrarum dominis Christus dedit omnia posse,
Ille est omnipotens, hic omnipotentis imago.

Nec modo aras, flamines, templa, statuas, imagines, & sacrificia ad modum cœlestium deorum principibus suis decernebat vetustas, sed etiam rescripta eorum vocabant *Oracula.* Iornand. l. de reb. Getic. *Donatione sacro oraculo confirmata, proprios lares vindicaret.* C. Sueton. Nerone cap. 21. *Flagitantibus cunctis cælestem vocem, respondit, in hortis se copiam sui volentibus facturum.* Capito Cossutianus objectat Thraseæ Pæto apud C. Tacitum l. 16. Annal. *nunquam pro salute principis, aut cælesti voce immolavisse.* Theodoricus rex apud Cassiodorum l. 1. epist. 11. *Quapropter Maniarii supplicatione commoti, præsentibus te affamur oraculis, ut si revera mancipia ejus Breones irrationabiliter cognoveris abstulisse,* &c. Q. Symmachus lib. 10. epist. 21. *Hæc æternitas vestra venerabilis, cum senatui statuenda mandaret, referri ad se protinus imperavit, ut placita cunctis immortali lege solidentur, jussis paruimus, expectamus oraculum, quo salutariter, ut vestro numini familiare est, patrum decreta firmetis.* Idem supplendus l. 4. ep. 8. *Intelligo ex mora & cunctatione rescripti, atque divini aliquid in his quæ prætoria filii mei supplicatio comprehendit, incongruum vel dubium judicari.* Legendum forte, *ex mora & cunctatione rescripti, atque divini oraculi aliquid,* &c. vel expuncto, *atque rescripti divini.*

Tollendum & aliud mendum ex vitiosa interpunctione ortum lib. 2. epist. 8. *Neque te exhauserit, quod adeuntium preces indefesso absolvis affatu, quod venerandi principis mentem loqueris? oraculis sunt ista prima nec tamen sola.* Legit Ianus Gruterus, *quod venerandi principis mentem loqueris oraculis, sunt ista prima,* &c. Cl. Claudian. paneg. de Consul. Manlii Theodori:

——— *Terris edicta daturus*
Supplicibus responsa venis, oracula regis
Eloquio crevere tuo, nec dignius unquam
Majestas meminit sese Romana locutam.

D. idem lib. 2. de laudib. Stilichon.

——— *Quod nostros qui consulis omnia patres*
De monstris taceas pellendis; denique nulla
Dedecoris sanctum violant oracula cætum.

Sic etiam loquitur ipse Iustinianus §. *illud proprium.* 11. *Instit. de adoptionib. Illud proprium est adoptionis illius, quæ per sacrum oraculum fit: quod is, qui liberos in potestate habet, si se adrogandum dederit,* &c. Sacrum hoc oraculum interpretatur Cajus I C. principem, *l. 2. ff. de adoptionib.* Zeno Aug. libr. 9. C. de Aquæductu. *Quod publicum fuit aliquando, minime sit privatum, sed ad omnes usus recurrat sacris oraculis, vel pragmaticis sanctionibus adversus commoditatem urbis quibusdam impertitis.* Theodosius & Valentinianus Impp. libr. 10. C. de sacrosanct. eccles. *Nec si cœleste contra proferatur oraculum, sive annotatio sit, sive divina pragmatica sanctio, providentissimæ legis regulas excusare debebit.*

PARALIPOMENA.

De Atriis Libertatis, Vestæ, & privatarum domuum.

Atrium templis adjici solitum nemo ignorat. Coripp. lib. 3. num. 1.

——— *Apostolici subeuntes atria templi.*

Atrium Minervæ P. Victor in hac regione, & ne multis in re obvia & facili morer, *atrium Libertatis* in 13. reg. ab eodem Victore ponitur. Marlian. Topogr. l. 4. c. 3. Gracchus *ex multatitia pecunia* erexit. T. Livius 3. dec. l. 4. in principio: *Publica acta hic signabantur.* Idem Liv. 5. Decad. lib. 3. *Censores ex templo in atrium libertatis ascenderunt, & ibi signatis tabellis publicis, clausoque tabulario, & dimissis publicis servis.* Dedicatio illius Eidib. April. Fasti Capitolini. & P. Ovid. lib. 4. Fastor.

Hac quoque ni fallor, paulo dignissima nostro
Atria Libertas cœpit habere sua.

Videtur in hoc atrio & bibliotheca fuisse; ita enim idem Ovidius lib. 3. Trist. eleg. 1.

Nec me quæ doctis patuerunt prima libellis
Atria Libertas tangere passa sua est.

In monte Aventino extructum loquitur Festus Pomp. l. 10. Auctorem ejus facit Asinium Pollionem C. Suetonius in Augusto, cap. 29. *Vestæ* etiam *atrium* celebratur in hac 8. regione. de quo Servius Honoratus ad v. 153. lib. 7. Æneid.

Centum oratores Augusta ad mœnia regis
Ire jubet.

Augusta ad mœnia, inquit, augurio consecrata. Hinc paulo post illud est, *tectum augustum, ingens:* & nisi in augusto loco consilium senatus habere non poterat, unde templum Vestæ non fuit augurio consecratum, ne illuc conveniret senatus, ubi erant virgines, nam hæc fuerat regia Numæ Pompilii. Ad atrium sane Vestæ conveniebatur, quod fuerat à templo remotum. Insolens ergo hoc in templo Vestæ, quod cum omnium aliarum ædium sacrarum contigua essent ipsis atria templis, Vestæ sejunctum remotumque foret.

Ædes privatorum profanæ etiam atria habebant, de quorum longitudine, latitudine, struendique ratione, M. Vitr. Pollio l. 6. cap. 3. quibusdam atrium Græce est αὐλή, Homerus αἴθουσαν vocat. Iul. Pollux l. 1. cap. 8. M. Tull. ad Quintum fratrem lib. 3. epist. 1. *quo loco in porticu te scribere ajunt, ut atriolum fiat, mihi, ut est, magis placebat, neque enim satis loci esse videbatur atriolo, neque fere solet, nisi in his ædificiis fieri, in quibus est atrium*

 majus,

majus, nec habere poterat adjuncta cubicula & ejusmodi membra. Vbi duo observanda, primum in una domo, plura atria fieri potuisse, quod à nullo, ut puto, notatum: alterum, atrio vicina aut juncta cubicula, quod alias non legi. Intercolumniis sive peristyliis distinguebantur ejus spatia, Claudian. lib. 2. in Ruffin.

——— *Purpureis effulta columnis*
Atria.

T. Lucret. Carus de Nat. rer. lib. 4.

Atria versari, & circumcursare columnæ,
Vsque adeo sit uti pueris videantur, ubi ipsi
Desierint verti.

Cereis æreisve, aut marmoreis majorum imaginibus decorabantur. C. Sen. lib. 3. de Benef. cap. 28. *Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ longo ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris, in parte prima ædium collocant, noti magis, quam nobiles sunt.* C. Plin. lib. 35. cap. 2. *Aliter apud majores in atriis hæc erant, quæ spectarentur, non signa externorum artificum, nec æra aut marmora: expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera, semperque defuncto aliquo totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus.*

Ovidius l. 5. eleg. 6.

Creditur & Ceris, & quos prætexta verendos
Virgaque cum vitiis imperiosa facit.

Idem lib. 1. Amor. eleg. 8.

Nec te decipiant veteris quinquatria cera,
Tolle tuos tecum pauper amator avos.

Corruptus locus indubie, alii corrigunt, *veteris quinque atria cera*, sed tot in una domo fuisse atria, non est probabile; nonnulli restituunt, *veteri cincta atria cera*, quod admitti potest. M. Martial. lib. 2. epigr. 90.

Atriaque immodicis arctat imaginibus.

Lib. 4. epigr. 40.

Atria Pisonum stabant cum stemmate toto.

Auctor carminis ad Pisonem, quem ego certo scio nec Ovidium fuisse, propter temporis rationem; nec Lucanum, quod paupertatem suam defleat v. 241. & Lucanum marmoreis in hortis jacere dixerit Iuvenal. sat. 7. v. 79.

Nam quid imaginibus, quid avitis sulta triumphis
Atria, quid pleni numerosa consule fasti
Profuerint?

Iuvenal. Sat. 8.

Tota licet veteres exornent undique cera
Atria.

Plin. supra citatus exclusit imagines omnes ab atriis nisi cereas, at contra Papinius lib. 2. syl. 2.

Quid referam veteres ceraque ærisque figuras?

Nec modo majorum suorum vultus in hujusmodi atriis in tablinis habebant, sed & pretiosa quæque clarorum virorum monimenta. Petron. Satyr. pag. 22. in descriptione domus Trimalcionis, *Interrogare ego atriensem cap; quas in media picturas haberent: Iliada, & Odysseam, inquit.* Sic enim Ios. Scaliger legit, ut sit *Medica porticus instar Paciles Athenienses, in qua Medi superati depingebantur*; Ælian. lib. 13. var. hist. cap. 12. Æmil. Prob. in Milciade. Strab. lib. 9. L. Apul. lib. 1. Asin. sed glossarium vet. confirmat nostram sententiam, ubi *Tullia, media, vel regia.* ideoque censuerim legendum, *quas in media picturas haberent*, ut sit atrium media dicta, quod inter vestibulum & domum ipsam ascendebatur in atrium, quibusdam gradibus, ut apparet ex Martiali lib. 12. epigr. 3.

Atria sunt illic consulis alta mei.

Auro sive laminis aureis & bracteis incrustatum probabo infra. velis fuisse tectum seu suspensis tapetibus decoratum liquet ex Corippo, qui frequenter eadem byzantinis assignat atriis, quæ antiqui scriptores Romani. Sic ille ergo de Laudib. Iustini Minoris lib. 3. num. 7.

Clara superpositis ornabant atria velis.

Et eodem loco:

Verum ut contracto patuerunt intima velo
Ostia, & auraii micuerunt atria tecti.

Et forte huc referendum percommode epigramma cultissimum Sulpicii Luperci Servasti Iunioris, quod propter elegantiam integrum adscribam:

Quod tua mille domus solidas habet alta columnas,
Quod tua marmoreo janua poste nitet;
Aurea quod summo splendent laquearia tecto,
Inum crusta tegit quod pretiosa locum;
Atria quid circum dives tegit omnia cultus,
Hoc animos tollit nempe beate tuos;
Ædibus in totis gemmæ licet omnia claudant,
Turpe est, nil domino turpius esse suo.

Solis nobilibus competebat jus istud imaginum in atriis suis exponendarum. Causa pulchra apud Valerium Maximum l. 5. cap. 8. tit. 3. *Videbat se in eo atrio consedisse, in quo illius Imperiosi Torquati se veritate conspicua imago posita erat, prudentissimeque viro succurrebat, effigies majorum suorum cum titulis suis idcirco in prima ædium parte poni solere, ut eorum virtutes non solum posteri legerent, sed etiam imitarentur.*

Sext. Prop. l. 1. eleg. 4.

Nescit amor priscis cedere imaginibus.

Præcedenti enim versu dixerat:

Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti.

P. Ovid. lib. 1. Fastor.

Perlege dispositas generosa per atria ceras.

Pinathecis hisce aut tablinis claudendis, conservandis, in funebrem comitatum efferendis præerant servi, quos ab atrii cura, *atrienses* vocabant. M. Tull. paradox. 5. *Atque ut in magna familia, sunt alii lautiores, ut sibi videntur, servi, sed tamen servi atrienses, atque tu pari stultitia, quos signa, quos tabulæ, quos cælatum argentum, quos Corinthia vasa, quos ædificia magnifica nimio opere delectant.* Quem locum insigniter posse ex MS. sic suppleri existimo: *Lautiores, ut sibi videntur, servi, sed tamen servi ut atrienses, alii inferiori loco, ut mediastini, sic stulti quidem omnes, ut tu, pari stultitia, sunt, quos signa*, &c. Petronius supra laudatus obiter officium indicavit, sed apertius Iunius Moderat. Columella l. 12. rei rust. cap. 3. ait, *uxorem debere insistere atriensibus, ut supellectilem, & ferramenta detersa nitidentur, atque rubigine liberentur, cæteraque si refectionem desiderent fabris concinnanda tradantur.* Meminit Phædrus Tiberii Cæsaris libertus l. 2. fab. 36.

Ex alticinctis unus atriensibus,
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat districta, cirris dependentibus.

M. Accius Plaut. Pseudolo Act. 2. sc. 2.

PS. *Condus, promus sum, procurator peni.*
HA. *Quasi te dicas atriensem.* PS. *imo atriensi ego impero.*
HA. *Quid tu, servusne es, an liber?* PS. *nunc quidem etiam servio.*
HA. *Ita videre, & non videre dignus qui liber sies.*

Superest jam ut ostendatur, quæ qualisque ædium pars, fuerit *atrium.* Sunt inter doctos nonnulli, qui *locum subdivalem intectumque* volunt fuisse, quod Tertullianus *subdivalem* dixerit. Itaque cum *Impluvio* confundunt, aut cum *loco in mediis ædibus patenti*, utrumque male. Nam M. Varro l. 4. de ling. lat. *quod relictum erat in medio, ut lucem caperet, deorsum, quo impluebat, Impluvium dictum, & sursum qua compluebat, compluvium, & deinde Atrium ab atriatibus Thuscis, ejus primis auctoribus derivatum* contendit, quicquid scioli togatorum doctissimo oblatrent.

Adde locum hunc subdivalem in medio ædificio, *Impluviumque* dictum, cum *atrium prima domus pars*, testante A. Gellio l. 16. cap. 5. Festus Pomp. *genus ædificii ante ædem continens mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluvia descendit.* Contra Maro diserte l. 2. Æneid.

Ædibus in mediis, nudoque sub ætheris axe
Ingens ara fuit.

Et utrumque memorat, sed tanquam quippiam discretum distinctumque, Corripus African. l. 1. num. 7.

Est domus interior tectorum in parte superna,
Luce sua radians, & aperto libera cœlo,
Conspicuo vitrei splendens fulgore metalli.

En subdival, quod ab atrio aliud, ut liquet ex eodem lib. 2. num. 4.

Iam

Iam lætus princeps divalia tecta subibat,
Amplaque gaudentes implebant atria turbæ.

Corrigatur idem l. 3. num. 7.

——— *miratur barbara pubes;*
Ingressus primos immensaque atria lustrans.

Legendum omnino est:

——— *atque immensa atria lustrans.*

Itaque *atrio porticus extrinsecus adjacebant, inter quas & impluvium*, Isidor. l. 15. cap. 3. ut non possit concipi qua ratione idem cum atrio fuerit impluvium. Deinde in atrio ignis extrui solebat, ut recte Ioan. Britannicus ad Sat. 8. Iuvenalis v. 8. *fumosas imagines* exponat *fumo sordidas*, igne in atrio videlicet extincto, at sub dio quis sanæ mentis putaverit ignem veteres quotidie excitasse, nisi forte ut leones terrerent? quid quod in atrio, ut jam antea dixi, majorum vultus cera expressi, nobilitatis suæ & generis claritudo, asservarentur, quos aperti cœli injuriæ exponere quam ridiculum, quam à re alienum? Denique non tantum *prominentes pinnas*, habebant, atria, sive ut Vitruvius supra citatus appellat, *alas*, sed etiam laquearia, quod qui pertinaciter verius, quam docte, ad apertum & subdivalem atrii situm trahunt, delirant. M. Tull. orat. de præt. urbana: *Considerat templum, videt undique tectum laqueatum pulcherrime.* Et Cicero *undique tectum* interpretatur *laqueatum*: laqueare autem, non tantum alas habuisse atria, indicio est D. Auson. in Mosella:

——— *Nunc Phrygiis sola confere lævia crustis,*
Tendens marmoreum laqueata per atria campum.

Et L. Apul. l. 5. Asini sui. *Summa laquearia citro & ebore curiose cavata subeunt aureæ columnæ.* Vide locum & perpende.

REGIO NONA, CIRCVS FLAMINIVS.

Collis Hortulorum, alias, Hortorum.
Campus Martius.
Via fornicata.
Via recta.

Vici XXX.

Vicomagistri CXX.
Curatores II.
Denunciatores II.
Palus Caprea.
Mimitia vetus.
Mimitia frumentaria.
Crypta Balbi.
Ciconiæ nixæ.
Meleagricum.
Fregellæ.
Lucus Mavortianus.
Lucus Minervæ vetus.
Lucus Petilinus major, extra portam Flumentanam.
Lucus Victoriæ.
Lucus Lucinæ, ubi erat Terentum.

Templa VIII.

Pantheum Iovis Vltoris, in quo erant signa:
Herculis humi sedentis.
Minervæ ex ebore, opus Phidiæ.
Veneris, cum unione Cleopatræ.
Templum Iani prope theatrum Marcelli, cum signo Iani bifrontis.
Templum Bruti Callaici, in quo erat Colossus Martis, & statua Veneris Gnidiæ nudæ.
Templum Apollinis.
Templum Neptuni juxta septa.
Templum divi Antonini, cum columna Coclide.
Templum Minervæ Chalcidicæ.
Templum Isidis & Serapidis prope ovile.

Ædes XX.

Ædes antiqua Apollinis cum lavacro & colosso.
Ædes Herculis Magni, Custodis Circi Flaminii.
Ædes Metelli, ubi erat statua eburnea Iovis à Praxitele facta.
Ædes Martis in Circo Flaminio.
Ædes Vulcani in circo Flaminio.
Ædes Iuturnæ ad aquam virginem.
Ædes Bellonæ versus portam Carmentalem, in circo Flaminio, intra quam dabatur senatus legatis exterarum nationum, quos in Vrbem admittere nolebant.
Ædes Minervæ.
Ædes Fortunæ equestris vetus.
Ædes Apollinis.
Ædes Neptuni in circo Flaminio.
Ædes Larium permarinum in campo Martio.
Ædes Boni eventus.
Ædes Veneris Victricis.
Ædes Castoris in Circo Flaminio.
Ædes Floræ.
Ædes Iunonis Reginæ.
Ædes Dianæ.
Ædes Herculis Musarum.
Ædes Iunonis in porticu Octaviæ, ubi erant statuæ Æsculapii & Dianæ, opera Scopæ.
Iunonis, Veneris & Iovis, opera Philisci Rhodii.
Simulachrum Iunonis opus Dionysii & Polyclis.
Dianæ, Laconæ, IX. Musarum, Apollinis nudi, Apollinis citharam tenentis, opera Timantidis.
Æsculapii & Dianæ, opera Cephisidori.

Ædiculæ XXX.

Porticus Q. Catuli.
Porticus Philippi.
Porticus Corinthia duplex Cn. Octavii.
Porticus Argonautarum.
Porticus Pompeii Magni, cum Curia & Atrio.
Porticus Metelli.
Porticus Agrippæ ante Pantheum.
Porticus Octaviæ sororis Augusti, in qua erant Schola, Curia, & Bibliotheca.
Delubrum cum signo Apollinis, opus Philisci Rhodii.
Item Statuæ Saturni, Batrachi, & Veneris, opus Phidiæ & Corneliæ Gracchorum matris.
Porticus Trajani Augusti in campo Martio.
Porticus Gordiani Imp.
Porticus Galleni Imp.
Porticus Europæ.
Atrium Pompeii.
Sacrarium Numæ.
Delubrum Iovis Statoris.
Delubrum Cn. Domitii cum signis.
Neptuni, Thetidos, Achillis, Nereidum & Tritonum, opera Scopæ.

Delubrum Apollinis in porticu Octaviæ.
Ara Neptuni.
Iſæum.
Serapium.
Minervium.
Odæum.
Minerva vetus cum luco.
Iupiter Pompeianus pedum XXX.
Coloſſus Apollinis.
Equiria.
Circus Flaminius.
Circus Alexandri Imp. Stadium.
Obeliſcus pro Gnomone in Campo Martio.
Stabula quatuor factionum.
Theatrum Pompeii.
Theatrum lapideum.
Theatrum Balbi, capit loca CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ ∞ XCV. id eſt, 31095.
Theatrum Marcelli, capit loca CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ id eſt, 30000.
Amphitheatrum T. Statii Tauri.
Naumachia Domitiani.
Forum Ahenobarbi.
Baſilica Mattidii, alias, Macidii, alias Matidiæ.
Baſilica Marciana.
Baſilica Antoniniana, ubi erat provinciarum memoria.
Curia Pompeii cum atrio & porticu.
Curia Octaviæ cum porticu, in qua erat ſignum Apollinis fulmen tenentis.
Septa Agrippiana.
Septa Trigaria.
Ovile.
Diribitorium.
Villa publica, ubi primum cenſus populi actus eſt
Carcer centumvirorum.
Horti Luculiani.
Horti Agrippæ.
Schola, porticus Octaviæ, in qua erat ſtatua Cupidinis, opus Praxitelis.
Quatuor Satyri, & duæ Nymphæ.
Thermæ Agrippæ.
Thermæ Neronianæ.
Thermæ Alexandrinæ.
Thermæ Hadriani Imperatoris.
Thermæ Decianæ.
Balinea privata LXIV.
Lavacrum Apollinis.
Lacus Thermarum Neronis.
Lacus ſine nomine.
Fons Scipionum.
Bibliotheca porticus Octaviæ.
Arcus Ti. Cæſaris.
Arcus divi Claudii.
Columna Coclidis Antoniniana, alta pedes CLXXV. habens gradus CCVI. & feneſtras LVI.
Columna index belli inferendi, ante ædem Bellonæ.
Sepulchrum, ſive Mauſoleum Auguſti, in quo erant duo pares Obeliſci Magni, ſinguli pedum XLIIS.
Sepulchrum Domitiorum in colle hortulorum.
Sepulchra in Campo Martio, Sullæ Felicis dictatoris.
Iuliarum, Cæſaris amitæ & filiæ.
Hirtii & Panſæ Conſulum.
Piſtrina XXXII.
Horrea XXXII.
Domus CXL.

In his:

Domus Alexandri Imperatoris.
Domus Pinciorum, in colle hortulorum.
Inſulæ ∞ ∞ ∞ IↃCCXXCIIX. id eſt, 3788.
Inſula Philidis.
Regio continet in ambitu pedes CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ IↃLX. id eſt, 30560.

PARALIPOMENA.

Ad Regionem nonam.

DE VNIONE CLEOPATRÆ.

Vnio ſeu margarita Cleopatræ dedicata fuit, tanquam donarium Veneri, poſtquam Antonius ab Auguſto fuſus, & illa Romam capta eſt traducta. C. Plin. l. 9. cap. 35. *Duo fuere maximi uniones per omne ævum, utrumque poſſedit Cleopatra, Ægypti reginarum noviſſima, per manum orientis regum ſibi traditos.* Vide quæ in celebratiſſima hiſtoria comprehenſa ſequuntur, & ex eo Aurel. Macrob. l. 2. cap. 13. qui nonnihil à Plinio variat, qui *Veneri* tantum *donatum unionem* prodit, hic *templo ejus, quod pantheon* vocatur, conſecratum & quem ille L. Plancum, hic *Munacium Plancum*, ſive ut alii præferunt codices, *Numatium* vocat, cujus narrationem ad verbum ſequitur Ioannes Saresberienſis Policratici l. 8. cap. 7. poſtrema tamen ponam, ab utroque prætermiſſa puto, quia parum ſana, *victumque Antonium pronunciavit homine irato.* lege, *omine ei rato.* quod nempe poſtea ab Auguſto victus fuerit, *omen* enim *pugnæ*, pro augurio paſſim. De pretio horum unionum controverſum, quidam HS. centies, id eſt, ducenta quinquaginta millia aureorum, pretium ſtatuunt, alii longe ſupra, nempe HS. ſexcenties, hoc eſt, quindecies centena millia aureorum. Q. Catull. epigr. 27.

Ducenties comeſſet, aut trecenties.

Et hic eſt ille ornatus, quem tam magnificum extulit M. Lucan. l. 10. v. 137.

Nec ſceptris contenta ſuis, nec fratre marito,
Plena maris rubri ſpoliis, colloque comiſque
Divitias Cleopatra gerit, cultuque laborat.

Certe eo lubentius hanc Cleopatræ cum Antonio ſponſionem expoſui, quo memini me animadvertere, eam non tantum luxuriæ, ſed etiam ebrietatis Antonio fuiſſe comitem, nam à diluculo ſtatim menſæ accumbens, uſque ad ebrietatem potabat, Socrates Rhodius lib. 3. belli civilis apud Athenæum lib. 4. cap. 7. dipnoſophiſt. Cic. 6. Philip. in fine. Lucan. lib. 4.

Profugiſque bibax Antonius armis.

Mart. l. 2. epigr. 89.

Quod vomis, Antoni.

Immoderatio, inquam iſta, non tantum in Antonio, ſed & in Cleopatra, quæ & vino Mareotico maxime oblectabatur. Suidas in voce ἐξώκειλεν. L. Seneca epiſt. 83. *Marcum Antonium magnum virum, & ingenii nobilis quæ alia res perdidit, & in externos mores, ac non Romana vitia trajecit quam ebrietas? nec minor vino Cleopatræ amor.* Legendum putat Lipſius, *nec minor vini, hæc illum res hoſtem reipublicæ, hæc hoſtibus ſuis imparem reddidit, hæc crudelem fecit.*

Vnio eadem gemma, quæ aliis *margarita*, quæ in conchis generatur, timenſque piſcantium inſidias inter ſaxa ſe occultat, ne capiatur, aut inter canes marinos deliteſcit, *certus eſt natantibus dux conchis, quæ capta, quæ evaſerint, redeunt, ut capiantur.* Iul. Solin. polyhiſt. cap. 56. *Matutinus ros candidas facit, hoc eſt meliores, veſpertinus aër obſcuras, deterioreſque.* Iſidor. l. 16. cap. 10. *Eſt enim illa naſcendi lex, ut conchæ denſius oſcitando, ex lunari aſpergine, coitum humoris cupiant, exindeque gravidæ edant margaritas, quas uniones appellant, quia nunquam niſi una eſt in una concha.* Ammian. l. 23. in fine. Servius Honoratus ad l. 1. Æneid. v. 657. *Multi ſeparant gemmam, & margaritam, ut Cicero, nullam gemmam aut margaritam, & gemmas volunt dici diverſi coloris, margaritas vero albas, vel gemmas integras, margaritas pertuſas.* Recte ergo Vlpian: I. C. *margaritas nec lapillorum nomine, nec gemmarum contineri conſtat. l. 19. ff. de auro & argento leg.* hoc unioni proprium eſſe volunt, ut quo magis à ſole occultatur, & radiis ardentibus, eo pulchrior evadat. Athen. l. 3. dipnoſophiſt. cap. 8.

Varius uſus: nam aut *templa ſtatuæque deûm ornabantur eo*, M. Tull. Actione 1. in C. Verrem, aut porticus publicæ. Vnde P. Victor in 8. reg. ponit *porticum margaritariam*, hoc eſt, margaritis affixis ſplendidam, decoratamque aut mulierum colla, brachia, aures veſteſque inſignibant, comprehenduntur que nomine *mundi muliebris*. Artemidor. Oneirocrit. l. 2. c. 5. Denique principum virorum equos, arma, ephippiaque, quod alibi fuſe dicam. nunc addatur locus M. Varronis apud Nonium. *principum ephippia & phaleræ margaritis radiabant.* Atque hic legitimus uſus: at vero *Heliogabalus habuit in calceamentis margaritas, & quidem ſculptas, quod omnibus riſum movit quaſi poſſent nobilium artificum opera in pedibus cerni.* Æl. Lamprid. in eo. at *C. Caligula exemplo Cleopatræ, pretioſiſſimas margaritas aceto liquefactas abſorpſit.* C. Sueton. in eo cap. 37. qui ritus frequens nepotibus. Q. Horat. l. 2. ſat. 3.

Filius Æſopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet ut decies ſolidum exſorberet, aceto
Diluit inſignem bacam.

Vſus Romæ ignotus ante Syllam, qui primus in urbem invexit, tanto omnium ordinum ſtudio receptus, ut *Cæſar dictator ritum ſuſtulerit margaritas geſtandi, & lata lege coërcuerit.* Sueton. cap. 43. Naſcuntur non in Æthiopia modo, India, rubroque mari, ſed etiam in Britannico æſtuario. D. Auſon. in Moſella:

Tota Caledoniis talis pictura Britannis,
Cum virides algas, & rubra Corallia nudat
Æſtus, & albentes concharum germina bacas.

Sic enim recte legendum puto, non ut antea *concharum germina baccas, baccæ* enim arboribus proprie congruunt, bacæ de gemmis dicuntur. corrupti in hac voce, & alii ſcriptores, quod eruditiſſimus Levinus Torrentius indicavit, vide ab illo citatos. & adde apud Hadrianum Iunium lib. 6. Animadverſ. cap. 15. C. Petronium. *quo Margarita cara, tribaca, Indica.* Claudiani locum unum in paneg. de 4. Honorii conſul.

Et variis ſpirat Nereia baca figuris.

Et alterum in paneg. de 6. Hon. conſul.

Subſtringitque comam gemmis, & colla monili
Circuit & bacis onerat candentibus aures.

PARALIPOMENA.

De Minervæ Chalcidicæ Æde.

Cum diis devictarum gentium, nomina etiam, non ſolum cultus recipere ſolebant Romani, unde & Minervæ Chalcidicæ templum in hac 9. reg. collocat Onuphrius, & ante illum P. Victor, ad ſimilitudinem ejus quod Spartæ erat, quod *Chalciœcum* vocant. Meminere ſcriptores Latini Græcique. T. Liv. 5. Decad. lib. 5. *Ætholi circa Chalciœcon (Minervæ eſt templum æreum) congregati caeduntur.* Pauſan. Lacon. ἐνταῦθα Ἀθηνᾶς ἱερὸν πεποίηται, πολιούχου καλουμένης, καὶ χαλκιοίκου τῆς αὐτῆς. *Hic Minervæ templum factum eſt, quæ Poliuchus, & Chalciœcus eadem appellatur.* Non ergo hoc nominis ipſi deæ Minervæ, ſed templo competebat: licet certum ſit frequentius deæ ſolere attribui. Suidas locuples eſt teſtis: χαλκίοικος ἡ Ἀθηνᾶ ἐν Σπάρτῃ, ἢ, ὅτι χαλκοῦν οἶκον εἶχεν, ἢ διὰ τοὺς χαλκιδεῖς τοὺς ἐν Εὐβοίᾳ φυγάδας αὐτὸν κτίσαι. *Chalciœcus Minerva Sparte, vel quod domum æream habebat, vel quod Chalcidenſes qui ſunt in Eubœa, exules, id templum condiderunt.* Et ex eodem multiſque aliis auctoribus Cælius Rhodiginus Antiquar. lect. l. 19. cap. 8. ergo à ſtructura ærea, vel ſimulachro Iovis æreo, omnium, quorum in vetuſtate mentio, antiquiſſimo, ſic fanum appellatum, vel à Chalcidenſibus conditoribus, impoſito Chalcidicæ nomine. Virgil. l. 6. Æneid.

Chalcidicaque levis tandem ſuperaſtitit arce.

Vel forte Minervæ id cognomenti impoſitum, quod bellorum illa haberetur præſes, in quibus armorum æreorum frequens uſus; ferreorum, nullus, quod viri docti obſervarunt, ex Homero & C. Plinio, certe apud Homerum ducum clypei, aut aurei, aut ærei, ferrei nuſquam, Iliad. l. 6. v. 235.

Ὃς πρὸς Τυδεΐδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβε
Χρύσεα χαλκείων ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

Qui cum Tydide Diomede arma permutavit, aurea æreis, centum bobus valentia, cum iis quæ novem bobus æſtimabantur. Haſtæ etiam, non modo clypei ex ære eidem deſcribuntur pene ubique l. 3. Iliad. in principio in apparatu monomachiæ Paridis;

Παρδαλέην ὤμοισιν ἔχων, καὶ καμπύλα τόξα,
Καὶ ξίφος, αὐτὰρ ὁ δοῦρε δύω κεκορυθμένα χαλκῷ
Πάλλων.

Pellem Pardi humeris habens, & curvos arcus, & enſem, ſed hic haſtilia duo acuminata ære vibrans. Plutarch. in parallel. Rom. & Græc. cap. 11. φωραθέντος δὲ τούτου Ἀγησίλαος ὁ πατὴρ μέχρι τοῦ ναοῦ τῆς χαλκιοίκης συνεδίωξεν Ἀθηνᾶς καὶ τὰς θύρας τοῦ τεμένους πλίνθῳ φράξας, λιμῷ ἀπέκλεισεν. ἡ δὲ μήτηρ καὶ ἄταφον ἔρριψεν. *Deprehenſum autem Ageſilaus pater uſque ad templum Minervæ Chalciœci cum aliis perſecutus eſt, ejus autem mater etiam ſepulturæ honore ſeu intumulatum projecit.* Æmil. Prob. ſive Cornel. Nepos in Pauſaniæ vita. *Itaque paucis ante gradibus, quam qui ſequebantur, in ædem Minervæ, quæ Chalciœcus dicitur, confugit: hinc ne exire poſſet, ſtatim Ephori valvas ejus ædis obſtruxerunt, tectumque ſunt demoliti, quo facilius ſub dio interiret.* Vt mirum mihi videatur, cur nonnulli eruditionis & famæ nomine ſubvecti, inſigneſque viri, non *Minervam*, ſed *Iunonem* hoc epitheti habuiſſe contendant. Adeoque interpres Gallicus Plutarchi lapſus turpiter, dum in vita Lycurgi χαλκίοικον, *templum Iunonis Chalciœci* exponit; deceptus, ut puto, ambiguitate ſcriptorum, qui deam non nominant, ſed cognomentum tantum exprimunt. Idem Plutarchus in Ægide & Cleomene. Polyænus ſtratag. lib. 4. δι' ἃ δὴ συλλαλήσαντές τισι τῶν νέων ἐκήρυττον εἰς τὸ τῆς χαλκιοίκου τέμενος μετὰ τῶν ὅπλων εἶναι τοὺς ἐν ἡλικίᾳ. *Propter quas cauſas, cum quibuſdam juvenibus collocuti, proclamari per præconem juſſerunt, ut omnes ætate corroborata in templum Chalciœci concurrerent.* Thucydides belli Peloponneſ. l. 1. pag. 89. πρὸς τὸ ἱερὸν τῆς χαλκιοίκου χωρήσας δρόμῳ, καὶ προκαταφυγεῖν. *In templum Chalciœci ſe proripuiſſe, curſuque cæteros præveniſſe.* Ælian. var. hiſtor. l. 9. cap. 41. ἐπεὶ δὲ ἦν πρὸς τῇ χαλκιοίκῳ, καὶ διαπάλαιε τῷ λιμῷ, καὶ ἔμελλεν ἀποθνήσκειν ἀνθρώπων ἀλγεινότατα. *Cum vero jam eſſet in Chalciœco, & cum fame luctaretur, jamque calamitoſiſſime omnium mortem cerneret.*

Eadem hæc Minerva quæ *Chalciœcus* dicta, & *Chalciotis* vocari ſolebat, notat Philip. Beroald. in l. 10. L. Apuleii de Aſino. Pauſaniæ prius citato *poliuchos* audit, quod nempe in arce edita fanum iſtud conſpiceretur, veluti urbis præſes aut tutela; talis enim erat Pallas. Q. Catullus ep. 1.

Qualecunque quod eſt, patrona virgo,
Vno plus maneat perenne ſæclo.

In quo verſu mira diverſitas. Nam vetus editio præfert:

Qualecunque quidem, ora per virorum.

Ioſephus Scaliger cenſuit legendum:

Qualecunque, quod ô patrima virgo.

Sed noſtram lectionem ex MS. codice aſſeruit Achilles Statius

Nea-

Neapolitanus, & habet ipſum Catullum fautorem, qui *Palladem arcium* ſive *urbium præſidem* deſcribit Epigr. 62. in nuptiis Pelei & Thetidos:

Diva quibus retinens in ſummis urbibus arces
Ipſa levi fecit volitantem flamine currum.

Ex illa conſuetudine dii locorum & maxime urbium præſules πολιοῦχοι θεοὶ vocabantur, ac ſi *tutelares* dicas. Iul. Poll. l. 1. cap. 1. num. 23. Quo reſpicit C. Suetonius in Vitellio cap. 13. *Hanc quoque* (cœnam) *exuperavit ipſe dedicatione patinæ, quam ob immenſam magnitudinem, clypeum Minervæ,* Αἰγίδα πολιούχου, *dictitabat.* Vide Suidam in voce πολιοῦχοι. Quod epitheti tributum Minervæ. Ariſtophan. in Equitibus:

ὦ πολιοῦχε Παλλάς, ὦ
τῆς ἱερωτάτης ἁπα-
σῶν, πολέμῳ τε καὶ ποιη-
ταῖς, δυνάμει θ' ὑπερφερού-
σης μεδέουσα χώρας.

Vertit Nicodemus Friſchlinus:

Caſta Minerva, quæ omnium [melius, *cuſtos Minerva*]
Hanc celeberrimam urbium
Marte poëticaque habes,
Et valida potentia
Huic dominaris oræ.

Apollon. Rhodius Argonautic. l. 1. apud Gyraldum Ferrarienſem de diis gentilibus Syntagm. 11. pagin. 294.

At Chalcidicæ Minervæ fanum non in monte aliquo, ſed in plano, conſtat ex ſitu nonæ hujus regionis, & meminit Dio Cocceian. l. 51. in narratione de Auguſto. ἐπεὶ δὲ ταῦτα διετέλεσε, τό τε Ἀθήναιον, καὶ τὸ χαλκιδικὸν ὠνομασμένον, καὶ τὸ βουλευτήριον, τὸ Ἰουλίειον, τὸ ἐπὶ τῇ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ τιμῇ γενόμενον, καθιέρωσεν. *Deinde Minervæ templum, quod Chalcidicum vocatur, tum curiam Iuliam in honorem patris ſui factam dedicavit.*

PARALIPOMENA.

De Syllæ Felicis ſepulchro.

Syllam phthiriaſi obiiſſe notum, & ob id *in gente Cornelia primum crematum liquido patet*, ex Plinio, Appiano, & aliis. De loco ſepulchri altum inter ſcriptores ſilentium, niſi quod Onuphrius in nona regione collocat. Sepulchro, ut apparet, ſecundum illius ævi ritum, inſculptum eloquium *Felicis*, quod vivus adeo cupide fuerat amplexus. Q. Flor. Tertull. Apolog. contra gentes cap. 11. *Quis ex illis diis veſtris gravior & ſapientior Catone, juſtior & militarior Scipione, quis ſublimior Pompejo, felicior Sylla, copioſior Craſſo, eloquentior Tullio?* Valer. Maximus l. 6. cap. 9. tit. ult. *Turpem adoleſcentulum, & virum dicerem fortem* (L. Syllam) *niſi ipſe ſe felicem appellari maluiſſet.* Iul. Sol. polyhiſt. cap. 7. *Qui attingat ad titulum felicitatis, necdum repertus eſt, & qui felix cenſeri jure debuerit, namque Cornelius Sylla dictus potius eſt, quam fuerit felix.* C. Plin. l. 7. cap. 43. *Vnus hominum ad hoc ævi, felicis ſibi cognomen aſſeruit L. Sylla, civili namque ſanguine, ac patriæ oppugnatione adoptatus.* Iul. Firmic. Maternus l. 1. Matheſeos cap. 3. *Decreto ampliſſimi ſenatus, & populi nomine proſpera & perpetua felicitatis ornatur.* C. Sueton. in Tiberio cap. 59.

Aſpice felicem ſibi, non tibi, Romule Syllam,
Et Marium, ſi vis, aſpice, ſed reducem.

Iſtud vero cognominis ſibi ab aliis delatum, cum ipſe fortunæ filius dici voluerit, Plutarch. l. de fort. Romanor.

REGIO DECIMA, PALATIVM.

Mons Palatinus, alias, Romulius.
Via nova.
Prata Bacchi, ubi fuerunt ædes Vitruvii Fundani.
Clivus Victoriæ.

Vici VII.

Vicus Padi.
Vicus Curiarum.
Vicus Fortunæ reſpicientis.
Vicus Salutaris.
Vicus Apollinis.
Vicus Hujuſce Diei.
Vicus Fortunæ reducis.
Vicomagiſtri XXIIX.
Curatores II.
Denunciatores II.
Roma Quadrata.
Sedes Imperii Romani.
Velia.
Summa Velia.
Ad capita Bubula.
Sicilia in Palatio.
Ad Mammam, hoc eſt, dietæ Mammeæ.
Lucus Larum.

Templa X.

Templum Iovis Statoris.
Templum Fidei.
Templum Apollinis Palatini, dedicatum ab Auguſto, ubi Lychnuchi pendebant, inſtar arboris mala ferentis: cum porticu & area, in quo erant:
Simulachra Dei Apollinis, opus Scopæ.
Dianæ, opus Timothei, &c,
Signa quatuor Boum æneorum à Myrione facta.
Templum Lunæ in Palatio.
Templum Iovis, alias, Solis Alagabali.
Templum Auguſti.
Templum Quirini prope Lupercal, ubi erat ſignum Lupæ, præbentis duobus pueris, Romulo & Remo, mammas.
Templum Iovis propugnatoris.
Templum Matris Deûm, & alias, Magnæ matris Ideæ, cum ſimulachro ejus ex Peſſinunte devecto.
Templum Febris in Palatio cum ara.

Ædes IX.

Ædes Conſi.
Ædes Deæ Viriplacæ, in Palatio.
Ædes Fortunæ Vicinæ.
Ædes Rhamnuſiæ.
Ædes Iovis Victoris.
Ædes Dijovis.
Ædes Orci.
Ædes Veſtæ.
Ædes Victoriæ.

Ædiculæ VII.

Porticus Templi Apollinis, cum ſtatua M. Varronis.
Area Templi Apollinis Palatini.
Sacellum Larum in Velia.
Sacellum Volupiæ.
Delubrum Iunonis Soſpitæ.
Delubrum Palatii.
Delubrum Minervæ.

Delu-

Delubrum Latonæ.
Pentapilon Iovis Arbitratoris.
Auguratorium.
Iovis Cœnatio.
Curia Saliorum.
Sacrarium Saliorum Palatinorum.
Lupercal in Theatro.
Caſa Romuli.
Tugurium Fauſtuli.
Ara Febris.
Ara Palatina.
Coloſſus Iovis Opt. Max. altus pedes CCL.
Fortuna reſpiciens.
Victoria Germaniciana.
Coloſſus Apollinis Tuſcanici L. pedum in Bibliotheca Palatina.
Statua aurea Britannici Cæſaris.
Theatrum Statilii Tauri in Palatio.
Curiæ veteres IV. id eſt,
Forienſis.
Rapta.
Vellenſis, &
Velitia.
Balineæ Palatinæ.
Balineæ privatæ XV.
Arcus Octavii patris Auguſti, cum ſignis Apollinis & Dianæ, ex uno lapide, opus Firiæ, quadriga & curru.
Bibliothecæ Palatinæ duæ, videlicet Latina Apollinis, in qua erat ſtatua Numeriani Imp.
Bibliotheca domus Tiberianæ.
Septizonium Severi Imperatoris.
Sepulchrum Cinciorum.
Piſtrina XII.
Horrea XVI.
Domus CXXCIX.

In his:

Domus Tullii Hoſtilii regis.
Anci Marcii Regis.
Servii Tullii Regis.
Poplicolæ in Velia.
L. Craſſi Oratoris.
L. Hortenſii Oratoris.
L. Sergii Catilinæ.
M. Æmilii Scauri.
C. Cæſaris Dictatoris.
L. Annæi Senecæ.
M. Valerii Flacci.
D. Catuli.
M. Ciceronis.
Domus Auguſtana.
Domus Tiberiana cum Bibliotheca.
Domus Dionyſii.
Domus Cejoniorum.
Inſulæ CIϽIϽC. id eſt, 1600.
Regio in ambitu continet pedes CCIϽϽ ∞ ICC. id eſt, 11600.

PARALIPOMENA

Ad Regionem decimam.

DE LYCHNVCHIS APOLLINIS PALATINI.

De Apollinis Palatini templo, ac Bibliotheca dicam lib. 2. cap. 7. hic tantum de lychnis ſeu lychnuchis paulo altius repetendum. lumina ergo veterum, non faces, funalia, candelæ, ſed *lychni*, quos generali nomine *lumen* interpretatur Iſidor. l. 17. cap. 8. deſcribit D. Auſonius Eidyll. 2. in Cupidine cruci *affixo*, & teſtam vult fuiſſe, quod idem valet, ac ſi lucernam dicas.

Fert fumida teſtæ
Lumina Seſtiaca præceps de turre puella.

Iul. Pollux lib. 7. Onomaſt. cap. 33. Num. 7. λυχνοποιός, λυχνοπώλης, λυχνοῦχος. *Lychnorum confector, lychnorum venditor, lychnuchus.* Heliodor. Æthiopic. lib. 7. μόνον δὲ τὸν θάλαμον λύχνου καταυγάζοντος. *Solum autem thalamum lychno illuſtrante.* Arrian. diſſertat. Epicteti libr. 1. cap. 19. ἔρχεται εἰς οἶκον, ὑφάπτει λύχνους ἀπομυθίους, ἀναβαίνει εἰς τὸ καπιτώλιον, ἐπιθύει. *Domum venit, collucent omnia lychnis, aſcenditur in Capitolium, ſacrificatur.* Videtur reſpexiſſe ad locum C. Suetonii in Iulio cap. 37. *aſcenditque Capitolium ad lumina quadraginta elephantis dextra atque ſiniſtra lychnuchos geſtantibus.* non Romanum hunc tantum fuiſſe morem, ſed & Græcum indicio eſt authoritas Euripidis in Ino.

Κοίλοις ἐν ἄντροις ἄλυχνος ὥσπερ θὴρ μόνος.
Cavis in antris ſine lychno tanquam fera ſolitaris.

Luctatius Placidius Grammaticus: *privatorum uſibus* videtur *lucernas* attribuere, *principum lychnos*, ad v. 521. l. 1. Thebaidos Statianæ:

Aſt alii tenebras, & opacam vincere noctem
Aggreſſi, tendunt auratis vincula lychnis.

Ariſtophanes in Achernenſibus meminit Act. 4. ſcen. 2.

Κρατὴρ κακῶν, τριπτὴρ δικῶν,
Φαίνειν ὑποδείξας λυχνοῦχος, καὶ κύλιξ
Τὰ πράγματ' ἐγκυκᾶσθαι.

Vertit Nicodem. Friſchlinus:

Erit malorum plurium
Crater, tapetum litium,
Fax (lucerna) in reis quadruplandis, & calix in hac
Republica obruenda.

Priſcianus Cæſarienſis in verſione periegeſeos Dionyſii Afri:

Et flammæ ſimilis ſplendenti lumine lychnis.

Idem in eodem carmine ad finem:

Hic lychnis lucem ſimulat ſplendore lucernæ.

D. Paulin. Epiſcopus Nolæ D. Felicis Natali 6.

Aſt alii pictis accendunt lumina ceris,
Multiforeſque cavis lychnos laquearibus aptant,
Vt vibrent tremulas funalia pendula flammas.

Recte *pendula funalia*, Statius paulo ante, *tendere vincula* dixit. Virgil. l. 1. Æneid. v. 729. in convivio illo Didûs:

Fit ſtrepitus tectis vocemque per ampla volutant
Atria, dependent lychni laquearibus aureis.

T. Lucret. de Rer. Nat. lib. 5.

Quinetiam nocturna tibi terreſtria quæ ſunt
Lumina, pendentes lychni, claræque coruſcis
Fulguribus, pingues multa caligine tædæ.

En clare, *tædæ* apud Lucretium, *cereæ candelæ* apud Divum Paulinum, diſcretæ à *lychnis* ſeu *lucernis*, in quibus nec cera, nec pix, nec ſebum, ſed oleum. C. Plinii extat apud Servium locus ad lib. 1. Georgic. v. 391. & ipſe Virgilius:

Nec nocturna quidem carpentes penſa puellæ
Neſcivere hyemem, teſta cum ardente viderent
Scintillare oleum.

M. Mar-

M. Martial. lib. 4. epigr. 90.

Dum parvus lychnus modicum consumat olivi.

E testa illa, aut *ære*, Artemidor. Oneiroc. libr. 2. cap. 9. Et est æreus lychnus visendus apud Clariss. virum nostrique sæculi lumen, P. Petanium, in supremo senatu Consiliarium. Porro lychnos non extinguebant, sed eos sinebant languescere. Petronius Arbiter in Satyrico pag. 16. *Lucernæ quoque humore defectæ, tenue & extremum lumen spargebant*. Elegans est Gallieni Aug. Epithalamium, quod adscribam propter venustatem:

Ite, agite, ô juvenes pariter sudate medullis
Omnibus inter vos, non murmura vestra columbæ,
Brachia non hederæ, non vincant oscula conchæ,
Ludite, sed vigiles nolite extinguere lychnos,
Omnia nocte vident, nil cras meminere lucernæ.

Allusit, ut puto ad posteriorem versum Philodemus vetus poëta, in Anthologia lib. 7. epigr. 89.

Νὺξ ἱερὴ, καὶ λύχνε, συνίστορας οὔ τινας ἄλλους
 Ὅρκοις, ἀλλ' ὑμέας εἱλόμεθ' ἀμφότεροι.
Χὼ μὲν ἐμὲ στέρξειν, κεῖνον δ' ἐγὼ οὔποτε λείψειν,
 Ὠμόσαμεν κοινὴν δ' εἴχετε μαρτυρίην,
Νῦν δ' ὁ μὲν ὅρκια φησὶν ἐν ὕδατι κεῖνα φέρεσθαι
 Λύχνε σὺ δ' ἐν κόλποις αὐτὸν ὁρᾷς ἑτέρων.

Nox sacra, & lychne, conscios nullos alios juramentis, sed vos appetimus ambo. Et hic quidem se me amaturum, illum vero me nunquam relicturum juravimus, commune habere testimonium, jam vero ille quidem juramenta dicit in aquam illa ferenda, lychne tu vero in finibus ipsum vides aliorum. Indicavit & M. Martialis l. 11. epigr. 105. ad uxorem:

Tu tenebris gaudes, me ludere teste lucerna,
Et juvat admissa rumpere luce latus.

Horat. lib. 3. od. 21. lucernas tota nocte arsisse vult, amoribusque adhibitas:

Te Liber, &, si læta aderit, Venus,
 Segnesque nodum solvere Gratiæ;
Vivæque producent lucernæ,
 Dum rediens fugat astra Phœbus.

Sext. Propert. lib. 2. eleg. 15.

Quam multa apposita narramus verba lucerna,
 Quantaque sublato lumine rixa fuit.

Et lib. 3. eleg. 7.

Dulcis ad extremas fuerat mihi rixa lucernas.

De vario ritu lucernas accendendi festis diebus, coronandi, ante ostia sua statuendi, observatum abunde à Criticis, & dicam alibi. Istud certe à nullo animadversum, quod sciam, *Ignem Imperatoribus prælatum in lucernis*. Et quidem de ignis usu apud Romanos ex Herodiano, apud Persas ex Xenophonte, docuit Iust. Lipsius ad Tacitum suum lib. 1. Annal. At de lucerna locus est insignis apud Corippum Africanum, de Iustino principe in ludos Circenses prodeunte, lib. 2. Num. 8.

——— *Prænuntius ante*
Signa dedit Cursor posita de more lucerna.

Signum ergo illud erat Cæsarem adventare, quoties Cursores lucernas prætulissent, quas in Circo ponebant, veluti sacræ & non violandæ majestatis indicium, sequitur enim apud eundem Poëtam.

Exoritur lætum jucunda per agmina murmur;
Intentos oculos ad sedem vulgus herilem
Extulit assurgens, quoniam plebs læta videre
Fœlicem dominum summo cupiebat amore,

REGIO XI. CIRCVS MAXIMVS.

Vici VIII.

Vicus Consivius, alias Consinius.
Vicus Proserpinæ.
Vicus Cereris.
Vicus Argæi.
Vicus Piscarius.
Vicus Parcarum.
Vicus Veneris.
Vicus Sanctus.
Vicus Antiquus Publicii ad portam Trigeminam.
Vicomagistri XXXII.
Curatores II.
Denunciatores II.
Porta Trigemina.
Salinæ ad portam Trigeminam.
Velabrum majus in foro Olitorio.
Velabrum minus.
Argiletum.
Lucus Semelis minor.
Lucus Saturni.
Templum Mercurii.
Templum Castoris.
Templum Herculis Victoris in foro Boario.
Templum Iani ad forum Olitorium.

Ædes XXII.

Ædes Summani, alias, Ditis patris.
Ædes Cereris vetus.
Ædes Proserpinæ.
Ædes Veneris, opus Fabii Gurgitis.
Ædes Portumni, ad pontem Sublicium, alias Aimilium.
Ædes Herculis Olivarii, ad portam Trigeminam.
Ædes Cereris.
Ædes Pompeii, in qua erat Herculis signum, à Myrione factum.
Ædes Portumni vetus.
Ædes Murciæ, alias Veneris Myrteæ.
Ædes Consi subterranea, alias, Neptuni equestris.
Ædes Pietatis in foro Olitorio.
Ædes Iunonis Matutæ in foro Olitorio.
Ædes Iunonis.
Ædes pudicitiæ patriciæ.
Ædes pudicitiæ plebejæ in Vico longo.
Ædes Fortunæ virilis ad Tiberim, in qua erat statua lignea Ser. Tullii Regis.
Ædes Spei in foro Olitorio.
Ædes Apollinis Medici.
Ædes Liberi Liberæque.
Ædes Solis.
Ædes Floræ.

Ædiculæ VIII.

Ædicula Veneris.
Ædicula Iunonis.
Ædicula....
Ædicula Iuventutis in Circo.
Ædicula Solis in Circo.
Ædicula Proserpinæ.
Ædicula Cereris.
Ædicula Parcarum.
Area Sancta.
Area Apollinis.
Sacrarium Saturni cum Luco.

Sacel-

Sacellum Iovis Conservatoris.
Sacrarium Numæ.
Ara maxima, alias, Magna Herculis.
Ara Consi.
Ara Iovis inventoris.
Ara Accæ Laurentiæ in Velabro.
Apollo Cœlispex.
Hercules Triumphalis.
Signa Dearum Setiæ, alias, Segestæ.
Metiæ ac Tutilinæ in Circo maximo.
Circus Maximus, qui capit loca CCIↃↃ IↃↃCCCC I ↃↃↃↃ. id est, 485000. in quo erant Obelisci duo magni, quorum major est pedum CXXXII. minor pedum LXXXIIXS.
Circus Intimus.
Forum Olitorium.
Basilica Caji & Lucii Cæsarum.
Campus Trigeminorum.
Tabernæ bibliopolarum Argiletanæ.
Emissarium Cloacæ maximæ in Tiberim.
Balineæ privatæ XV.
Lacus sine nomine XV.
Fornix Sertinii in Circo maximo cum signis auratis.
Columna Lactaria in foro Olitorio, ad quam infantes lacte alendos deferebant.
Lupanaria.
Horrea XVI.
Pistrina XII.
Domus CXXCIX. id est, 189.
Insulæ ∞ IↃC. id est, 1600.
Regio in ambitu continet pedes CCIↃↃ ∞ IↃC. id est, 11600.

PARALIPOMENA.

Ad Regionem undecimam.

DE ARGILETO.

Euander Argum quendam suscepit hospitio, qui cum de ejus cogitaret interitu, ipse ut regnaret Euandro hoc non sciente, socii intellexerunt, & Argum necarunt, cui Euander & sepulchrum fecit, & locum sacravit, non quod ille merebatur, sed hospitalitatis causa, ergo *Argiletum ab Argo illic sacrato, & sepulto. Alii Argum occisum dicunt ab ipso Euandro, auxiliante sibi Hercule, quod is ex hospite factus esset inimicus. Alii Danaën cum duobus filiis Argo & Argeo, quos de Fineo habuit, venisse in Italiam, & locum ubi nunc Roma est tenuisse, ibique Argum Aboriginum insidiis interfectum loco nomen dedisse. Alii Argiletanam portam appellari, quod eam Cassius Argilus sive fecerit, sive refecerit, quod ibi Cassius, post Argilus bello Punico primo sit interfectus ob turbulentam & seditiosam naturam. Alii quod Argilus senator post Cannense prælium suaserit à Pœnis pacem postulari, ideo in senatu carptum, domumque ejus dirutam, & locum Argiletum appellatum.* Hæc ad verbum Servius Danielis, apud quem & plures vide rationes ad illud. lib. 8. Æneid.

Nec non & sacri monstrat nemus Argileti
Testaturque locum, & letum docet hospitis Argi.

M. Terent. Varro l. 4. de Ling. Lat. *Argiletum sunt qui scripserunt ab Argo, seu quod is huc venit, ibique sepultus sit, alii ab argilla, quod ibi id genus terræ.* Est autem in principio vici Thusci sub Cæliolo inter Circum Maximum & Aventinum, ubi letum Argi simul & sepulchrum est, atque hic superior Argiletus vocatur. Imus autem est, ubi Ianus quadrifrons, qui & Vertumnus, in fine vici Thusci ad radices Capitolii, in foro boario. Q. Fabius Pictor l. 1. in fine de Aureo sæculo & orig. urb. Rom. *Terminumque ab altero latere habet Marcelli theatrum.* Bartholom. Marlian. Topograph. l. 4. cap. 9. Tabernæ hic meritoriæ. M. Martial. l. 1. Epigr. 119.

Argi nempe soles subire letum:
Contra Cæsaris est forum taberna,
Scriptis postibus hinc & inde totis.

Et præsertim bibliopolarum. Onuphrius in fine pæne hujus regionis, *Tabernæ bibliopolarum Argiletanæ*. Martial. l. 1. Epigr. 4.

Argiletanas mavis habitare tabernas,
 Cum tibi parve liber scrinia nostra vacent.

Aut sutorum; Idem lib. 2. epigr. 17.

Argique letum multus obsidet sutor.

REGIO XII. PISCINA PVBLICA.

Vici XII.

Vicus Veneris almæ.
Vicus Piscinæ publicæ.
Vicus Dianæ.
Vicus Cejos.
Vicus Triari.
Vicus Signisalientis.
Vicus Lacitecti.
Vicus Fortunæ Mammosæ.
Vicus colafiti pastoris.
Vicus portæ Dudusculanæ.
Vicus portæ Naviæ.
Vicus Victoris.
Vicomagistri XLIIX.
Curatores II.
Denunciatores II.
Cohortes Vigilum III.
Caput viæ novæ.
Fons Lollianus.
Ædes Bonæ deæ Subsaxanæ.
Ædes Isidis.

Ædiculæ XII.

Ædicula Veneris almæ.
Ædicula Dianæ.
Ædicula Fortunæ Mammosæ.
*
Area radicaria.
Ara Lavernæ.
Fortuna Mammosa.
Isis Athenodora.
Signum Delphini.
Campus Lanatarius.
Horti Asianiani.
Thermæ Antonianæ.
Balineæ privatæ LXIIX.
Lacus LXXX.
Septizonium vetus.
Horrea XXIIX.
Pistrina XXV.
Domus CXXIIX.

In

In his:

Domus VII. Parthorum.
L. Fabii Cilonis.
L. Cornificii.
Privata Hadriani Imperatoris.
Insulæ ∞ ∞ CDXXCVI. id est, 2486.
Regio in ambitu continet pedes CCIↃↃ ∞ ∞ id est, 12000.

REGIO DECIMATERTIA, AVENTINVS.

Mons Aventinus.
Clivus Publicii.

Vici XVII.

Vicus Fidii.
Vicus Frumentarius.
Vicus Trium viarum.
Vicus Cæseti.
Vicus Valerii.
Vicus Laci Miliari.
Vicus Fortunæ.
Vicus Capitis Canteri.
Vicus Trium alitum.
Vicus Novus.
Vicus Loreti minoris.
Vicus Armilustri.
Vicus Columnæ ligneæ.
Vicus Materiarius.
Vicus Mundiciei.
Vicus Loreti majoris, ubi erat Vortumnus.
Vicus Fortunæ dubiæ.
Vicomagistri LXIIX.
Curatores II.
Denunciatores II.
Clivus Publicus.
Caput Armilustri.
Doliolum.
Remuria.
Scalæ Gemoniæ.
Lauretum.
Mappa aurea.
Spelunca Caci.
Platanon.
Lucus Lunæ in Aventino.
Lucus Laurentinus.
Lucus Platanorum.
Lucus Loreti majoris.
Lucus Loreti minoris.
Lucus Hylernæ.

Templa VI.

Templum Lunæ in Aventino magnum.
Templum commune Dianæ.
Templum Bonæ deæ in Aventino.
Templum Libertatis.
Templum Iunonis Reginæ, DD. à Camillo captis Vejis.
Templum Isidis.

Ædes VIII.

Ædes Consi.
Ædes divi Tati.
Ædes Minervæ, alias, Palladis in Aventino.
Ædes Silvani.
Ædes Mercurii.
Ædes Herculis & Silvani.
Ædes Matutæ cum æreis columnis & atrio.
Ædes Victoriæ in Aventino.

Ædiculæ XVII.

Ædicula Fidii, alias, Fidei.
Ædicula Fortunæ dubiæ.
Ædicula Hylernæ.
Ædicula deæ Tutilinæ.
Porticus Aimilia.
Porticus Fabaria, alias, Faberii.
Atrium Libertatis in Aventino.
Atrium Matutæ.
Sepulchrum divi Tatii.
Area Publica.
Area Pinaria.
Ara Iovis Elicii.
Vortumnus, alias, ædes Vortumni.
Fortuna Horreorum Galbianorum.
Statua Minuci Augurini, præfecti Annonæ.
Odæum.
Naumachia.
Forum pistorium.
Campus Pecuarius, alias, Pescuarius.
Schola Cassii.
Thermæ Varianæ.
Thermæ privatæ Trajani.
Balineæ privatæ LXXIV.
Lacus LXIIX.
Fons Silvani.
Emporium extra portam Trigeminam.
Sepulchrum C. Sestii VII. viri Epulonum.
Columna P. Mancini præfecti annonæ.
Horrea XXXVI.

In his:

Aniceti.
Varguntei.
Galbiani.
Horrea Domitiani Augusti.
Pistrina XXX.
Domus CLV.

In his:

Domus Ulpiorum, alias, privata Trajani.
Domus Vitellii Imperatoris.
Ennii Poetæ.
Faberii scribæ.
L. Licinii Suræ III. Cos.
Insulæ ∞ ∞ CDXXCIIX. id est, 2488. Regio continet in ambitu pedes CCIↃↃ IↃↃ ∞ CCC. id est, 16300.

PARA-

PARALIPOMENA

Ad Regionem decimamtertiam.

DE MAPPA AVREA.

Vicum *mappæ aureæ* ponunt in hac regione Topographi, Onuphrius Panvinius & P. Victor; sed neuter nominis impositi rationem explicat, fortean à commissionibus Circensibus tractum nomen, quæ *mappa extensa* indicebantur, voce Punica ad id significandum in civitatem Latinam transmissa. M. Quintilian. lib. 1. cap. 5. Sed omnia ab eruditis hactenus discussa observataque sunt, ideo & obvia. Adrian. Turneb. lib. 18. cap. 33. Sed nemo melius expresserit Iustiniano Aug. de Consulibus Constitut. 105. *Ac primus quidem illi* (Consuli) *in publicum processus erit Calend. Ianuariis, qua die consulatum suscipiet, & hujus adquiret codicillos: ab illo secundum producet spectaculum equorum cursu certantium, quod sane mappam appellant, & tertium, venationem (ut nuncupant) theatricam, non bis, sed semel tantummodo exhibendam.* Originem ritus discere non est obscurum ex Georgio Cedreno histor. Compendio pag. 139. μαππάρειον τοῖς Ῥωμαίοις ἔδοξε καλεῖν ἐξ αἰτίας τοιαύτης, ἔθος ἦν τοῖς ὑπάτοις ἐπὶ τῶν θεάτρων εὐωχεῖσθαι, μετὰ δὲ τὸ παύσασθαι τῆς εὐωχίας τὸ ἐν χερσὶν ἐκμαγεῖον, ὃ καὶ μάππαν πατρίως καλοῦσιν, ἐξ οὗ καὶ μανδύλια ἔρριπτον, ὅπερ ὑποδεχόμενος ὁ λεγόμενος μαππάρειος, τὸν ἀγῶνα παρεσκεύαζεν. *Mappulæ nomen Romanis tali de causa usurpatur, mos erat ut consules in theatro epularentur, ac postquam saturati convivio erant, mantile quod manibus tenebant, quod & mappa dicitur, projicerent, idque is, qui ab ea re mapparius dicitur, arripiens, certamen adornabat.* Hæc ille de inventione prima, auctorem fuisse Neronem principem liquet ex Aurelio Cassiodoro lib. 3. Epist. 51. *Mappa vero quæ signum dare videtur Circensibus, tali casu fluxit in morem, cum Nero prandium protenderet, & celeritatem, ut assolet, avidus spectandi populus flagitaret, ille mappam, qua tergendis manibus utebatur, jussit abjici per fenestram, ut libertatem daret certaminis postulandi, hinc tractum est, ut ostensa mappa, certa videatur esse promissio Circensium futurorum.* Q. Flor. Tertullian. lib. adversus Valentinianos ad finem, allusit, *sed mappa, quod ajunt missa est.* Idem lib. de spectaculis cap. ult. *dehinc ad signum anxii pendent, unius dementiæ una vox est, cognosce dementiam de vanitate, misit, dicunt, & nunciant invicem quod simul ab omnibus visum est, teneo testimonium cæcitatis, non vident missum quid sit, mappam putant, sed est diaboli ab alto præcipitati figura.* D. Iun. Iuvenal. sat. 11.

Interea Megalesiacæ spectacula mappæ,
Idæum solemne canunt.

Mittebatur hæc mappa, id est, ludi Circenses, aut Scenici indicebantur à Prætore. M. Martial. lib. 12. epigr. 29.

Prætor cretatam cum vellet mittere mappam,
Prætori mappam surripit Hermogenes.

Aut interdum à dictatore. T. Liv. 1. Decad. lib. 8. *prætore gravi morbo detento, dictator in Megalesiacis ludis mappam misit*, aut è libertis aliquis id muneris habebat. C. Sueton. in Nerone c. 22. *Universorum se oculis in Circo maximo præbuit aliquo liberto mittente mappam unde magistratus solent.* & recte *magistratus* dixit, nam & Consuli quandoque ea provincia committebatur. Iuvenal.

Quid si vidisset prætorem in curribus altis
Extantem, & medio sublimem in pulvere circi.

In tunica Iovis.

Vetus Scholiastes, *mappam*, inquit, *mittentem in circo consulem describit poeta*, usus ejus non modo ad signandas Circensium commissiones, populumque convocandum, verum etiam *ad feras irritandas*, & ad iram provocandas, quo ferocius congrederentur. L. Sen. lib. 3. de Ira cap. 30. *taurum color rubicundus excitat, ad umbram aspis exurgit, ursos leonesque mappa proritat*, quem locum sunt qui ad strepitum curulium agitationum trahant, sed magis apposite I. Lipsius de colore ipsius mappæ candicantis intelligit.

Reliqua quæ decimatertia hac, & decimaquarta regionibus describuntur, alibi exponentur suo loco commodius.

Interim quot fora Romæ fuerint, quæ nominum ratio, pete ex eruditissimo, & veræ senatoriæ dignitatis viro Andræa Tiraquello in Alexandr. Neapolit lib. 2. cap. 12. genialium dierum.

De portarum numero, nominisque rationibus consule eundem ad lib. 4. c. 16.

De viis extra urbem stratis celebrioribus, earumque curatoribus. Idem lib. 3. c. 13.

REGIO DECIMAQVARTA, TRANS TIBERIM.

Ianiculus Mons.
Vaticanus Mons.
Insula.
Nanalia.

Vici XXIII.

Vicus Censori.
Vicus Gemini.
Vicus Rostratæ.
Vicus Longi Aquilæ.
Vicus Statuæ Siccianæ.
Vicus Quadrati.
Vicus Raciliani majoris.
Vicus Raciliani minoris.
Vicus Ianiculensis.
Vicus Bruttianus.
Vicus Larum ruralium.
Vicus Statuæ Valerianæ.
Vicus Salutaris.
Vicus Paulli.
Vicus Sex Lucei.
Vicus Simi Publici.
Vicus Patratilli.
Vicus Laci restituti.
Vicus Saufei.
Vicus Sergi.
Vicus Ploti.
Vicus Viberini.
Vicus Grajanarum.
Vicomagistri XCII.
Curatores II.
Denunciatores II.
Cohortes Vigilum VII.
Caput Gorgonis.
Lucus Forinarum.
Lucus Publicus.
Lucus Vaticanus.
Templum Fortis Fortunæ.
Templum Apollinis in Vaticano.
Templum Fortunæ Liberæ.

Ædes sex.

Ædes Forinarum.
Ædes Isidis Naumachinæ.
Ædes Iovis.
Ædes Fauni.
Ædes Æsculapii.
Ædes Dianæ Suburbanæ.

Ædi-

Ædiculæ XXII.

Ianus Septimianus.
Area Vaticana.
Area Septimiana.
Sacellum Deæ Maniæ.
Aræ XII. Iano dicatæ.
Ara Martis.
Statua Valeriana.
Statua Sicciana.
Statua Divi Iulii in Insula.
Divæ Corniscæ.
Hercules cubans.
Hippodromus.
Circus Vaticanus, alias, Caji & Neronis, in quo obeliscus pedum LXXII. erat.
Circus Domitiæ in pratis.
Stadius publicus.
Obeliscus magnus in Insula.
Naumachiæ duæ.
Tribunal Aurelium.
Castra Lecticariorum.
Castra vetera.
Campus Bruttianus.
Campus Codetanus.
Campus Vaticanus.
Horti Cæsaris.
Horti Domitiæ.
Horti Galbæ Imperatoris.
Horti Martialis.
Horti Getæ.
Albiona.
Prata Mucia.
Prata Quinctia.
Nosocomion, ubi ægroti curabantur in Insula.
Thermæ Septimianæ.
Thermæ hyemales Aureliani Imperatoris.
Balineum Ampelidis.
Balineum Priscilliani.
Balinea privata CXXXVI.
Lacus CXXC.
Sepulchrum Numæ Regis in Ianiculo.
Sepulchrum St. Cæcilii Poëtæ.
Sepulchrum Hadriani Imperatoris.
Horrea XXII.
Pistrina XXXII.
Domus CL.

In his:

Domus Martialis.
Insulæ ∞ ∞ ∞ CDIX. id est, 3409.
Regio in ambitu continet pedes CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ ∞ ∞ ∞ CDXXCIX. 33489.

AQVÆ VIGINTI IN VRBE ERANT.

Aqua Appia.
Aqua Amio vetus.
Aqua Martia, alias Aufeia.
Aqua Tepula.
Aqua Iulia.
Aqua Virgo.
Aqua Halsia, alias Halsietina, quæ & Augusta.
Aqua Claudia Albudina, Cærulea, Curtia, Augusta.
Anio novus.
Rivus Herculaneus.
Aqua Craba.
Aqua Sabatina, vel Cimina, Aurelia, Septimiana trans Tiberim.
Aqua Trajana.
Aqua Alexandrina.
Aqua Damnata.
Aqua Annia.
Aqua Algentiana.
Aqua Severiana.
Aqua Antoniana.
Aqua Setina.
Procopius scribit, suo tempore fuisse in urbe aquæ ductus XIV.

QVONIAM QVO LOCO, VEL QVA VRBIS REGIONE REPONERENTVR, NON LIQVEBAT, HVC REFERRE PLACVIT.

Petuscum Palati regio Vrbis.
Fregellæ, locus in urbe.
Argæa, loca in urbe.
Esculetum locus in urbe.
Clivus foro proximus.
Vicus Publilius.
Vicus Cosconicus.
Compitum Fabricii.
Lucus Veneris Lubentinæ.

Templa.

Templa Fortunæ Virginis.
Muliebris via Latina.
Masculæ.
Barbatæ.
Equestris novæ.
Plebeiæ.
Privatæ.
Viscatæ.
Blandæ.
Convertentis.
Bene sperantis.
Avertentis.

Templa Iovis Victoris.

Invicti.
Pugnacis.
Prædatoris.
Mariani.
Templum Iunonis Caprotinæ.
Templum Apollinis Sosiani.
Templum Apollinis Tortoris.

Tem-

Templum Veneris Lubentinæ.
Templum Veneris Victricis.
Templum Herculis Defensoris.
Templum Herculis, via Latina.
Templum Adonidis.
Templum Annonæ sanctæ.
Templum Vacunæ.
Templum Iustitiæ.
Templum Themidis.
Templum Erynnarum.
Templum Clementiæ Cæsaris.
Templum divi Augusti ad Minervam.
Templum Iustitiæ Augusti.
Templum Fœcunditatis Poppeæ.
Templum divi Hadriani.

Ædes.

Ædes Honoris & Virtutis Martiana.
Ædes Deum Consentum.
Porticus Vipsani.
Porticus Reguli.
Porticus Stadiata.
Porticus C. Columnarum.
Porticus Curva in hortis Commodianis.
Atrium Sutorium.
Sacrarium gentis Iuliæ.
Sacellum Minucii,
Sacellum Mutini.
Ara Pacis.
Ara Larum.
Curiæ novæ proximæ compitum Fabricii.
Curia Tifata.
Curia Titia.
Curia Faucia, aliàs Saucia.

Fora.

Forum Gallorum.
Rusticorum.
Aurelii.
Cædicii.

Basilicæ.

Basilica Vestini.
Neptunii.
Vascellaria.
Flosselli.
Sicini.
Fulvia.
Mammeæ.

Campi.

Volcani.
Iovis.
Licinii.
Horti Mariani.
Horti Serviliani.
Horti Commodiani.

Balinea.

Ti. Claudii Etrusci.
Statili.
Martialis.
Annæi Senecæ.
Tuccæ.
Fausti. Fortunati.
Grylli. Lupi.
Pontici. Severi.
Pæti. Titii.
Offonii Tigillini.
Alexandri Imperatoris.
Varii.
Nymphæum Marci Imp. prope Septizonium.
Gordiani Imperatoris.
Lacus Servilius.

Castra.

Tabellariorum.
Victimariorum.
Salgamariorum.
Salicariorum.
Equitum singulorum.
Horrea Sejana.

IN VRBE ROMA ERANT MONTES SEPTEM.

Palatinus.
Capitolinus.
Cœlius.
Esquilinus.
Quirinalis.
Viminalis.
Aventinus.

Trans Tiberim.

Ianiculum.
Vaticanus.

Extra vetus Pomœrium.

Collis hortulorum.
Regiones XIV.
Vici CCX.
Ædiculæ totidem.
Vicomagistri IↃCCCXI.
Curatores XXIIIX.
Denunciatores XXIIIX.
Cohortes Prætoriæ XVII.
Cohortes Vigilum VI.
Cohortes Vrbanæ VI.
Excubitoria XIV.
Vexilla II. communia.
Castra Peregrina.
Castra Prætoria.
Castra Misenatium II.
Castra Tabelliorum.
Castra Lecticariorum.
Castra Victimariorum.
Castra Salgamariorum.
Castra Salicariorum.
Castra Equitum singulorum.
Castra Gyptiana.
Castra vetera.
Horrea CCCXXVII.
Pistrina CCCXXIX.
Balinea C ∞ IX. id est, 909.
Lacus ∞ XCIIX. id est, 1098.

Domus

Domus ∞ ∞ CXVII. id eſt, 2117.
Inſulæ CCIↃↃ IↃↃↃ ∞ C ∞ XII. id eſt, 41912.

Lucus XXXII.

Veſtæ Cuperius.
Iovis Viminei.
Loreti minoris.
Loreti majoris.
Platanorum.
Querquetularius.
Cuperius Hoſtiliani.
Cuperius Scholæ Capulatorum.
Mavortianus.
Vaticanus.
Furinarum.
Poëtilinus.
Lunæ in Aventino.
Lucinæ, ubi erat Terentum.
Saturni.
Semelis minor.
Larum.
Minervæ vetus.
Victoriæ.
Petilinus major extra portam Flumentanam.
Fagutalis.
Eſquilinus.
Mephitis.
Iunonis Lucinæ.
Rubiginis.
Veneris Lubentinæ.
Laurentinus.
Hylernæ.
Publicus.
Egeriæ.
Camœnarum.
Vaticanus.

Fora XIX.

Romanum, quod dicebatur Magnum.
Cæſaris Dictatoris.
Auguſti Cæſaris.
Boarium.
Tranſitorium, quod & divi Nervæ.
Olitorium.
Piſtorium.
Imperatoris Nervæ Trajani, Cæſaris Auguſti.
Domitii Ahenobarbi.
Suarium, alias Syarium.
Archemorium.
Diocletiani Imperatoris.
Gallorum.
Ruſticorum.
Cupedinis ad Corneta.
Piſcarium.
S. Criſpi Salluſtii.
Aurelium. Cædicii.

Baſilicæ XIX.

Vlpia.
L. Paulli in foro.
Veſtini.
Neptunni, alias Neptunii, alias Neptuni.
Macidii, alias Matidii, alias Matidiæ.
Iulia.
Marciana.
Vaſcellaria, alias Vaſtellaria.
Filicelli, alias Floſelli.
Sicini, alias Sicimini.
Conſtantiniana.
Porcia, à Porcio Catone facta.
L. Paulli vetus.
Argentaria.
Opimiana.
Æmilia.
Fulvia.
Mammæa.
Antoniniana.

Campi XVII.

Campus Viminalis.
Eſquilinus.
Agrippæ.
Martius.
Codetanus.
Bruttianus.
Lanatarius.
Pecuarius.
Vaticanus, trans Tiberim.
Ridiculi.
Martialis.
Cœlimontanus.
Furinarum.
Trigeminorum.
Volcani.
Iovis.
Licinii.

Thermæ XX.

Thermæ Trajani.
Titi Cæſaris.
Agrippæ.
Syriacæ.
Commodianæ.
Severianæ, alias Varianæ.
Antoninianæ.
Alexandrinæ.
Diocletianæ.
Decianæ.
Conſtantinianæ.
Septimianæ.
Olympiadis.
Philippianæ.
Trajanæ privatæ, & publicæ.
Neronianæ.
Novati.
Hadriani Imperatoris.
Varianæ in Aventino.
Iani Quadrifrontes XXXVI. per omnes regiones marmoribus incruſtati, & adornati inſigniis militaribus, & ſignis.
Duo præcipui ad arcum Fabianum, ſuperior, inferiorque.

Vie

Via XXXI.

Via Appia.
Latina.
Lavicana, alias, Labicana.
Campana.
Præneſtina.
Tiburtina, vel Gabina.
Collatina.
Nomentana, vel Figulenſis, alias, Ficulnenſis.
Salaria.
Flaminia.
Æmilia.
Claudia, alias, Clodia.
Valeria nova & vetus.
Oſtienſis.
Laurentina.
Ardeatina.
Setina.
Quinctia.
Gallicana.
Triumphalis.
Patinaria.
Cimina.
Cornelia.
Tiberina.
Aurelia.
Caſſia.
Portuenſis.
Gallica.
Laticulenſis, alias, Ianiculenſis.
Flavia & Trajana.
Capitolia II. vetus & novum.
Amphitheatra II.
Coloſſæ II.
Columnæ Coclides II.
Theatra III. alias IV.
Circi IIX. alias IX.
Ludi VI. alias VII. alias V.
Naumachiæ V. alias VI.
Stadia II.
Nymphea XII. alias XI. alias XV.
Macella II.
Equi ænei inaurati XXCIV.
Equi eburnei CXXIV. alias XCIV.
Equi magni XXIII.
Tabulæ & ſigna ſine numero.
Arcus marmorei XXXVI.
Lupanaria XLVI.
Latrinæ publicæ CXLIV.
Coloſſi ænei XXXVII.
Marmorei LI.
Obeliſci magni VI.
Duo in Circo maximo.
Major eſt pedum CXXXII.
Minor eſt pedum XXCIIXS.
Vnus in Vaticano, pedum LXXII.
Vnus in Campo Martio pedum LXXII.
Duo in Mauſoleo Auguſti pares, ſinguli pedum XLIIS.
In inſula Tiberis I.
Obeliſci parvi XLII. in pleriſque ſunt notæ Ægyptiorum.
Bibliothecæ undetriginta publicæ, ex iis præcipuæ duæ:
Palatina & Vlpia.
Pontes IIX.
Milvius.
Ælius.
Aurelius, alias, Vaticanus.
Ianiculenſis.
Fabricius.
Ceſtius.
Palatinus.
Aimilius, qui ante Sublicius.
Menſæ olearia IↃↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ ∞ IↃↃ. id eſt, 74000. alias, CCIↃↃ CCIↃↃ ∞ IↃↃ. id eſt, 24000.
Portæ XXXVII.

Hæ ſunt quatuordecim regiones, in quas Vrbem Romam D. Auguſtus diſtribuit, ab Onuphrio Panvinio ſumma diligentia ex optimis Auctoribus conſcriptæ: quas idem Auctor etiam Commentario ſeſe explicaturum promiſit: eum tamen, ſive editus ſit, ſive adhuc alicubi lateat, mihi videre non contigit. Plurima tamen loca in reliquis libris perſpicuè explicabuntur. Quorundam autem vocabulorum, de quibus in aliis non erit commodus dicendi locus, quæque aliquo modo obſcura ſunt, ſignificationes breviter ſubjungere libet, ne & hoc in loco ſtudioſæ juventuti defuiſſe videar.

CAP. XIV.

Explicatio quorundam vocabulorum, quæ in hac XIV. regionum deſcriptione uſurpantur.

Quid *Regio* & *vicus*, ſuperius dictum eſt: de *Curatoribus*, *Denunciatoribus*, & *Vicomagiſtris*, alibi dicetur, ſicut etiam de *Lucis*, *Templis*, *Ædibus*, *Ædiculis*, *Aris*, & multis aliis. Item de *Circis*, *Theatris*, *Amphitheatro*, *Foris*, & *Baſilicis*, &c. De quibuſdam tamen in poſterum erit ſilendum: itaque hoc loco ſunt explicanda. Primum autem de *Aquæductibus* agemus.

НБ ОНУ імені І.І. Мечникова

DE AQVÆDVCTIBVS.

Ab Urbe condita per annos CDXLI. contenti fuerunt Romani usu aquarum, quas aut ex *Tiberi*, aut ex *puteis*, aut *fontibus* hauriebant. Verum urbe quotidie crescente, & penuria aquæ laborante, aliæ aquæ in urbem derivatæ sunt: quo factum est, ut tanta in urbe undique aquæ fuerit copia, ut singulæ fere domus suos habuerint fontes. Earum nomina paulo ante sunt recitata: deducebantur aquæ ex diversis locis, & alius aquæductus, præsertim qui per arcus fiebat, alio altior erat, sive depressior. Hæ in *castella* primum: ex illis à *Castellario* certa mensura distributæ in loca destinata effluebant. *Castellum* autem erat locus, qui aquam publicam recipiebat, & in varia alia loca transmittebat: *Castellarius* vero, Castellorum custos. Apud antiquos omnis aqua in publicos usus erogabatur; legeque ita cautum erat, ne quis privatus aliam duceret, quam quæ ex lacu abundaret; quam posteri *caducam* vocarunt: & hæc ipsa non in alium usum, quam in balnearum aut fullonicorum dabatur: eratque vectigali statuta merces, quæ in publicum penderetur: aliquid & in domos Principum dabatur, concedentibus reliquis. Ius dandæ vendendæve aquæ *Censorum* fuit, quoties in Republica erant: quum non erant, *Ædilium Curulium*. Tutela singularum aquarum locabatur, eorumque operum probandorum cura fuit penes *Consules* aliquando, & *Ædiles*, interdum etiam penes *Censores*. Posteà tota res ad *Curatores* transiit: primusque *Curator* ab Augusto nominatus *Messala Corvinus*. Ius impetratæ aquæ neque hæredem, neque emptorem, neque ullum novum dominum apud veteres sequebatur. Balneis, quæ publice lavarent, privilegium antiquitus concedebatur, ut semel data aqua perpetuo maneret. Posteà omnis aquæ cum possessore instauratum est beneficium. *Familiæ* duæ erant, quæ aquis operam præberent: una *publica*, *Cæsaris* altera. *Publica* antiquior fuit, quam *Augustus*, ab Agrippa sibi relictam publicavit, homines circiter CCXL. Cæsaris familiæ numerus CDLX. quam *Claudius*, quum aquas in Urbem perduceret, constituit. Utraque familia in aliquot ministeriorum species diducebatur: *Villicos* videlicet, *Castellarios*, *Curatores Silicarios*, *Tectores*, aliosque opifices. Commoda publicæ familiæ ex ærario dabantur, quod impendium exonerabatur vectigalium reditu, ad jus aquarum pertinentium. Cæsaris familia ex fisco accipiebat commoda: unde & plumbum, & omnes impensæ adductus, & castella, & lacus pertinentes erogabantur.

Denique magna pœna erat constituta iis, qui *Aquæductus* violassent, vel aquam alio quàm leges, statuta publica, *Censores*, vel ipsi *Ædiles* permisissent, derivassent: vel plus aquæ, quàm ipsis ab initio concessum esset, sumpsissent. *App. Claudius* primus omnium arcuato opere aquam in urbem perduxisse dicitur, &c. Sed de *aquis ipsis*, *aquæductibus* aliisque rebus ad hæc constitutis: ut de ratione ducendi, *instrumentis*, *mensuris*, *ponderibusque*, duos libros scripsit *Sext. Iulius Frontinus*: item *Plin.* libr. 31. cap. VI. & alibi, qui legi possunt. Quædam etiam de iisdem erudite collegerunt *Georgius Fabricius* in sua Roma, & *Aldus Manutius Paulli* F. *Aldi* N. libr. 1. de quæsitis per Epistolam: quo lectorem, plura scire cupientem, remitto.

DE BALNEIS.

Balneæ [*Veteres utrumque dixerunt, Balneum vel Balnea, in genere fœminino: & Balineum, vel Balinea, sicut suprà in Vrbis regionibus scriptum est. Vide Orthographiam Aldi Manutii, & Charisium Sosipatrum in Inst. Gram. l. 1. Lib. 13. cap. 3. Lib. 9. cap. 1. Lib. 3. Saturn. cap. 15. Lib. 36. cap. 15.*] in Vrbe plurimæ fuerunt, cum privatæ in locis diversis, tum publicæ in singulis regionibus. Si quibus autem locis deessent, aut corruptæ essent, eas antiquitus *Ædiles*, suis temporibus vel addiderunt, vel restituerunt *Severus* & *Gordianus Impp.* in primis populares & lavationum studiosi. Cum enim apud Romanos lini usus esset rarior, sudorem, sordeique corporis sæpius abluere necesse habebant. Usitato more ante cœnam balneis utebantur: item post ambulationes, exercitationes, operas, sæpe necessitatis causa, non raro voluptatis. Siquidem *Commodum* in die octies, *Gordianum* juniorem & *Rhemnium Grammaticum* septies lavisse legimus. Balneas mixtas haberi *Severus* prohibuit, quod *Commodus* non vetuerat, *Varius* permiserat. Sola & parietes unguentis illinebantur, idque non solum potentiores factitarunt, sed in privato quoque homine, ac demum in servo, *Plinius* notavit: & *Seneca* aquam argenteis epistomiis fundi in plebeiis fistulis, & in Libertinorum balneis gemmas calcari indignatur. *Valerius* & *Macrobius Sergium Oratam*, hominem voluptuarium, etiam pensiles instituisse balneas, testantur: *Fabricius*, ex quo hæc desumpsi, testatur, se prope balneas Paulli in projecto lapide, formam strigilis & ampullæ vidisse exsculptam. *Strigile* autem usos fuisse antiquos ad fricandum purgandumque corpus: *ampulla* vase ad abluendas infusione sordes. Numerum balnearum, quæ Romæ fuerunt, habes suprà. *P. Victor* ultra octingentas computavit. *Agrippa* CLXX. gratuita balnea præbuit, quæ postea in infinitum, ut *Plinius* tradidit, sunt aucta.

DE THERMIS.

In nullis antiquorum operibus plus luxus & insaniæ cernitur, inquit *Georgius Fabricius* in sua Roma, quàm in *Thermis Imperatorum*, quas in provinciarum modum fuisse extructas *Ammianus* conqueritur, & reliquiæ aliquarum adhuc testantur. Eæ aut *æstivæ*, aut *hyemales* fuerunt, quales, uno eodemque in loco extruere instituerat *Gordianus*: sed morte præventus non absolvit. *Hyemales* trans Tiberim *Aurelianus* fecit. Primùm servierunt Imperatoribus privatim, posteà vulgatæ sunt & populo: & aliquando patebant interdiu: corruptioribus temporibus etiam noctu. Consueto more mixtæ, & communes non fuerunt: quod tamen malorum Principum culpa aliquoties factum est. Hodie in Vrbe majora omnia ædificia ab imperitis *Thermæ* vocantur, propter *Diocletianas* & *Antoninianas*: quod suo quoque factum tempore non dissimulavit *Blondus*. Thermis, ut & aquæductibus, adjuncta erant castella, in quibus aqua conservabatur: & subjuncti canales, per quos caduca aut inutilis effluebat. *Castellorum* parietes malthati erant tam tenaci & dura materia, ut vix ferro frangerentur. *Thermarum* sola, ut & balnearum, interdum sternebantur vitro, ut *Agrippinarum*: frequentius lapide, aut crustis marmoreis latis, aut tessellis quadratis varii coloris: nigri, ut *balneæ Palatinæ*: nigri, albique ut *thermæ Commodi & Antonini*. Extat etiam descriptio Thermarum apud *Nicolaum Sipontinum*, ex qua aliquo modo luxus Imperatorum in ædificandis Thermis cognosci potest. Omnium autem diligentissimè nostra ætate de Romanorum Thermis scripsit *Andreas Baccius Elxidianus*, Medicus, libro 7. eorum quos de Thermis edidit: ex quo hanc *Thermarum Diocletianarum* icona, & brevem singularum partium explicationem desumpsi, prolixior & plenior enarratio petatur ex ipsius Commentariis. Sic autem is scribit: *In Thermis ædificationis erat varia forma, ac varia dispositio partium: sed area amplissima, quæ in quadrum clausa, tribus veluti perpetuis circuitionibus divisa esset. In primo undique ambitu, quæ mœniorum instar totum ædificium claudebat, erant* Gymnasia *exercitationum, vario ordine. In secundo longè lateque spacia platearum,* Xysta, *ac* Platanones, *ad exercitia sub dio. In medio, tota ipsa moles* Thermarum, *quæ sunt membra balnearum,* Atria *simul, atque* Xysti, *&* Palæstrarum *amplissimæ porticus, ubi (auctore* Victruvio) *Athletæ per hyberna tempora in tectis stadiis exercerentur, ac transirent statim ad balneas. In prima facie, quæ est ad* Meridiem, *tertiam ferè partem mediam occupabat* Theatridium. *Quæ pars erat principalis, & tanquam caput totius hujus ædificii: unde duplicem (ut quibusdam videtur) habebat usum: alterum extrinsecus, alterum intrinsecus.* Ambitum *enim exteriorem ponunt fuisse arcuato opere distinctum & apertum; unde scilicet ingrederentur quasi per posticum, sive dextra verterentur, sive sinistra per porticus, apertè venirent in amplissimam plateam, ac exinde quo vellent, sive in* palæstras, *sive in* balneas. *In conspectu vero interiori erga plateas, erat Theatri specie distinctum cum sedibus: ubi scilicet* populus, *& maximè* Nobiles, *sub umbra Meridiei sederent ad ludorum spectacula, quæ in plateis exercitii causa fierent. Partes verò quæ utrinque à* Theatridio *plures sunt, partim fuerunt ipsius* Theatridii *membra, & partim loca ad usum Athletarum: id est, eorum, qui exercendi essent coram* Theatridio, *utpote* Conisteria, Elæothesia, *& quædam aperte in plateam, forsan equorum carceres. Duo post hæc* Peristylia *quadrata oblonga, hinc atque hinc unum à* Theatridio, *quasi palæstræ breves, vel deambulationes. Ac in versuris utrinque, unum* Sphæristerium, *rotunda forma, cum pluribus (ut scribit* Plinius Iunior *de Villa sua) exercitationum generibus. Vel* sacella, *ut notatur per ædiculas, aquis undique spaciis statuarum. hæc erat prima faciei partitio. Porrò in altera facie, quæ ab Aquilone eodem commensu huic respondet, videntur fuisse majori ex parte* Gymnasia *Philosophis dicata, ac Rhetoribus, reliquisque qui studiis literarum dedissent operam. Vtpote pars magis remota à strepitu Athletarum, & situ commodissimo, tum propter amœnitatem umbrarum (erant enim in hac platea* Platanones) *tum propter grata fontium murmura, in* Natationem *ipsam cadentium. Quapropter est visum pluribus antiquariis, in medio hoc spatio à* Septentrione *fuisse principale vestibulum totius hujus ædificii. Ex quo per medios* Platanones *patebat aditus ad* Natationem, *& hinc, & hinc in porticus, in* Basilicas, Diætas *&* Atria. *Primum verò à dextra vestibuli, & à sinistra, erant* Exhedræ *plures clausæ ante plateam, & cum sedibus* Hemicycli *forma, ut disputantes, & tam loquentes, quàm audientes sese omnes aspicerent: & aliquæ patentes, ceu scholæ nostræ ad leviora studia. Majorem verò partem exercitationum* Gymnasticarum *continebant duæ utrinque facies laterales, quæ conformes hinc, atque hinc, habebant partitiones. Ac fuisse ad exercitia dicatas videtur: tum quia plateæ ha laterales erant liberæ, & amplæ mille circiter pedum spatio, tum quia membra ipsa partim erant* Hemicycli *aperti cum sedibus, ac vario ornamento, quod apparet signorum, ac picturarum: & partim* Conisteria, Elæothesia, *aliaque membra ad usum Athletarum opportuna. Totam hanc autem primam circumferentiam circumdabant continuæ porticus, ducentis columnis uno stylo. Subinde erant plateæ amplæ, & liberæ, ut dixi, tam quæ ante* Theatridium, *quam utræque laterales. In ea autem, quæ erat ante* Natationem, *erant* Xystum, Platanones *&* Stadium, *ad exercitationes, maximè æstivas, idoneæ. Fiebant enim* Xysta *(auctore Victruvio) inter duas porticus* Sylvæ, *quæ erant* Platani, *virentesque id genus arbores consitæ, aptissimo situ ante* Natationem, *unde aquarum caperent refrigeria. Post* Xystum *autem* Stadium *ita figuratum, inquit* Victruvius, *ut possent hominum copiæ sine impedimento Athletarum cursus, variaque alia spectare certamina. Atque hæ omnes erant partitiones quoquo latere, &* Gymnasiorum, *&* Platearum.

Summa vero operis majestas, erat tota moles in medio, quæ communes habebat palæstras cum balneis, ac multimodis earum membris, ac miri artificii. Nam si ædificiorum perfectio proportionibus humani corporis respondere debet, ut Victruvius *tradit, perfectissimè respondet in* Thermis Diocletianis, *ac melius quàm constituat ex Græcis* Victruvius. *Est enim in his* Theatridium, *ubi erat vestibulum, tanquam caput:* Apodyterium, *pectus:* Hypocauitum, *stomachus: umbilicus, maxima, ac* regalis Basilica *in medio: venter,* Natatio. *Membrorum verò utrinque, quæ sunt* balnea, atria, palæstræ, porticus, Diætæ, basilicæ, *æqua ratio, ac mensura est, ut brachiorum, ac femorum, ita ut quæ ex una tradetur parte, eadem ex altera pariter intelligenda sit. Incipimus autem à* Natatione, *quæ patentissima pars aspiciebat* Aquilonem: *& ex ea à latere per basilicas ac diætas veniemus in atria, exinde in palæstras interiores, ac maximam basilicam, & demum ad Balnearum membra.* Natatio *erat in recessu medio ab* Aquilone, *longitudine ducentorum pedum, latitudine dimidio minus, ponte, ac arcubus bipartita ad interiores aditus, ubi nunc facta est majoris altaris basilica. Habebat autem à castello proximo* Aquæ Martiæ *emissarium, quod per occultos rivos ferebat ad* Natationem *ipsam aquas. Habebat & superne ad longitudinem fontes varia specie, ac* Musæa, *quæ, teste* Plinio, *ex pumicibus, ac erosis vetustate saxis, extructa (ut hodie quoque Romæ sunt in usu) specus imaginem referebant, ac fistulis modo apertis, modo clausis, vario blandissimoque salientium aquarum lusu, recentes semper aquas in* Natationem *ipsam fundebant, miris circum adhibitis ornamentis, quorum etiamnum apparent ædiculæ signorum & statuarum, fontiumque vestigia, & columnarum bases. A* Natatione *plura, ac nobilissima membra: primum ab utroque capite erant amplissimæ porticus conformes, nimirum ad spectacula* Natationum *& ad refrigeria constitutæ. Et alia ad altiorem prospectum porticus pensilis, minori stylo. Exeuntibus verò à porticu, tam dextra, quàm sinistra, erat primum basilica amœnissima, ubi convenirent omnes, qui vel in palæstras venturi essent, vel in balneas. Idcirco satis ampla, ornatu plastices, ac picturis adhuc nitet antiquissimis. Hinc recta in* Diætam, *quæ erat eadem capacitate: sed latior tamen basilica, duplici columnarum stylo tripartita, nam media parte ceu atriolum, erat aditus in atrium maximum, & in palæstras: capita vero hinc, atque hinc desinebant in hemicyclis, ubi fortasse Athletarum ferebantur judicia. In atriis erant* Peristylia, *hoc est, circumcolumnia, quæ faciebant atrium oblongum trecentis pedibus, latitudine dimidio minus: ubi in porticus* Orientali *parte, erant hæc membra situ aliquamtisper diverso ab eo, quem assignat* Victruvius. *Primo* Ephœbæum *in medio. Hoc autem erat* Hexedra *amplissima cum sedibus, quæ tertia item parte longior, quam lata erat ad exercitia juvenum dicata. Sub dextra* Ephœbæi *erat* Corticeum, *seu* Coryceum, *à* Coryco, *quod videtur pilæ genus in* Galeno *l.* XI. *de Sanitate tuenda: seu* Choriceum *dictum, choreis nimirum ac saltationibus locus proprius. Proximi* Frigidarium, *locus ventis perflatus, fenestris amplis, ab eoque iter in* Sphæristerium *oblongum, & simplex, ad pilæ ludum aptissimum. Ad sinistram* Elæothesium *quæ erat ad unctiones faciendas cella olearia. Sub hoc* Conisterium, *ubi sicco pulvere, vel arena luctaturi sese conspergerent. Ab eoque iter in* Propnigium, *ubi erat in versura porticus* Laconicum, *quod referemus suo loco posteà. A* Peristylio *autem atrioque intrantibus ad interiores* Palæstras, *erant porticus tres stadiatæ, quas hodie occupat longitudo Ecclesiæ. Ex quibus media pars amplissima centum pedum latitudine, super ingentes columnas, altissima prominet testudine, cæterum ita facta secundum* Victruvium, *uti latera, quæ sunt utrinque ad columnas margines haberent, quales habet hodie via ab* Hadriani *mole ad* Vaticanum *semitas, non minus pedum denum, reliquaque planicies octoginta pedum. Ita qui vestiti ambularent circum in marginibus, non impediebantur à cunctis se exercentibus. Hæc autem porticus* Ξυστὸς *apud Græcos vocitatur, in quo Athletæ in tectis stadiis exercerentur. Quæ quoniam exacte erat in medio, & veluti in corde totius ædificii ubi maximè convenire solebat nobilitas ad exercitia hyberna, ad ambulationes, & ad spectacula: cæteras merito excedit partes, tum magnitudine, tum regali majestate operis, altissimis superbissimisque prominens columnis, & patentissima undique in peristylia, in balneas, in* Hypocaustum, *in* Natationem, *ac superne fenestris illustratur latissimis.* Hactenus ille. Quædam etiam de partibus Thermarum, sive exercitationum locis in Thermis habet *Hieronymus Mercurialis*, Medicus Patavinus, lib. 1. artis Gymnasticæ. Cæterum & illud notandum est, quod campanæ sonitu populus in thermis statis horis vel advocari, vel dimitti solitus fuerit, uti ex *Martiali* constat, dicente: *Redde pilam, sonat æs Thermarum*, &c. Descriptionem vel picturam *Thermarum Diocletiani*, quam habet in sua antiqua Roma *Bernhardus Gamucci*, depingi, & huic tractatui addi, ut melius intelligi posset curavi.

DE NYMPHEIS.

Quid sint *Nymphea*, duplex est opinio. *Zonaras Monachus*, qui de Græcorum Imperatoribus scripsit, in Leone primo, *Nymphea* esse vult palatia publica, in quibus nuptias celebrarent illi, qui habitarent angustius: eaque ædificiis maximis, in quibus Senatus cogeretur plerumque adjuncta fuisse, qualia ædificia Romæ erant, *Curiæ, Senacula, Basilicæ.* Alii *Nymphea* putant esse loca publica, delectationis gratia facta, in quæ non ut in balneas, aut Thermas propter usum aqua deduceretur, sed gratiæ potissimum, atque amœnitatis causa: & à *Nympharum* statuis, quibus ornata fuerunt, nomen traxisse. Verum & de forma, aut usu illorum operum non satis constat: ita maxime insignia fuisse, vel illud declarat, quòd aut ab

ab ipsis Imperatoribus construerentur, ut de *Nympheo Marci* ambitiosi operis, scribit *Ammianus* lib. 15. de Alexandri *Victor*: de Gordiani, *Capitolinus*: aut ab Vrbis Præfectis, quale *Clearchus* Valentiniano & Valente Imperatoribus extruxit Constantinopoli & Flavius Philippus reparavit Romæ. De *Nympheis* veteribus nullum ad nostra, aut Patrum usque tempora duravit. Recens nunc est intra Neapolim & montem Vesuvium in villa Leucopetrea, cujus forma est talis: Ædificium ex marmore quadrangulare, ad quod una solummodo porta est aditus, & aliquot gradibus descensus. Ad dextram introëunti ad caput, fons est aquæ limpidissimæ, ad cujus quasi custodiam accubat Arethusa nuda, ex candidissimo marmore: solum varium & marmoratum, & canali circundatum: in quod aqua ex fonte effluit. Parietes ex conchis, lapillique, albi, nigri, flavi, purpurei coloris, quasi maltha illiti: in quibus ex concharum compositione, tanquam ductibus in pictura, anni menses duodecim, & quatuor virtutes Politicæ expressæ. Item raptus Proserpinæ: Pan canens fistula, & mulcens gregem. Præterea imagines Nympharum nantium, navigantium, in *piscinis* ludentium: inter quos Helle insidens Arieti, Siren Delphino, Europa Tauro. In eodem ad singula latera quatuor statuæ marmoreæ: Herculis leoninam gestantis; Panos agnum bajulantis: Genii cani blandientis: Najades nudæ, &c. Hæc *Fabricius*.

DE SENACVLIS.

Senaculum, inquit, *Varro*, vocatum, ubi *Senatus*, aut ubi *Seniores* consisterent: dictum ut Γερουσία apud Græcos. Idem *Festus* confirmat, indicans, *Senaculum esse locum Senatorum*: & paulo ante: Senacula, inquit, Romæ tria fuisse, in quibus *Senatus* haberi solitus sit, memoriæ reddidit Nicostrat. in libro qui inscribitur, de Senatu habendo: unum, ubi nunc est *ædes Concordiæ*, inter *Capitolium* & *Forum*: in quo solebant *Magistratus*, ut dicit *Titinnius*, cum Senioribus deliberare: alterum ad portam *Capenam*: tertium intra *ædem Bellonæ*, in quo exterarum nationum legatis, quos in Vrbem admittere nolebant, Senatus dabatur. *Lampridius* in Heliogabalo *Senatulum* appellat. Eadem etiam P. *Victor* tradit.

DE PISTRINIS.

Pistrinum dicebatur locus, in quo farina molebatur: nomen habens à *pinsendo*, hoc est, contundendo: quòd ante inventum molarum usum frumenta in pila comminuerentur. *Pilæ* autem erant vasa concava, in quæ antiqui siccata frumenta immissa, pinsebant. Deinde mutata re, mansit *Pistrini* nomen etiam illi loco, in quo molis servorum jumentorumque opera circumactis fruges comminuebantur. Inde servi, qui aliquod flagitium commiserant, pœnæ loco in Pistrina tradebantur, & in servitutem eorum perpetuam, circumagendi scilicet molas, adjudicabantur.

Tabernæ dicuntur ædificia qualiacunque popularis usus: præsertim è tabulis constructa: *Kramer oder Kauffladen, Werckstädte.*

Milliarium aureum fuit columna in capite fori Romani, sub Saturni æde, prope arcum Septimii, in qua omnes Italiæ viæ incisæ finirent, & à qua ad singulas portas mensuræ regionum currerent. *Marlianus*. Meminit ejus & *Plin. l.* 3. *c.* 5.

Insulæ propriè dictæ, quæ non junguntur communibus parietibus cum vicinis, circuituque publico, aut privato cinguntur: à similitudine videlicet earum terrarum, quæ fluminibus, ac mari eminent, suntque in salo positæ. *Festus*.

Area locus dicitur, ubi frumenta secta teruntur, & arescunt. Propter horum similitudinem loca in urbe pura, id est, non ædificata, non constructa, etiam areæ appellantur. *Varro*.

AD CAP. XIV. PARALIPOMENA.

De Aquæductuum forma mirabili & jure concesso.

Primus Aquæductuum usus, non est dubium quin Romæ inoleverit, Marlian. lib. 4. c. 21. Topographiæ, non anno urbis 441. ut voluit Lipsius lib. 3. Magnitud. Rom. cap. 11. sed sub Anco Martio, Plin. lib. 31. cap. 3. dicam paulo infra hic. Postea etiam & coloniis, & municipiis, & provinciis concessus, C. Plin. Iunior lib. 10. epist. 46. *In aquæductu, domine, Nicomedenses impenderunt HS. XXX. CCC. XXIX. qui imperfectus adhuc relictus, ac etiam destructus est.* Trajanus Aug. epistola sequenti, *curandum est ut aqua in Nicomedensem civitatem perducatur.* & extant Nemausi & Narbone etiamnum hodie rudera, ut alias Europæ provincias omittam, quæ aquæductus insignes ibi fuisse loquantur.

Tubuli vel *testacei*, vel *ligner* (C. Plin. lib. 16. cap. 42.) vel plumbei, ut docui supra in tractatu de hortis, adde & *Tubis fictilibus utilissimum aquam duci*, Plin. nat. histor. lib. 31. cap. 6. *lapideos.* Plinius nepos laudato; *Manent adhuc paucissimi arcus, possunt & erigi quidam lapide quadrato, qui ex superiori opere detractus est; aliqua pars, ut mihi videtur, testaceo opere agenda erit, id enim & facilius & vilius.* Vbi notandum Aquilegem esse eum, qui aquam explorat, an facile ex illo fonte derivari alio possit, *quærere ac investigare* reddidit Palladius Rutilius rei rust. lib. 9. cap. 8. Aurel. Cassiodor. lib. 3. epist. 53. *comperimus aquilegium Romam venisse*, & in margine, *aquilegum*, habetur, corrige, *aquilegem*, & vide ibidem rationem aquæ inveniendæ, & confer cum Palladio. Plin. lib. 26. cap. 6. *habent & hoc signum aquileges.* iidem & *aquilices* ab elicienda aqua dicti. Callistrat. IC. apud Budæum annotat posterior. in Pandectas. Tarruntenus IC. *l.* 6. *ff. de Iur. Immunitatu.* Tertull. lib. 3. adverf. Marcionem, *quia nec statim aquilicem sedens repromisit.* Nonius Marcellus c. 2. num. 8. *aquam colligentem* interpretatur. M. Terentius Varro in Quinquatribus:

An hoc præstat hero filius Diogenis
Quod ille e ventre aquam mittit? an hoc te
Iactas? at hoc pacto utilior te Thuscus Aquilex.

Qui versus indigent opera & manu critica. Videntur enim corrupti, & sic melius posse legi:

An hoc præstas hero, filii Diogenis,
Quod illi ex utre aquam mittis? an hoc te
iactas?

Sunt quibus placet legi, sed non video cur mutandum:

An hoc præstat Herophilus διόγκωσις.

Inventa ergo probataque ab aquilege aqua, ducebatur aut forma structili, aut plumbeis fistulis, aut canalibus ligneis, aut *fictilibus tubis*, ut loquitur Palladius Æmilianus Taurus lib. 9. rei rust. cap. 11. tubi isti seu canales appellantur, *formæ*, diserte Aur. Cassiodor. lib. 7. epist. 6. *In formis autem Romanis utrumque præcipuum est, ut fabrica sit mirabilis, & aquarum salubritas singularis: quod enim illic flumina quasi constructis montibus perducuntur, naturales credas alveos soliditates saxorum.* Idem lib. 4. epist. 31. videatur.

Non ergo subterraneis meatibus, sed altis molibus substructis aquæ istæ in urbem invectæ, Sext. Iulius Frontinus consularis & *aquarum curator* lib. 1. in limine de Aquæductibus urb. Roman. *Ponam ex quibus locis, & à quoto miliario, quantum subterraneo rivo, quantum substructione, quantum opere arcuato, post altitudinem cujusque modulorumque rationem.* Strabo Amasenus lib. 5. οἱ ὑπόνομοι συννόμῳ λίθῳ καταχαμφθέντες ὁδοὺς ἁμάξαις χόρτου πορευτάς. *Isti cuniculi lapideis fornicibus suffulti, nonnulli spatium currui fœni onusto transeunti præbent.* Procopius altitudinem definit tantam, *ut eques per eos fornices opportune posset transire.* Idem ille Iulius Frontinus *sublevatos ad centum & novem pedes.* Cameratos hujusmodi arcus *urbis montes altitudine exæquasse* loquitur Plinius lib. 36. cap. 15. Obiter Cl. Claudianus panegyr. de 6. Honorii Consul. 26.

Inde salutato libatis Tibride lymphis
Excipiunt arcus, operosaque semita ductis
Molibus, & quicquid tanta promittitur urbi.

Sidon. Apollinaris apertius Carm. 22. v. 184.

Arctus at in thermas longe venit altior amnis,
Et cadit in montem, patulisque canalibus actus,
Circumfert clausum cava per divortia flumen.

Sed propius ad rem Claudius Numatianus Rutilius lib. 1. sui Itinerarii ad Romam:

Quid loquar aërio pendentes fornice rivos,
Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas?
Hos potius dicam crevisse in sidera montes,
Tale Gygantæum Græcia laudat opus.
Intercepta tuis conduntur flumina muris,
Consumunt totos celsa lavacra lacus.

Papin. Stat. lib. 1. silv. 5.

Præcelsis quarum vaga molibus unda
Crescit, & innumero pendens transmittitur arcu.

Quod autem prima aquarum in urbem derivatio facta non fuerit anno urbis conditæ quadringentesimo quadragesimo primo, ut ex Frontino voluit Lipsius, docet supra à me citatus C. Plinius, & accedit Paulus IC. *l. 5. ff. ne quid in loco publ. si per publicum locum rivus aquæductus privato nocebit, erit privato actio ex lege duodecim tabularum, uti noxa domino caveatur.* Quod si verum est, diu datæ à decemviris leges ante annum 441. nisi forte dicamus decemvirales tabulas de *aquagio*, non de *Aquæductu* intelligi debere, quod in Glossario veteri ὑδραγωγεῖον, ac si dicas *aquiductium*, vocatur. Cœlius Rhodigin. lib. 26. cap. 3. Antiquar. lection. Fest. lib. 1. *aquagium, quasi aquæ agium, id est, aquæductus, appellatur.* Iavolenus IC. *l. 9. ff. quemadmodum servitut. amittant. aqua si in partem aquagii influxit*, in margine repositum, *in partem agri.* Male. Pompon. IC. *l. 3. ff. de aqua quotid. & æstiva: is aquæ quotidianæ jus habet, vel fistulam in rivo ponere, vel aliud quodlibet facere potest.* Vt existimem aquæductum esse arte quadam, & manu hominum absolutum perfectumque opus; aquagium naturalem veluti alveum aut canalem fontis. fistulis hisce extima adhibebantur ornamenta, quæ capitis leonini speciem præferebant, Plutarch. Sympos. lib. 4. c. 5. ratio elegans apud Horapollinem Hieroglyph. lib. 1. cap. 21. ὁ ἥλιος εἰς λέοντα γινόμενος, πλείονα τὴν ἀνάβασιν τοῦ Νείλου ποιεῖται ὡς τὸ ἐμμένοντος τῷ ἡλίῳ τῷ ζωδίῳ τούτῳ τὸ διμοιρον τοῦ νέου ὕδατος πλημμυρεῖ πολλάκις, ὅθεν καὶ τὰς χολέδρας, καὶ τὰς εἰσαγωγὰς τῶν ἱερῶν κρηνῶν λεοντομόρφους κατεσκεύασαν οἱ ἀρχαῖοι τῶν ἱερατικῶν ἔργων ἐπιστάται. Ritum observat David Hœschelius, & locum vertit: *cum sol leonem subit, ampliorem Nili facit inundationem. quamdiu enim sol in hoc signo persistit, sæpenumero in duplum ipsius Nili aqua excrescit, unde & tubos canalesque sacrorum fontium soliti sunt antiqui, qui sacris præerant operibus, leonis effigie fabricari.* ubi recte pro χολέδρας, χολύδρας reponemus, ut canales significentur, παρὰ τὸ ἐν αὐτοῖς ὡς ἀνεὶ χολᾶν τὸ ὕδωρ, quod *in illis videatur aqua germinare ac veluti pullulare.* Est & Ennodii Ticinensis versus, epigr. 19.

Aspice deposita blandum feritate leonem,
Ore vomit lymphas pectoris obsequio.
Effera dum vitreos effundunt guttura fontes,
Naturam perdens bellua nos satiat.

Nunc ad jura pergo, pauca dicturus, quod clarissimis hæc non ignorem prodita ingeniis. Itaque jus aquæductus ad hæredem sine principis confirmatione non transmittebatur, neque olim ex quocunque loco, sed tantum ex castello aquam derivare per fundum suum poterant, ut patet ex vetusti SC. verbis apud Iulium Frontinum lib. 1. de Aquæduct. quod intelligendum de aqua publicis usibus adhibenda. Nam e flumine non navigabili quilibet inconsulto principe jus aquæ ducendæ habebat, Vlpianus IC. *l. 1. ff. de fluminib.* lege doctissimum Franciscum Duarenum Commentariis in titulum de Aquæductu cap. 3. variasque antinomias discutit idem Anniversariarum disputat. lib. 1. cap. 52.

De usu privato aut publico aquæ in urbem deductæ, hæc sunt intelligenda, quæ discussimus, at de Castris & exercitu Romano quid dicemus? Certe apud Historicos passim *aquationis castrensis* fit mentio, ut & pabulationis, quum nempe ad aquam convehendam calones quidam & lixæ, non milites deputabantur, si forte in locis aridioribus & siccis castrametatum fuisset, quod raro eveniebat, ex Vegetio & Polybio alii annotarunt. vide Wolfgangum Lazium lib. 4. Commentarior. Reip. Rom. lib. 4. cap. 6. & ideo frequenter contingebat, ut *fluvii alio ab hostibus derivarentur, quo exercitus siti domitus facile superari posset.* Herodian. l. 7. apud Onuphrium in urbe Roma pag. 39. Iul. Capitolinus in Maximo & Balbino Augg. *Inter hæc Romæ iterum seditiones inter populum & milites exortæ sunt, & quum mille edicta Balbinus proponeret, nec audiretur, veterani se in castra prætoria contulerunt cum ipsis prætorianis, quos cœpit populus obsidere, nec unquam ad amicitiam essent traducti, nisi fistulas aquarias populus incidisset.* Cl. Claudian. de 6. Hon. consul. de Gothis ad deditionem siti compulsis:

Vno colle latens, sitiens inclusaque vallo
Ereptas quæsivit aquas, quas hostibus ante
Contiguas, alio Stilicho deflexerat arcu,
Mirantemque novas ignota per oppida valles
Iusserat averso fluvium migrare meatu.

PARALIPOMENA.

De inventione, usu, ornatu Thermarum, & lavandi ritu.

Ducantur inde exordia tractatus difficillimi de balneis & thermis, seu lavacris, ut *balineæ sint publicæ, balinea privatorum.* M. Terent. Varro lib. 8. de ling. Lat. Quædam igitur Thermæ publicis impensis populo universo extructæ. Theod. & Valent. Augg. l. 5. C. de Aquæductu. Arcadius Charisius *l. ult. ff. de Muner. & hon. aliæ in privatorum usus.* vet. Scholiast. Iuvenal. sat. 7. ad v. 233. *Meritorias* vocat Plinius lib. 2. epist. 17. illas quas publicas alii. quædam *æstivales*, aliæ *hyemales* pro ratione caloris frigorisve. Sidon. Apollinar. Carm. 22. v. 179.

Porticus ad gelidos patet hinc æstiva triones,
Hinc calor innocuus thermis hyemalibus exit,
Atque locum tempus mollit.

Vide notas Ioan. Savaronis eruditissimi ad lib. 2. epist. 2. Aliæ

planæ & solo æquatæ, nonnullæ *pensiles.* M. Tull. Hortensio apud Nonium Marcellum cap. 3. n. 24. *primus balneola suspendit, inclusit pisces.* Rutilius Numatian. Itiner. lib. 1.

Intercepta tuis conduntur flumina muris,
Consumunt totos celsa lavacra lacus.

Quod mirum mihi cum L. Seneca *suspensuras balneorum* suo ævo inventas tradat Epist. 90. Nec Senecæ credo, quum Sergius Orata primus fuerit auctor. C. Plin. lib. 9. c. 59. qui diu ante Senecam, ævo Mithridatis regis & Cn. Pompeii. Græcis eadem consuetudo, qui se vel voluptatis, vel naturalis necessitatis gratia postulante, lavabant se, & deinde ungebant, ut *Vnctuarium* pars balnei apud illos foret, Alexis Comicus in Canniis.

Ἐν τῷ βαλανείῳ μήτε τὸ πῦρ ἐχάρεις
Ἐνόν, κεκλεισμένον τε τὸ λειπτήριον.

In balneo nec ignis foco aderat, & clausum erat unctuarium. Sed principium ritus ab exercitiis traductum, quod sudorem aqua abluere judicaretur. ideo milites in campo decurrebant exercebanturque. In Tiberi vicino natabant, ut notissimum: cives vero delicatiores aqua calida in balneis se abluebant. Petron. Satyrico pag. 21. *Intravimus balneum, & sudore calefacti momento temporis ad frigidam eximus.* Viri docti annotarunt. Artemidor. Daldian. lib. 1. Oneirocrit. cap. 66. ἀλλὰ ἢ πόλεμον καταστρεψάμενοι ἢ μεγάλους παυσάμενοι πόνους λοῦντο, ἦν δ' ἂν αὐτοῖς ὑπόμνημα πόνου ἢ πολέμου τὸ βαλανεῖον, καὶ αὐτὸ τὸ λοῦσθαι, νῦν δὲ οἱ μὲν, οὐ πρότερον ἐσθίουσιν, εἰ μὴ λούσαιντο, οἱ δὲ ἐμφαγόντες, εἶτα δὴ λοῦονται μέλλοντες δειπνήσειν, καὶ ἔστι νῦν τὸ βαλανεῖον οὐδὲν ἄλλο, ἢ ὁδὸς ἐπὶ τροφήν. *Sed aut à bello reversi, aut magno labore transacto digressi lavarentur, erat igitur iis balneum laboris aut belli monumentum, sicut & ipsum lavari, nunc vero alii non prius edunt, quam laverint; alii vero etiam accepto cibo lavantur, inde videlicet sumpturi cœnam, est & nunc balneum, nihil aliud, quàm via ad cibum.* Plaut. Sticho.

Postea ibi lavatum à pila.

In balneis autem tres cellæ, prima est *caldaria*, ubi nempe sudabatur, Stat. lib. 1. sylv. 5. v. 62. *Hoc iterum sudare neget.* Locus hic erat supra *labrum* suspensus, ne uligo refrigeraret, quem *suspensuram balneorum* vocat Rutil. Palladius rei rust. l. 1. c. 40. M. Victruvius lib. 8. cap. 2. λουτρά τε θερμά. *Calida balnea*, Homer. Odyss. l. 8. Leont. scholiast. lib. 4. Anthol. cap. 18. epigr. 25. Dio Cocceian. lib. 53. πυριατήριον *ab igne ibi succenso* appellat; secunda est *media*, quæ & *tepidaria*, tertia *frigidaria*, C. Plin. nepos de Tusculano suo lib. 5. epist. 6. *Frigidariæ cellæ connectitur media, cui sol benignissime præsto est, caldariæ magis, in hac tres discessiones, duæ in sole, tertia à sole longius, à luce non longius, apodyterio suppositum est sphæristerium, quod plura genera exercitationis, pluresque circulos capit.* Qui locus egregius, quod doceat in confinio balnei sphæristerium fuisse, quo exercitati deinde abluerentur ante cœnam. Tertull. Apolog. c. 40. *Quotidie pasti, statimque pransuri, balneis, & cauponis, & lupanaribus operati, aquilicia Iovi immolatis.* Post cœnam autem non nisi nepotes. Plaut. Rudente Act. 1. sc. 2.

Propter viam illi sunt vocati ad prandium.
DA. *qui?* SC. *quia post cœnam credo laverunt heri.*

At frugi & honesti cives semper epulas adituri, balnea prius petebant, quo ritu L. Apul. lib. 5. Metamorph. in principio, *Pro hinc cubiculo te refer, & lectulo lassitudinem refove, & ex arbitrio lavacrum pete, nos quarum voces accipis, tuæ famulæ, sedulo tibi præministrabimus, nec corporis curatæ tibi regales epulæ morabuntur.* Aul. Persius:

——— Iam nunc in balnea salva
Fronte licet vadas, quanquam solida hora supersit
Ad sextam.

Et antequam ad tonsorem irent, in thermas prius se conferebant, quo Pet. Colnius ducit illud L. Apuleii l. 3. Asini. *Hunc Iuvenem, cum è balneis rediret ipsa, tonstrinæ residentem, hesterna die forte conspexit.* M. Plaut. Asinaria. servus in tonstrina residens:

Ille in balneas iturus est, inde huc veniet postea.

Sed cum *horam consuetam balneas petendi* idem Apulejus dixerit l. 10. Metamorphoseωn, & A. Gellius l. 18. cap. 13. *lavandi tempus*, videndum quodnam id tempus, quænam hora? dixi jam ante cœnam receptam ablutionem, & testatur Persius sat. 1. in fine:

His mane edictum, post prandia Callirhoen do.

Pollio Victruvius Architect. l. 5. cap. 10. *Tempus lavandi à meridiano ad vesperum est constitutum.* Q. Florens Tertull. lib. adversus Psychicos definit; *Apud quasdam vero colonias præterea; annuo ritu, saxis veluti & cinere conspersi, idolis suis invidiam supplices objiciunt, balnea & tabernacula in nonam usque eluduntur.* Quod præter leges censorias, quibus octava thermis dedicata. M. Martial. l. 10. epigr. 48.

Nuntiat octavam Phariæ sua turba juvencæ,
Et pilata redit jamque subitque cohors.
Temperat hæc thermas, nimios prior hora vapores
Halat, & immodico sexta Nerone calet.

At cum discrimine temporis C. Plin. Iunior libr. 3. epist. 1. *Vbi hora balnei nuntiata est, (est autem hyeme nona, æstate octava) in sole, si caret vento, ambulet nudus, deinde movetur pila vehementer & diu, nam hoc quoque exercitationis genere pugnat cum senectute, lotus accubat, & paulisper cibum differt.* Quo sensu capio illud M. Martialis l. 4. epigr. 8.

Sufficit in nonam nitidis octava palæstris.

Vt ab hora octava hyeme pila luserint, deinde balnea accesserint abluendi, inungendi, fricandique βαλανεῦς, & βαλανεύτρεια, *balneator & balneatrix.* Iul. Poll. l. 7. Onomast. cap. 33. ut hi virilibus, istæ muliebribus inserviant thermis. licet sciam displicere D. Hieronymo, *adultas virgines lavacra adire*, lib. 2. Epist. 15. ad Lætam de Institut. filiæ, cum luxuriæ minister Martialis *fœmineis dilecta catervis balnea* dixerit l. 11. epigr. 48. ungebantur deinde vestibus depositis loti, Petron. Arbiter in Satyrico pag. 21. *Iam Trimalcio unguento perfusus tergebatur, non linteis, sed palliis ex mollissima lana factis.* Hinc præceptum Cornelii Celsi de re medica l. 1. cap. 2. *Exercitationem recti sequitur, modo unctio vel in sole, vel ad ignem, modo balneum, sed in conclavi, quam maxime & alto, & lucido, & spatioso.* C. Sueton. in Cal. cap. 37. *Commentus novum balnearum usum, portentosissima genera ciborum atque cœnarum, ut calidis frigidisque unguentis lavaretur.* L. Apul. l. 4. Asini. *Ex more, calida tumultuario lavacro vestro præparata, in fine sermonis hujus statim se devestiunt, nudatique, & flamma largissima vapore recreati, calidaque perfusi, & oleo peruncti, mensas dapibus largiter instructas accumbunt.* A. Pers. sat. 6. v. 15. Martial. lib. 3. epigr. 12.

——— Cœnare sine uncto.
Qui non cœnat, & ungitur Fabulle,
Is vero mihi mortuus videtur.

M. Plaut. in Pœnulo, Act. 3. sc. 3.

Ibi te replebo usque unguentum echeumatis,
Quid multa verba faciam? ubi tu laveris,
Ibi ut balneator faciat unguentariam.

Vnde & locus ille *unctuarium* vocabatur. Plinius nepos lib. 2. epist. 17. *unguentaria cella*, Sidon. Apollinar. l. 2. Epist. 2. vide carmen Alexis ante à me citatum. deinde fricabantur. D. Auson. Epigr. 105.

Thermarum in solio si quis Polygitona vidit
Vlcera membrorum scabie putrefacta foventem.

M. Plaut. in Pseudolo:

Vncti hi sunt senes, fricari sese ex antiquo volunt.

Aspernati has voluptatum illecebras Spartani, qui nudi aqua ex Eurotæ fluento frigidissima abluebantur. Elegans est epigramma 42. Martialis l. 6.

Ritus si placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
Cruda virgine, Martiaque mergi.

Qui locus corrigendus ex MS. Francisc. Mod. Epist. 23.

Concepto potes arido vapore
Cruda virgine, Martiaque mergi.

De ritu vide, quæ Cornel. Celsus scripsit lib. 3. cap. 37. de Re Medica.

Tenebrosæ in principio thermæ, quod critici observaverunt,

runt, sed deinde specularia addita, ut clarissimum undecunque admitterent lumen, epist. 90. L. Seneca Epist. 86. & l. 5. controv. 5. & lib. de provid. cap. 4. *Quod non in caldarium suum latis specularibus diem admiserit.* Domitius Vlpian. IC. *l. 12. ff. de Instr. & instru. leg.* Idem ad edictum *l. 9. ff. quod vi aut clam.* Martial. l. 8. epigr. 14.

Hibernis objecta Notis specularia, puros
Admittunt soles, & sine luce diem.

Et de obscuris thermis idem Martialis libr. 2. epigr. 14.

Nec Fortunati spernit, nec balnea Fausti,
Nec Grylli tenebras, Æoliamque Lupi.

De apertis & patulis Stat. l. 1. syl. 5. v. 46.

Multus ubique dies, radiis ubi culmina totis
Perforat, atque alio sol improbus uritur æstu.

Nec modo specularia seu fenestræ è vitro illis erant, sed pavimentum eo insternebatur, ut notatum à Lipsio, ex Fl. Vopisco in Firmo, & laquearia incrustabantur, quod *pulchritudinem balneorum* vocat Aurelius Cassiodorus l. 3. epist. 51. idem Papinius eodem loci:

Effulgent cameræ, vario fastigia vitro
In species animosque nitent.

Poliebantur quotidie tergebanturque hæc seu specularia, seu pavimenta à servis balneariis, idque non Romana tantum consuetudine, sed etiam Græca, testem cito Æschylum:

Λοῦτρον γε μὴν λουτήριον αὐτὸ δεύτερον,
Ἀλλ' ἐκ μεγίστων ἑρμαρῶν λουτηρίων.
Lotum est quidem lavacrum hoc secundo,
Sed ex maximis facile lavacris.

Iam vero promiscua non fuisse balnea, sed viros sua à mulieribus discreta separataque habuisse notissimum. M. Pollio Vitruvius l. 5. cap. 20. *Item est animadvertendum, uti caldaria muliebria viriliaque conjuncta, & in iisdem regionibus sint collocata: sic enim efficietur ut in vasaria ex hypocausto communis sit usus eorum utrisque.* Auctor separationis D. Hadrianus Aug. Æl. Spartian. in eo. Et nimia invalescente luxuria sustulit Antoninus Philosophus, Iul. Capitol. in ejus vita adi ad doctissimum Savaronem l. 2. Epist. 2. Sidonii Apollinaris, quod apparet consuetum & Græcis. Est & locus Lucilii Satyrar. l. 7. fœde corruptus, citante Nonio cap. 2. num. 202.

Sador, subellor, desquamor, punicor, ornor,
Expilor, pingor.

Multis mendis, ut cuivis apertum, scatet primus versus. Itaque Hadrian. Iunius putavit, pro *sador sudor*, posse commode legi, ut sit *à balneo abstergi.* Vnde & *sudum*, alii *Sabor*, nonnulli *rador*, inter quos Adrian. Turneb. l. 29. Adversf. cap. 22. sed meliùs indubiè Carrio, *scabor*, deinde *subellor*, recte ab eodem in *suppellor*, mutatum, M. Tullio l. 9. Epist. ad Pætum. 22. *Quid? ipsa res non modo honesta, modo turpis, suppellere, flagitium est, jam erit nudus in balneo, non reprehendes: habes stolam Stoicam.* Dionysius Lambinus monet in MS. fuisse, *suppetit flagitium.* Sequitur inde *punicor*, vitiosè pro, *pumicor.* Nam *pumicari* est *pumice lævigari*; cujus usum enervatis effæminatisque nemo nescit solemnem gratumque & frequentem fuisse. Ovid. l. 2. de Arte Amandi:

Nec tua mordaci pumice crura teras.

Sext. Propert. l. 4. eleg. 8.

Serica nam taceo Volsi carpenta nepotis.

Volsos autem sive depilatos & pumicatos infamia notatos alii docuerunt. C. Plin. l. 36. cap. 21. *Pumices lævigandis corporibus olim mulieribus in usu, nunc & viris.* Vet. Scholiast. Iuvenal. ad v. 15. Sat. 8. *Catina oppidum Siciliæ, usque ad probra dissolutum notatur, ut & Bibaculus.*

Oste senex, Catinaque puer, Cumana meretrix.

Fortè legendum:

Osce senex, Catinaque puer, Cumana meretrix.

Ob pumicis nempe primos usus. Iuvenal. loco citato:

Si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum.

Revertor ad Lucilium, cujus versum elegantem & omnes voluptatis balneariæ gradus exprimentem, effæminatorumque mores exhibentem, sic corrigendum censeo & legendum:

Scabor, suppellor, desquamor, pumicor, ornor,
Expilor, pingor.

Cum tantum dedecoris in expilando pumicandoque corpore fuerit in calentibus illis thermis, miror, cur Herculi deorum fortissimo *calida balnea* adscripserit antiquitas? quæ instar muneris Vulcanus Herculi dono dederit, Ibicus poëta Lyricus apud Scholiastem Aristophanis Nebulis Act. 3. sc. 3. in choro.

Ποῦ ψυχρὰ δῆτα πώποτ' εἶδες Ἡράκλεια λουτρά.
Καί τοι τίς ἀνδρειότερος ἦν.

Vertit Frischlinus:

Et ubi tu unquam frigida vidisti balnea Herculana:
Et quis erat Hercule fortior.

Et Herculaneas thermas insinuat Athenæus l. 12. dipnosophist. cap. 2. & Pindar. Nem. od. 4.

Οὐ θερμὸν ὕδωρ τόσον
Γε μαλθακὰ τεύχει
Γυῖα, τόσον εὐλογία
Φόρμιγγι συνάορος.

Neque calida aqua tantum mollia efficit membra, quantum laus cytharæ comes. In balneis & carmina recitabant, & ea quæ inaudiverant, referebant, quare nomine garrulitatis balneatores notati, Erasmus Roterod. Chiliad. 1. cent. 6. Adagio 70. & aliquot locis Petronius, ut ab aliis observatum. Q. Horat. lib. de Arte poët.

——— *Bona pars non ungues ponere curat,*
Non barbam, secreta petit loca, balnea vitat.

Frequentia in thermis furta, Q. Flor. Tertull. lib. de fuga in persecutione; *Inter tabernarios, & lanios, & fures balnearum, & alcones, & lenones Christiani quoque vectigales continentur.* Idem lib. de Idololatria; *Credo & fures balnearios suis quoque manibus vivere.* Paulus IC. *l. 3. ff. de offic. præfecti vig. Adversus capsarios quoque qui mercede servanda in balneis vestimenta suscipiunt, judex est constitutus, ut, si quid in servandis vestimentis fraudulenter admiserint, ipse cognoscat.* Erant ergo hi fures seu capsarii inter servos, eorumque furtum par sacrilegio, erant enim *ἱερὰ θερμὰ λουτρά, sacra calida balnea*, ut loquitur Aristoteles Problemat. sect. 24. num. 19. Romæ pœna duplionis hujusmodi furibus statuta, Athenis mors, Demosthenes orat. contra Timocratem, cujus verba vide apud Petrum Victorium variar. lection. l. 7. c. 18. Q. Catull. epigr. 31.

O furum optime balneariorum
Vibenni pater, & Cinæde fili:
Nam dextra pater inquinatiore.

Pergo ad ministros reliquos: erant in balneis, quibus aqua commissa; cave tamen confundas eos cum *aquaria provincia*, ut est apud Tullium in Vatinium. Nam *Aquaria provincia ingenuis concedebatur*, quos Zeno Aug. *Hydrophylaces* vocat *l. 10. C. de Aquæductu.* Hoc est, *aquarum*, ut puto, publicarum, *custodes*, isti inter servitia, Rhodigin. l. 18. cap. 40. & Iurisconsulti definiunt, Iul. Pollux l. 3. cap. 4. *σκαφηφόρους, οὕτω δὲ τοὺς μετοίκους ὠνόμαζον, καὶ τὰς γυναῖκας αὐτῶν ὑδροφόρους, ἀπὸ τοῦ ἔργου ἑκατέρους. Inquilinos scaphigerulos, & mulieres eorum aquigerulas vocabant, utrosque scilicet ab officio nominantes.* Quæ non de balneorum modo usu, sed & de qualibet aquæ gestatione. Nam Xenophon expedit. Cyri Minoris l. 4. *ὑδροφορούσας γυναῖκας*, & *ὑδροφόρους mulieres aquam gerentes, & aquigerulos*, dixit, forte ad eum morem Romani venalem aquam per aquarios inferri definiebant. Iuven. Sat. 6. verf. 333.

——— *Veniet conductus aquarius.*

Primus usus honestus legitimusque, nam lavantibus aquæ aspersio necessaria, quam eunuchi, aliique servi in conchis adferebant, at postea, quia tunc maxime temporis dominas alloqui licebat remotis testibus, lenones & stupri conciliatores, *Aquarioli* dicti, Fest. l. 1. *Aquarioli mulierum impudicarum sordidi asseclæ.* Glossæ veteres, *Aquarioli βαλλάδες, Bacariones*, & in iisdem *Bacario πορνοδιάκονος* Gallice, *maquereau.* Adrian. Turneb. l. 14. cap. 12. Accius Plaut. Pœnulo Act. 1. sc. 2.

Servulorum sordidorum scorta diobolaria.

Ælius Lamprid. in Commodo; *Auriga habitu currus rexit, gladiatoribus convixit, aquam gessit, ut lenonum minister, ut probris natum magis, quam ei loco cum crederet, ad quem fortuna provexit.*

Q. Tertullian. Apolog. cap. 43. *Si qui forte verè de sterilitate Christianorum conqueri possunt, primi erunt lenones, productores, aquarioli, tum sicarii, venenarii, magi, item aruspices, arioli, mathematici.* Vbi male reposuerunt pro *aquarioli, vinarioli.* Renatus Laurentius observat. L. Apul. lib. 2. Apologiæ; *Hisce auditis exacerbatus aquariolus iste uxori suæ, ita ira extumuit; ita exarsit furore, ut in fœminam sanctissimam & pudicissimam, præsente filio ejus digna cubicula diceret.* Cl. Claudian. lib. 1. in Eutrop.

Pectebat dominæ crines, & sæpe lavanti
Nudus in argento lymphas portabat alumnæ.

Quæ non tantum de balneis intelligenda, sed de quolibet expiamine post coitum, fœminæ enim à coitu se expurgabant. Sueton. Augusto cap. 94. *Quasi à concubitu mariti se purificasset,* Ælian. lib. 4. var. histor. cap. 1. ait: *Dardanenses Illyricos ter in tota vita ablui solitos, ἐξ ὠδίνων, καὶ γαμοῦντας, καὶ ἀποθανόντας, post partum, cum nuptias ineunt, cum mortem oppetunt.* Et est quædam imago ejus rei apud Plinium de Leæna l. 8. c. 16. in principio & allusit Alcæus.

Πόρνη καὶ βαλανεὺς ταυτὸν ἔχουσ' ἐμπεδέως ἔθος·
Ἐν ταὐτῇ πυέλῳ τόν τ' ἀγαθόν τόν τε κακὸν λόει?
Meretrix & balneator eundem habent perpetuo morem, in eodem solio & probum, & improbum lavat. Petronius seu Ovidius, seu incertus author in catalectis Priapeiis:

Vade per has vites, quarum si carpseris uvas,
Quas aliter sumas, hospes habebis aquas.

P. Ovid. lib. 3. Amor. eleg. 6.

Neve suæ possent intactam scire ministræ,
Dedecus hoc sumpta dissimulavit aqua.

Et lib. 3. de Arte:

Et tamen ulla viro mulier, non expedit, inquit,
Quid nisi quàm sumis dic mihi perdis aquam?

M. Tull. orat. pro M. Cælio: *Ideo aquam adduxi, ut ea tu incæste uterere.* Idem Ovid. eodem libro:

Scilicet obstabit custos, ne scribere possis,
Sumendæ detur cum tibi tempus aquæ.

M. Valer. Martial. lib. 2. epigr. 50.

Qua tibi parte opus est, Lesbia, sumis aquam.

Asservabatur hæc aqua curtis calicibus. Idem lib. 1. epigr. 93.

Nec curtus Chiones Antiopesque calix.

Et lib. 3. epigr. 80.

Curtaque Ledæ sobrius bibat testa.

At in balneis subministrabatur vasis argenteis quæ *lavationem* appellant ICti. Claudian. proxime supra citatus. Vlpian. l. 25. *Ornamenta muliebria sunt, quibus mulier ornatur, veluti inaures, armillæ, viriolæ, annuli præter signatorios, mundus muliebris est, quo mulier mundior fit, continentur eo specula, matulæ, unguenta, vasa unguentaria, & si qua similia dici possunt, veluti lavatio, riscus.* In Antverpiana editione legitur *labatio*, antiquo ritu, nam B. in V. sæpe permutabant. Antonius Contius censuit legendum, *alabastrites.* Male. Phædrus Tiberii libertus libr. 4. Fab. 63.

Seponit mœchæ vestem, mundum muliebrem,
Lavationem argenteam, eunuchos glabros,
Lanificæ agellos.

Lavatio hæc argentea, vel ea est, quam aquariolus adferebat, vel labrum ipsum, seu lebetes, quos constat argenteos fuisse invalescente luxu. Stat. l. 1. sil. 5. v. 47.

Nil ibi plebeium, nusquam Temesæa videbis
Æra, sed argento fœlix propellitur unda,
Argentoque cadit, labrisque nitentibus instat
Delitias mirata suas.

Concha fuit privata hæc lavatio. Vet. Glossarium: *ἔνεγκε ὕδωρ πρὸς χεῖρας κόγχῃ, adfer aquam manibus concha.* Paulus IC. lib. 3. sententiar. tit. 17. *Mundo muliebri legato ea cedunt, per quæ mundior mulier lautiorque efficitur, veluti speculum, conchæ.* In principio fictiles hæ conchæ, vetus Scholiast. Iuvenal. ad sat. 3. v. 277. *Pelves, inquit, conchæ, in quibus pedes lavant ut vasa fictilia, ποδόνιπτρα.* At postea è *Margaritis*, Horat. l. 4. od. 12. sine *onyce.* Catull. epigr. 63. quæ primitus loco tubarum, Meursius multis observat ad Lycophronem. aut ex ære. Gloss. Isidor. *Barcanda, concha ærea.* Lucan. l. 9. v. 349.

——— *Ventosa perflantem murmura concha.*

Claudian. de Nupt. Honorii & Mariæ:

——— *Seu concha Libycum circumsonat æquor.*

Argentea fuisse hæc ornamenta notum, Claudian. epigrammate de concha:

Transferat huc liquidos fontes Heliconia Nais,
Et patulo conchæ divitis orbe fluat.
Namque latex doctæ quæ laverit ora Serenæ,
Vltra Pegasæas numen habebit aquas.

Sidon. Apollinar. l. 4. epist. 8. & ibi eruditissimus Savaro:

Nam cum dignatur reginæ hic tangere vultus,
Candor in argentum mittitur è facie.

Felix Ennodius Ticinensis epigr. 93.

Parturit unda sitim, quam splendens concha ministrat.

Non aquam modo, sed & unguentum his conchis asservatum. Q. Horat. l. 2. od. 7.

——— *Funde capacibus*
Vnguenta de conchis.

Inde data fabulæ occasio, *Venerem in concha natam*; sive, ut alii contendunt, *concha in Cyprum delatam.* Dionysius Lambin. ad M. Plauti Rudentem Act. 3. sc. 3.

Te ex concha natum esse autumant, cave
Tu harum conchas spernas.

Supererat dicendum de linteis, oleo, unguentis, & strigilibus, quibus ad corpus fricandum utebantur, sed omnia jam ab aliis præoccupata sunt, explicataque: unoque nomine *balnearia* appellabantur, quæ peregrinaturi secum veluti viaticum necessarium convehebant, ut ex Plauto in Mercatore apertum:

Tollo ampullam atque hinc eo.

Et de Strigilibus Suid. in voce *στλεγγίς.* vet. Scholiast. Iuven. sat. 3. v. 263. *strigulam* vel *Xistram* vult dici, Iul. Pollux l. 7. cap. 33. tit. 7. docta invenire est apud Petrum Colvium ad l. 2. Florid. L. Apuleii.

PARALIPOMENA.

De pistrinis & de primo molarum usu.

Molarum usus antiquissimus fuit, & à Cerere profectus, *quæ homines molere docuit prima.* Plin. l. 7. cap. 50. licet Stephan. libr. de urbib. inventionem *Milanti* cuidam assignet in voce *Μυλαντία.* adeoque etiam temporibus heroicis cognitus. Nam in horto Alcinoi Pheacum principis mola reponitur l. 7. Odyss. v. 105. apud Homerum.

Αἱ μὲν ἀλετρεύουσι μύλης ἔπι μήλοπα καρπόν.
Aliæ quidem molunt sub mola pomacei coloris frugem.

Græci à *τρέπω, verto, trapetum*, vocarunt, quod nempe circumacto lapide, ut jam dicam, frumenta tererentur. Martialis l. 7. epigr. 27. ea voce utitur. Et l. 13. epigr. 36.

Hæc quæ Picenis venit subducta trapetis,
Inchoat, atque eadem fudit Oliva dapes.

Statius lib. 2. syl. 7.

Vnctis Bœtica provocas trapetis.

Paulus IC. lib. 3. sententiar. tit. 7. *Cogendorum fructuum causa comparata, instrumento cedunt, velut corbes, alvei, falces messoriæ, & fœnariæ, item molæ olivariæ.* Eadem vox usurpata *l. 21. ff. de instructo.* adi ad *legem 19. ff. locati.* At Varro, non à *vertendo*, sed à *terendo* vult *trapetum* dici l. 4. de ling. Lat. ut & *molam à molendo, quod injecta molentur, sive terantur, aut comminuantur*, licet à *rotunditate sui* vocatam, ut *mala pomorum* contendat Isidor. l. 20. cap. 8. Columella Rei Rusticæ lib. 12. cap. 50. legatur. Dicitur & *Moletrina pistrinum*, Cato apud Nonium cap. 1. num. 320. *Nervo, carcere, moletrina.* Notavit Guil. Budæus *in legem si servus §. si fornicarius ff. Commun. prædior. in prioribus annotat. ad pandect.* Certum est primitus *trusatiles* fuisse molas, quæ circumactæ manuum agilitate & robore fruges tererent. A. Gell. l. 3. cap. 3. *Ob quærendum victum*

ad circumagendas molas, quæ trusatiles appellantur, operam pistori locasset. Ideo *manuales* dicuntur Servio Honorato ad v. 274. lib. 1. Georg. ubi de rusticorum laboribus:

Sæpe oleo tardi costas agitator aselli,
Vilibus aut onerat pomis, lapidemque revertens
Incussum, aut atræ massam picis urbe reportat.

Lapidem incussum rectè dixit (Suidas ὄνον, vocat, *asinum*) nam *circumacto lapide frumentum terebatur.* Eodem lib. vers. 267.

Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.

Vt & lib. 1. Æneid. v. 184.

Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

Vbi Servius, *torrebantur fruges in pilis, & pinsebantur; neque molebantur.* Lucret. Carus lib. 1. de nat. rer.

——— *Fruges quoque sæpe minutas*
Robore cum saxi franguntur.

In MS. codice erat exaratum:

——— *Minacis*
Robore cum saxi.

Stat. lib. 1. Thebaid. v. 524.

His labor inserto torrere exanguia ferro
Viscera cæsarum pecudum, his cumulare canistris
Perdomitam saxo Cererem.

Posterioribus deinde sæculis etiamsi ritus mutatus fuerit. mansit tamen loquendi eadem consuetudo. D. Ausonius in Mosella:

Nobilibus Gelbis celebratur piscibus, ille
Præcipiti torquens cerealia saxa rotatu,
Stridentesque trahens per lævia marmora serras.

Sed tamen ævo Ausonii nullæ trusatiles manibus molæ, sed asinariæ, quas nempe asini versarent, tectis capitibus velataque facie, L. Apul. Milesiar. lib. 9. *Molæ, quæ proxima videbatur, matutinis adstituor, & illico velata facie, propellor ad incurva spatia flexuosi canalis, ut in orbe termini circumfluentis reciproco gressu, mea recalcans vestigia, vagarer errore certo.* Achmes oneir. c. 195. μύλωνα ἀλήθοντα ὄνῳ δυναστῷ, *pistrinum in quo asinus robustus moleret.* Et mali servi pro pœna molis applicabantur. P. Terent. Andria Act. 1. sc. 2.

Verberibus cæsum te Dave in pistrinum
Dedam usque ad necem.

Vet. Scholiast. Iuvenal. ad v. 67. Sat. 8.

Segnipedes dignique molam versare Nepotis.

Atque hi servi in pistrinum detrusi, solebant nomine *asinorum* appellari, & molæ ipsæ *præsepia.* Vnde in MS. codice Plautino titulus concipiebatur, *Plauti Asinii Amphytrio*, qui mutandus in istum *Plauti Asini Amphytrio.* Nam servi ergastulo hujusmodi inclusi tanquam laboris omnigenæ patientes, quales sunt asini, molis appliciti sic vocabantur, notatum scio à Ioan. Meursio insigni eruditione viro Criticar. Exercitat. parte 1. cap. 9. Et certum est ex Aulo Gellio supra laudato, Plautum *in pistrino quasdam è comœdiis suis scripsisse*; & servilibus addictum fuisse operibus. locus est apud ipsum in Curculione Act. 2. sc. 1.

Panes, parasitus quia non rediit Caria,
Afferre argentum credo, nam si non ferat,
Tormento non retineri potuit ferreo.
Quin reciperet se huc esum ad præsepim suam.

Quem locum longe aliter concipiunt alii, inter quos Nonius cap. 3. num. 160.

Quin reciperet se huc cessum ad præsepiam suam.

Sed melior prior lectio, vel ipso Plauto judice in prologo Casinæ.

Qui sibi uxorem poscat, scit, si id impetret,
Futurum quod amat, intra præsepes suas.

Et videntur mihi non molarii tantum servi, sed quilibet alii *stationem* in domibus privatis dominorum habuisse, quæ *præsepe* diceretur, quod quasi par jumentorum & servorum esset conditio. Testis M. Terentius Varro libr. 1. de Republica: *Contra hic laudabatur ab illis, is habebat culinam rusticam, unam præsepiam latam, cellam vinariam.* Huc pertinet locus Claudian. libr. 1. in Eutrop. à nullo hactenus explicatus.

Hæcne erat hæc Ptolomææ fides, hæc profuit ætas
In gremio consumpta tuo, lectusque jugalis,
Et ducti toties inter præsepia somni?

Postea & *aquariæ molæ* in asinariarum locum substitutæ. Pallad. Rutil. rei rust. libr. 1. cap. 42. *Si aquæ copia est, fusura balneorum debent pistrina suscipere, ut ibi formatis aquariis molis, sine animalium vel hominum labore frumenta frangantur.* Qua ratione confici hujusmodi aquariæ molæ debeant, docet M. Pollio Victruvius Architect. libr. 10. cap. 10. & meminit Zeno Imp. l. 10. C. de Aquæductu. *Suburbanum vel prædium, vel balneum, vel aquæ mola, vel hortus, ad cujus visum aqua publica fuerit derivata.* Licet alii perperam legant pro *aquæ mola, aquariola.* Et Valentinianus & Valens Augg. C. Theodos. *de Canone frumentario urbis Romæ* libr. 4. *Improborum petitiones, qui impudentius ausi sunt postulare pensiones, aquæ molarum, quæ urbi venerabili annonas abundantius præstitissent, quinque librarum auri mulcta infligat.* Notat Iacob. Cujacius, aquariæ molæ rotis sublevatis inversisque suppeditabatur aqua, cique muneri juncti asini, equi, & equæ. Secundus vetus poëta lib. 1. Aatholog. cap. 33. epigr. 21.

Τίπτε τὸν ὀγκηστὴν βραδύπουν ὄνον ἄμμιγ' ἐν ἵπποις
Γυρὸν ἀλωειναῖς ἐξελάατε δρόμον;
Οὐχ ἅλις ὅττι μύλοιο περίδρομον ἄχθος ἀνάγκης
Σπειρηδὸν σκοτόεις κυκλοδίωκτος ἔχω;
Ἀλλ' ἔτι καὶ πώλοισιν ἐρίζομαι.

Cur rudentem tardum asinum simul cum equabus in rotundum in areis triturantibus agitatis cursum? nonne satis est, quod molæ circularium onus necessitatis convolutum oculis clausis in gyrum actis, habeo? quin adhuc cum equis cursu contendamus? Neque illud prætereundum, quod ab Artemidoro Oneirocrit. libr. 2. cap. 47. traditum: μύλος ἀεὶ τῶν σκληρῶν καὶ πονηρῶν πραγμάτων λύσιν, καὶ πιστὸν θεράποντα σημαίνει. *Mola semper durorum & difficilium negotiorum solutionem portendit, & fidelem servum significat.* Denique sciendum & pistrino seu molæ suum fuisse numen, suumque Deum tutelarem. Iul. Pollux Onomast. lib. 7. cap. 33. tit. 8. μυλωθρός, μύλων, μύλη, προμυλαία θεός, καὶ εὔνοστος. *molitor, mola, pistrinum, dea molaris, & benevola.* Sed & *Promylus* Deus semper ante molas collocabatur, *ob suavem alimoniam.* Suid. in voce προμύλιος θεός. Adi ad Tiraquellum Commentario ad Alexandrum Neapolitanum libr. 3. Genialium dierum cap. 11.

CAP. XV.

De populo Romano, & ejus prima divisione.

Hactenus de Vrbe dixi, quomodo ea à Romulo primum condita, & à sequentibus Regibus, ac demum ab Imperatoribus, subinde aliis atque aliis montibus ac collibus Pomærio inclusis ampliata, & ab *Octavio Augusto* in XIV. regiones descripta sit: nunc institutus ordo requirere videtur, ut de incolis etiam nonnihil dicatur. Fuerunt igitur incolæ hujus Vrbis appellati *cives Romani*, quos [*Lib. 4. cap. 1. de Antiquo jure civium Romanorum.*] *Carolus Sigonius*, vir clarissimus, ita definit, quod sint homines liberi, qui Vrbem agrumve Romanum inhabitarent. Quæ definitio cum sit generalior, & potissimum de iis, qui sub Regibus fuerunt, intelligenda; addit deinde aliam specialiorem, & quidem de iis, qui libera Republica

optima lege id nomen habuerunt. *Optima*, inquit, *lege, is mihi civis Romanus videtur, qui domicilium, qui tribum, qui honorum potestatem est adeptus.* Atque hæc prolixè & eruditè explicat: quæ, qui vult, legere poterit. Nos verò iis omissis, de ejus civis, cujus definitionem modo recitavimus, præcipuis divisionibus, quarum cognitio ad multa veterum & classicorum Scriptorum loca intelligenda proderit, agemus. Invenimus autem in veteribus Scriptoribus populum Romanum variè, aliis tamen atque aliis temporibus divisum esse. Primum quidem in *Patricios* & *plebejos*: inde in *Tribus*: tum in *Curias* distributum: iterum in *Classes* & *Centurias*: rursum in *Senatores, Equites*, & *Populum*. post, in *Optimates* & *Populares*: in *Nobiles* præterea, *Novos* & *Ignobiles*: mentionem etiam fieri video *Ingenuorum, Libertorum* & *Libertinorum.* De his singulis operæ precium erit, quid veteres Scriptores tradiderint, indicare. De *Tribubus Curiis, Centuriis*, & *Classibus*, cum ea ad tractationem de *Comitiis* commodius referri possint, hic dicere supersedebo. *Patriciorum* igitur & *Plebejorum* discrimen, & jura primum recitabo: [*Patricius secundum Plutarchum & Vellejum Paterculum dicti Senatores liberi quod patres ciere possent, ideoque scribendum Patricius per c. non Patritius per t. Aldus Manutius in orthographiæ ratione. Hadr. Iunius in nomenclatore*] inde de *Patronis* & *Clientibus*, cum ex hac prima divisione originem suam trahant, dicam: tertio loco de tribus discretis ordinibus, *Senatorio, Equestri* & *Populari*, vel *Plebejo*, verba faciam: tum quid de *Optimatibus* & *Popularibus* scriptum repererim, referam: post etiam de *Nobilibus, Novis* & *Ignobilibus*, quinam ii fuerint, disputaturus: ad extremum, qui *Ingenui*, qui *Liberti*, quique *Libertini* dicti fuerint, explicabo.

Prima igitur divisio post *Tribus* & *Curias*, facta est in *Patricios* & *Plebejos*, instituta ab ipso Romulo primo Romanorum Rege, de qua *Dionysius* lib. 2. sic scribit: *Illustres*, inquit, *genere, & virtute celebres, opibusque, ut tum ferebant tempora, abundantes, quibus essent liberi, secrevit ab obscuris, egenis, & humilibus. Inferioris fortunæ homines Plebeios vocavit. Hi Græcis sunt* δημοτικοί: *Potiores verò Patres, sive quod ætate anteirent alios, sive quod haberent liberos, sive propter nobilitatem generis, sive propter hæc omnia.* Hæc *Dionysius.* Et addit, hunc morem sumptum esse ab Atheniensium Republica, qui etiam bifariam distributa multitudine, *Patricios* appellarint ex illustribus familiis, & pollentes opibus, penes quos fuerit civitatis regimen: cæteros cives *rusticos*, quibus nullum in Republ. fuerit suffragium. Quod verò officium fuerit, tum *Patriciorum*, tum *Plebejorum*, idem subjicit, inquiens: *Romulus postquam discrevit potiores ab inferioribus, mox legibus latis præscripsit, quid utrisque faciendum: ut Patricii sacra curarent, Magistratus gererent, jus redderent, secum Rempublicam administrarent, res urbanas obirent: Plebeii verò ab his negotiis immunes (quippe qui talium imperiti essent, nec vacaret eis propter inopiam) agros colerent, pecora alerent, exercerent quæstuosa opificia, ne seditiones orirentur, sicut in aliis civitatibus, dum humiliores protruduntur cubito à potentioribus, aut egeni, ac viles excellentioribus invident*, &c. Hæc ille. Qui tamen paulo post scribit etiam hoc interfuisse inter *Patricios* & *Plebejos*, ut quoties Patricii convocarentur à Regibus, præco quemque suo ac paterno appellarit nomine: *Plebejos* verò ministri quidam cornibus bubulis concinentes in concionem contraxerint. Et hæc quidem primis temporibus differentia inter *Patricios* & *Plebejos* fuit. Procedente autem tempore, & impetratis à Patriciis Tribunis plebis, plurima dignitatum & honorum ornamenta: ut, Sacrorum quorundam curationem, *Magistratus Curules, Consulatum, Dictaturam, Censuram*, &c. quæ anteà solis Patriciis concessa erant, per Tribunos suos Plebs Patribus extorsit: sicuti etiam connubiorum inter Patricios & Plebejos communionem, ut suo loco dicetur.

AD CAP. XV. PARALIPOMENA.

Antiquissima civitatis discretio ab ipso Romulo facta.

Romulus urbis fundamentis jactis, curam de ordinando civitatis statu gnaviter adhibuit, & quosdam juniores mille numero armatos pro salute novi regni excubare præcepit, unde & *militis* nomen, Isidor. lib. 9. Etymolog. capite 3. centum deinde ex senioribus elegit, quorum consilio omnia ageret, quos *Senatores* appellavit, *propter senectutem*, ut loquitur Eutropius statim in limine suæ historiæ. Vnde & lunam in calceis ferebant dimidiatam, quæ centenarii numeri erat nota, quod nempe in prima divisione civium *centum tantum patres* fuerint. Alexander Neapolitanus lib. 5. cap. 18. qui autem *seniores* dicantur, qui *juniores*, Serv. ad v. 304. lib. 6. Æneid.

——— *Sed cruda Deo viridisque senectus.*

Et secundum hanc divisionem, leges etiam ab eodem Romulo latæ, quarum nonnullæ civicam disciplinam, aliæ castrensem spectabant, fragmenta collegerunt viri docti nostro ævo, & ego digeram lib. 8. cap. 5.

Etiam derivata consuetudo, ut alius in matrimoniis contrahendis esset modus cum senatu, & cum plebe, hempe olim promiscua inter utrumque ordinem celebrabantur, at id posteà lege lata sublatum, secutaque ob id ipsum seditio tertia exarsit, populari multitudine in montem Ianiculum duce Canulejo secedente, L. Flor. lib. 1. Hist. Rom. cap. 25. de qua re dicam infra. Et Ioan. Borcholten I C. *ad Tit. 10. lib. 1. Institut.*

Quæ discretiones ita stabilitæ, ut in publicis scenicisque spectaculis diu nulla distinctio fuerit. Valer. Maximus definit l. 2. cap. 1. tit. 16. *Per quingentos & quinquaginta octo annos Senatus populo mistus spectaculo ludorum interfuit, sed hunc morem Attilius Soranus & L. Scribonius ædiles, ludos matri Deûm facientes, superioris Africani sententiam secuti, discretis Senatus & populi locis, solverunt, eaque res evertit animum vulgi, & favorem Scipionis magnopere quassavit.* Eleganter eandem rem expressit M. Tull. Orat. de Aruspic. Responsis. *Quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio nostri majores ante templum, in ipso matris magnæ conspectu Megalensibus fieri concelebrarique voluerunt? qui sunt more institutisque maxime casti, solemnes, religiosi, quibus ludis primum ante populi concessum senatui locum, P. Africanus iterum cos. ille major dedit.* Vbi puto *Megalensibus*, esse glossema, delendumque è textu, in quem inscitia librarii, aut scioli alicujus, irrepsit. Idem in Orat. pro Cornelio perduelli: *P. Africanus ille superior, ut dicitur, non solus à sapientibus hominibus, qui tum erant, verum etiam à se ipso accusatus sæpe est, quod cum cos. esset cum T. Longo passus esset, tum primum à populari consessu senatoria subsellia separari?* Quod anno septimo post secundam cum Carthaginiensibus pacem fa-

ctam contigisse viri eruditi observant ex Appiano Alexandrino in Libycis.

Exinde orta sunt nomina, variaque sedilia in ludis spectaculisque concedi cœpere secundum uniuscujusque dignitatem; *Senatoribus orchestra, Buleuticum, optimatibus proscænium, pulpitum, Imperatori podium, equestri ordini quatuordecim gradus, fœminis cathedræ, denique & plebi popularia*, ut fuse dissero infra libr. 5. cap. 4.

Divisionem istam excepit altera, qua tota civitas in *plebem* & *optimates* discreta, plebs denuo in *classes, tribus*, aut *centurias* distributa, adeo ut Dominus servum suum manumittens tribum ei mercaretur, qui veluti primus civicæ dignitatis gradus, ut in tractatu de servis expediam, optimates vel patres erant vel patricii, qui nempe à patribus, quos Romulus instituit, genus ducebant.

CAP. XVI.

De Patronis & Clientibus.

Diviso universo populo ad hunc modum in *Patricios* & *Plebejos*, artissimo eos Romulus vinculo colligavit. Commendavit, inquit, *Dionysius, Patriciis Plebejos*, optione cuique è vulgo data, ut quem vellet, Patronum sibi legeret. Et inter alia, conferens hunc morem cum Thessalorum & Atheniensium Priscorum instituto, ait: Romulum hoc negotium appellatione decora cohonestasse: nominando *Patronatum, tutelam pauperum, & humilium*: addidisse etiam utrisque commoda officia, excogitata civili & perhumana copula. Constabat autem jus *Patronatus*, ut idem refert, officiis ejusmodi, jam inde apud Romanos durantibus. *Patronos* oportebat *Clientibus* respondere de jure, cujus illi rudes essent, & absentium æquè, ac præsentium curam gerere: facientes quicquid pro filiis parentes solent facere: quod ad pecunias & contractus attinet, & sustinere accusatoris impetum: &, ut compendio dicam, quietem eis, qua maximè opus haberent, parare à privatis publicisve negotiis. Vicissim *Clientum* erat, *Patronos* juvare elocantes filias, si his parum esset pecuniæ: & ab hoste captivos redimere, vel ipsos, vel eorum filios: privatarum quoque litium perditarum æstimationes, & mulctas publicas pecuniarias pro eis solvere, idque sumptu proprio, non quasi fœnoris loco, sed ob referendam gratiam. Publicorum quoque impendiorum, quæ Magistratuum honorumve causa fiunt, esse participes non secus, quàm conjunctos genere. Commune autem utrisque erat, [*Idem Agellius docet libro 5. cap. 13. & libro 20. cap. 1.*] nefas esse alteris accusare alteros, aut adversum dicere testimonium, ferreve suffragium, aut censeri inter inimicos: quod si quis deprehensus esset aliquid horum facere, tenebatur *lege de Proditoribus*, quam sanxit *Romulus*: convictumque ejus criminis, cuivis licebat, ut *Diti* sacrum, interficere: (mos enim erat Romanis, quos vellent impunè occidi, eorum corpora devovere Deo cuipiam, præcipuè Diis inferis, quos fecit *Romulus*.) Quapropter per multas ætates permanserunt mutua *Patronorum* ac *Clientum* officia, haud secus, quàm cognatæ necessitudines, posteris per manus tradita. Et maxima laus erat *Nobilium* habere *Clientes* quam plurimos, tam hæreditariarum clientelarum, quàm partarum virtute propria. Ingensque certamen erat utrisque, ne vincerentur mutua gratia, & benevolentia: dum *Clientes* nullum Patronis negarent ministerium: vicissim *Patroni* nullo corrumpi possent pretio, ut *Clientes* molestari sinerent. Tanta illis erat in omni vita temperantia, & fœlicitatem virtute, non fortuna metiebantur. Nec tantùm in ipsa Vrbe plebs tuta erat *Patriciorum* patrocinio: sed & coloniarum & sociarum, ac amicarum civitatum, & bello subactarum, quæque suos habebat *Patronos*, quoscunque vellet è Romanis civibus. Et sæpenumero *Senatus* controversias civitatum, ac gentium ad earum *Patronos* remisit, eorumque judicia rata habuit: adeoque ab his initiis ex auctoritate Romuli, firma Romanis coaluit concordia, ut per DCXXX. annos nunquam ventum sit ad cædem & sanguinem: multis licet ac magnis inter plebem & honoratos exortis controversiis de Republica, ut solet fieri in omnibus tam parvis, quàm magnis civitatibus: sed parentes, & monentes mutuum, & partim concedentes, partim impetrantes à volentibus, per expostulationes civiles componebant negotia, &c. Hæc *Halicarnassæus*. Eadem tradunt *Livius* lib. 1. & *Plutarchus* in Romulo, sed brevius.

AD CAP. XVI. PARALIPOMENA.

Qui nomine populi contineantur, quotuplex clientela, quod jus patronatus?

Nomine populi tota civitas comprehensa: Donat. in Adelph. prologo. Lucil. lib. 1. Satyrar.

Quo pacto populum, atque urbem servare potis sit
Amplius Romanam.

L. Flor. lib. 4. cap. 2. *Invidens Fortuna principi gentium populo.* C. Plin. nat. hist. lib. 22. cap. 3. *Corona quidem nulla fuit graminea nobilior in majestate populi terrarum principis.* L. Sen. lib. 2. controvers. 1. *Colit etiamnum in capitolio casam victor omnium gentium populus*, & *lib. 4. controv. 7. Romanus populus hostem veneno vinci noluit.* Iustinian. Aug. §. *plebs. Institut. de jure nat. gent. civili. Plebs à populo eo differt, quo species à genere, nam appellatione populi universi cives significantur connumeratis etiam patriciis, & senatoribus.* Sic & Homerus Agamemnonem ubique ποιμένα λαῶν *pastorem populorum* appellat, sub quo nomine & alii reges etiam comprehensi. Q. Horat. lib. 1. od. 2.

Lætus intersis populo Quirini.

Ovid. lib. 7. Met.

Dicta refert rector populorum talia centum.

P. Maro lib. 1. Æneid.

Hinc populum late regem.

Non tamen sub populi nomine plebs comprehensa, clare T. Livius 1. Decad. libr. 2. *Consul Appius negare jus esse Tribuno in quemquam nisi in plebejum, non etiam populi sed plebis esse magistratum.* Valer. Max. lib. 2. cap. 2. num. 6. *Penes quos Senatus & equestris ordinis, & universæ plebis summum decus erat.* Adi

ad

ad Suidam in voce πυκνός. Et Vlpianus IC. *stationarios habere ad tuendam popularium quietem, l. 1. ff. de offic. præf. urbi.* ubi *populares* puto esse omnes *urbis incolas*. Claudian. lib. de bello Gildonico:

Vt dominam plebem, bellatoremque senatum
Classibus æstivis alerent.

Plebs opposita ibi populo, qui & senatus, licet non ignorem distingui à Senatu populum, ut & principem, qui in locum populi successit, ut doctissimus Budæus notat in annotationibus prioribus ad pandectas. Virgil. lib. 4. Æneid. v. 682.

Extinxi te meque soror, populumque patresque
Sidonios.

Papinius lib. 1. syl. 1.

Vtere perpetuum populi magnique senatus
Munere.

Interdum etiam pro vili abjectissimæque sortis homine *popularis* usurpatur, sive pro eo qui inferioris erat ordinis. C. Tacit. hist. l. 4. *Cohortes quas ex veteri instituto nobilissimi popularium regebant.* M. Tull. orat. de Arusp. respons. *P. Clodius repente factus est popularis.* Et apertius Actione 7. in C. Verrem, *Homines populares aut nobiles supplicio aut exilio levarentur.* Et Vlpianus *voces popularium*, dixit, id est, plebejorum, *l. 12. ff. de appell. & relat.* Et Callistratus IC. *Solent quidam, qui vulgo se juvenes appellant, in quibusdam civitatibus turbulentis se acclamationibus popularium accommodare. l. 28. ff. de pœnis*; licet δημόται seu *populares* sint *ejusdem civitatis cives, incolæ, accolæ*, ut loquitur Plautus Aulul. sc. Optati. P. Terent. Phorm. Act. 1. sc. 1.

Amicus summus meus & popularis Geta.

Donatus Grammat. *popularis, ejusdem conditionis gentisque*, Salust. *popularis sui sceleris, & popularis, populo amatus, & popularis civis, & popularis humilis & popularis vilis, è populoque factus, ut si quis dicat sordidum, popularem civem.* Eugraphius vetus scriptor ad eundem locum, ex Salustrio *socium*, exponit, *sive ejusdem conditionis*. Ex hoc ritu L. Seneca intelligendus, qui *populum* pro *qualibet multitudine* sumit.

Cum tot populis stipatus eas,
In tot populis vix una fides.

Xenophon Cyropæd. l. 6. post principium στρατιωτῶν δῆμος, *militaris populus, vulgus militum*, ut loquitur Tacitus libr. 5. Annal. Derivatum hinc nomen *popularis*, ut sit is qui populo charus acceptusque, & *popularitas*, gratia apud principes populi, seu plebeiam multitudinem inita. Euripid. Hecuba v. 254 ὅσοι δημηγόρους ζηλοῦτε τιμάς, *quicunque populares sectamini honores.* Sidonius Apollin. Carm. 23. v. 142.

Vir semper popularitate crescens,
Et juste residens in arce fandi.

Et eodem carmine v. 400.

Alter dum popularitate gaudet.

Papin. Stat. lib. 2. syl. ult.

Et gratum popularitate Magnum.

M. Lucan. lib. 1.

——— *totus popularibus auris*
Impelli,

Quia Seneca *populum amicorum pro frequentia* usurpavit, aut multitudine, seu quod idem est, pro *clientela*, de ea hic agamus. Quæ vel in foro, quoties advocatione potentiorum egebant tenuioris sortis homines. Vet. Scholiast. Iuven. sat. 7. v. 142. *Togati sint tibi ante pedes qui litigent, qui te consulant. Et patronus causarum actor.* Diocletian. Imp. *l. 4. C. de postul. & advocatos patrocinia præstare dixit* Valentinianus Aug. *l. 6. C. eod. tit.* M. Martialis *querulos* ob id appellat clientes lib. 1. epigr. 50. & lib. 4. epigr. 89. Isti cum dignam facundiæ patroni sui mercedem exhibere non possent, januas tamen corona imposita honestabant. L. Seneca lib. 2. de ira cap. 7. *Iudex damnaturus quæ fecit eligitur, & corona pro mala causa, bona patroni voce corrupta.* Iustus Lipsius, *coronam, audientiam*, interpretatur, *sive consessum aut multitudinem spectantis populi.* Sed indubiè de corona, quæ victoriæ judicium offerebatur advocato, loquitur Seneca. D. Auson. in professoribus. Carm. 2.

Palma forensis, & Camænarum decus,
Exemplar unicum in literis.

Elias Vinetus *bonum oratorem & poëtam* exponit; sed non sufficit. Quippe palma hæc forensis seu corona foribus, ut dictum est, suffigebatur. Auctor carminis incertus ad Pisonem:

——— *Licet exercere togatæ*
Munera militiæ, licet & sine sanguinis haustu
Mitia legitimo sub judice bella mereri,
Hinc quoque servati continget gloria civis,
Altaque victrices intexent limina palmæ.

M. Martialis lib. 7. epigr. 27.

Sic fora mirentur, sic te palatia laudent,
Excolat & geminas plurima palma fores.

D. Iuvenal. Sat. 7. v. 118.

——— *rumpe miser tensum jecur, ut tibi lasso*
Figantur virides scalarum gloria palmæ.

Vet. Scholiast. *Scalæ stationum scilicet, ad instar gladiatoriæ victoriæ, scalas, armariola gladiatorum, vel ut quidam casea* (legendum est omnino *casæ*) *& stationes. Cicero in Corneliana, conrepsit, inquit, in scalas. Armaria enim advocatorum apud veteres scalas habebant.* Quare miror quendam in re obvia & expedita tricas agere, & de alieno labore triumphare, aut verius malignè ab aliis tentatum dissimulare, ad C. Suetonii Domitianum cap. ult. cum lippis & tonsoribus, quod dicitur, res sit decantatissima, & Martialis interpretibus notata, lib. 1. epigr. 118.

Et scalis habito tribus, sed altis.

Denique coronæ hujus forensis mentio apud Maximilianum poëtam recentem, & styli satis infœlicis, lascivi nimis, quod opusculum qui Cornelio Gallo adscribunt, næ illi vehementer errant, cum se Maximianum vocet. Is igitur eleg. 1.

Sæpe perorata percepi lite coronam,
Et data sunt linguæ præmia digna meæ.

Hi Calendis Ianuariis munuscula quædam tenuia, grati animi indicium, patronis offerebant, dixi in tractatu de strenis supra. Quo sensu Calphurnius Flaccus Declam. 4. *Beneficium hæreditatis filio datur, patrono redditur.* Addendus locus D. Augustini in Homilia de Calendis Ianuariis, quam eruditissimo Savaroni debent literati: *Diabolicas etiam strenas & ab aliis accipiunt, & ipsi aliis tradunt.* Alcuinus; *Diabolicas etiam strenas & ab aliis accipiebant & ipsi aliis tradebant.*

Patronis suis isti omne observantiæ genus exhibere debebant, & patroni illis fidem, celebre apud C. Suetonium exemplum in Iulio cap. 71. *Studium & fides erga clientes ne juveni quidem defuerunt, Masintham nobilem juvenem cum adversus Hiempsalem regem tam enixe defendisset, ut Iubæ regis filio in altercatione barbam invaserit, stipendiarium quoque pronunciatum & abstrahentibus statim eripuit occultavit que apud se diu, & mox ex prætura proficiscens in Hispaniam, inter officia statim persequentium, fascesque lictorum lectica sua avexit.* Et par conditio clientis & liberti, ut ex Vlpiano ostendit Petrus Gregorius Syntagmat. Iur. Vniversi l. 14. cap. ult. dictique dictione Longobardica, ut puto, *vassali*, quod patronorum suorum tanquam *vasa* censeantur, quasi *vasarii*, quo nomine omne instrumentum magistratus in provincia proficiscentis intelligitur. Adrian. Turneb. l. 21. c. 15. dicebanturque, qui rem clientis prodidissent *prævaricatores*. Antonius Augustus *lib. 1. C. de advocat. divers. judicior. Et sunt clientes propinquis chariores.* A. Gell. lib. 5. cap. 13. Massurius Sabinus juris civilis lib. 3. *Officium primum tutelæ, deinde hospiti, deinde clienti, tum cognato, postea affini.* Claudian. lib. 1. in Ruffin. *Profert arcana, clientes fallit.* Et suscepti; estque lex Decemviralis: *Patronus, si clienti fraudem fecerit, sacer esto.* Quam vir multisciæ lectionis Theodorus Marcilius pleniorem uberioremque tulit ex Dionysio Halicarnassæo Hist. Rom. lib. 2. *Patronus si clienti, cliensve patrono fraudem faxit, sacer esto.* Virgilius adumbravit lib. 6. Æneid. v. 605.

Pulsatusque parens, aut fraus innexa clienti.

Servius; *Si clientes quasi colentes sunt, patroni quasi patres, tantumdem est clientem, quantum filium fallere, & hoc posse fieri ex Horatii dictis intelligitur, qui cum loqueretur de avaris potentibus, ait de vicino cliente (lib. 2. od. 18.)*

——— *pellitur paternos*
In sinu ferens deos.

Vrbano tamen hoc displicet, & dicit rarum esse hoc, magisque contrarium, cum magis patronos decipiant frequenter clientes; vult autem intelligi prævaricatores, qui patroni sunt clientium, quos nunc susceptos vocamus.

Salvian. Massilien. lib. 5. provident. *Nihil susceptis tribuunt, sed sibi.* Tull. lib. 5. epist. 9. *Suscipe me totum.* Est & titulus 54. Codicis Iustinianei lib, 11. *Vt nemo ad suum patrocinium suscipiat vicos vel rusticanos eorum.*

Erat & aliud clientium genus, humiliores scilicet, tenuiorisque sortis homines, qui se tuendos protegendosque potentioribus committebant, idque à Romulo introductum magna ambitione omnibus reip. statibus retentum, Dionys. Halic. lib. 2. histor. unde in Philipp. 8. M. Tullius. *Verebatur Nucula ne tantas amitteret clientelas.* Horat. lib. 2. od. 18. citata.

Trahunt honestæ purpuras clientes.

Viri docti legunt, *clientes*, id est, ancillæ, quæ pensa diurna reddebant dominis, ut dixi supra de lanificiis. Idem Horat. lib. 2. epist. 1.

Mane domo vigilare, clienti ponere jura.

Dominos comitabantur in forum euntes. Coripp. l. 2. num. 6.

Intonuit patrum subitus fragor, inde clientum
Clamores crescunt.

Vt hi à patronis ingentia expectabant beneficia, & consequebantur interdum, ita mutuum iisdem rependebant, aderantque in omnibus periculis negotiisque, non pace tantum & domi, sed bello etiam & militiæ, licet *clientibus onus militiæ annexum non sit.* Gerardus Niger lib. 1. de Feudis. Claudian. lib. 2. in Ruffin.

——— *Circumque armata clientum*
Agmina privatus ibant famulantia signis.

Et cœnam popularem dominis suis in æde sacra instituebant. M. Plaut. Trinummo Act. 2. sc. 4.

Apposita sit cœna, popularem quam vocant,
Si illi congestæ sint epulæ à clientibus.

Obiter notandum id interesse inter patronum & dominum, quod inter servum & libertum, seu manumissum. Ascon. Pædian. in Divinationem Tullianam. Iustinian. August. *libr. 5. C. de testament. Manumiss. quem patronum habere noluerint, dominum suum & forsitan acerbum sentiant.* Scio tamen & clientes, nomine servorum olim vocari solitos. Coripp. African. l. 4. num. 5.

Ante pedes domini, faciunt qui jussa, clientes
Adstabant læti.

Ante pedes, recte, quod *clientes, adseclas* vocet Glossarium vetus, ut notat Iacob. Cujacius, & proprie *servi à pedibus, ad pedes, ante pedes.* Iuvenal. Sat. 7. v. 142. *togati ante pedes.* L. Sen. Epist. 27. *Habebat ad pedes hos.* Et lib. 3. de Benef. cap. 27. *Servus qui cœnanti ad pedes steterat.* C. Sueton. Calig. cap. 26. At *circum pedes dixit* Tullius 3. Verrina. M. Martial. l. 12. epigram. 89.

Bis Cotta soleas perdidisse se questus,
Dum negligentem ducit ad pedes vernam.

Et quia potiorque meliorque humani corporis pars dextera, *clientes* patronorum suorum *dextræ* appellabantur, si fidi. Stat. lib. 5. syl. 1.

——— *Vidi omni te pridem in flore nitentem*
Vidi alte propius propiusque accedere dextræ.

Martialis allusit l. 11. epigr. 70.

Lydia dicebar domino fidissima dextra.

Inde Assagrius Ruizius existimavit legendum apud Corripum lib. 1. num. 1.

Et Thomas Libycæ nutantis dextera terræ.

Sed male, retinendam enim priscam lectionem ad eum locum docui.

——— ——— *Libycæ nutantis destina terræ.*

Et è contra servi fures, rapaces, aut parum dominis suis fidi, seu census direptores, nepotes aut prodigi, *sinistræ* dicebantur. Q. Catull. Epigr. 45.

Porci & Socration duæ sinistræ
Pisonis.

Læva quippe furtis apta. M. Plaut. Persa Act. 2. sc. 2.

Vbi est illa tua furtifica læva?

P. Ovid. lib. 13. Metamorph. fab. 1.

Conveni & timidæ, nataque ad furta sinistræ.

Catull. Epigr. 12.

Marrucius Asini, manu sinistra
Non belle uteris, in joco atque vino,
Tollis lintea negligentiorum.

Andreas Alciatus IC. sui ævi inter eruditissimos nominandus parerg. lib. 11. cap. 7. legit:

Inter cœnam, Asini, manu sinistra.

Idem Catullus Epigr. 27. ubi *sinistram liberalitatem* usurpat pro *concussionibus sinistra factis.*

Quid est? an hæc sinistra liberalitas?

Sic Basiliensis Horatii Tuscanellæ editio conceptum habet, Lugdunensis item & Pariensis. Achilles Statius legit, *quid est? abit.* Iosephus Scaliger, *quid est? alid*, i. e. *alius*; sed castigatissime idem Alciatus loco laudato:

Quid est alid sinistra liberalitas?

Alid enim idem quod *aliud.* Lambin. ad Libr. 1. Lucretii.

Sed revertor ad clientes. Non fuit hoc primum à Romanis excogitatum institutumque, sed à Thessalis, qui *Penestas* nuncupant, & Atheniensibus, quibus *Thetæ* dicebantur; At apud illos superbè imo & indignè habiti, mitius clementiusque à Romanis tractati, Wolfgang. Lazius Commentarior. Reip. Rom. l. 12. cap. 3.

Nec in urbe modo clientelæ celebres, sed & in agris villisque, urbibus, regnis, & provinciis, quæ ultro in potestatem potentis alicujus cedebant, cujus præsidio protegerentur. Valentinianus & Valens Augg. C. Theodos. *Ne colonus inscio domino. Non dubium est colonis, arma quæ subigunt, usque adeo alienandi jus non esse, ut si qua propria habeant, inconsultis atque ignorantibus patronis in alteros transferre non liceat.* Nec minus collegia artificum suos habebant patronos, quibus statuas in foro aut loco maxime conspicuo erigebant. Cujus rei amplum satis testimonium ex vetustis inscriptionibus, quarum quasdam subjiciam, una est Tergesti in Istria.

L. Vario. Papirio. Papiriano IIVIR. I. D. IIVIR.
ID. Q. Q. Prætor. Fabr. Romæ. & Tergeste.
Flam. HADRI. Pont. Augur. collegium.
Fabrum. patrono. merenti.

Altera Reatæ in Italia.

T. Fundilio. Gemino. VIVIR. Aug. mag. inv. Augustales. patrono. &. quinq. perpetuo. optime. merito. hic. arce. Augustalium. se. vivo. HS. XX. dedit. ut ex reditu. ejus. summa. die. natali. Sec. IIII. Kalend. Febru. præsentes. vescerentur. &. ob. dedicationem. statuæ. decurionibus. &. sevirus. &. juvenibus. sportulas. &. populo. epulum. & oleum. eadem. die. dedit.

Tertia Bergomi in Italia.

C. Cornelio. C. F. Vot. Municiano. Præf. coh. Prim. Damasc. Trib. mil. mil. leg. III. Aug. præf. Fabr. Curatori. reip. Othesimorum. IV. viro. I. D. pontifici. Flamini. in divi. Claudii. Bergomi. Patrono. plebs. Vrbana.

Est & alia Vrbini in Italia.

C. Vesnio. C. F. Stell. Vindici. populi. Vrvini. patrono. suo. &. municipii. Ædil. IIIIvir. viar. Curandar. Trib. mil. leg. VIII. Aug. & quæ sequuntur.

Privato etiam clientes nomine statuas patronis suis sumptibus privatis erigi curabant, collocarique, unica vetus inscriptio sufficiet, quæ in Hispaniis.

L. Domitio. Gallicano. Papiniano. C. V. leg. III. Aug. pr. pr. provinciæ. Germaniæ. inferioris. leg. Aug. pr. pr. Dalmatiæ. cos. devotissimo. & innocentissimo. Aurelius. Iulienus. patrono. incomparabili.

Historicos citare supervacanei foret operis, cum obvii sint passim loci ab aliis in hoc notati. Claudianus tamen & illustrandus, & corrigendus, cujus elegantissimo carmini tot sæculis retroactis turpis macula inhæsit paneg. de consul. Manlii Theodori.

Hic

Hic te pars Libyæ moderantem jura probavit,
Qua nunc tota probat, longi sed pignus amoris
Exiguæ peperere moræ, populumque clientem
Publica mansuris testantur vocibus æra.
Inde tibi Macedum tellus, & condita Pella
Mœnia, quæ famulus quondam ditavit Hydaspes,

Quatuor primi versus ritum prænotatum significant, quintus corruptissimus est, quid enim *condita Pellæ mœnia*, habent significationis? Torsit me diu hic locus, fateor, & tandem divinavi oportere legi:

Inde tibi Macedum tellus, & credita Pellæ
Mœnia.

Vult enim poëta Manlium Macedoniæ fuisse præpositum, quam conjecturam Claudius Beleurgens, vir literarum Græcarum bono natus, jam ante biennium, sibi à me communicatam, laudavit, nec multo post in MS. codice Bongarsiano ita diserte exaratum reperi. Et sane recte pro Macedonia, *Pella* usurpatur. Est enim celeberrima urbs illius provinciæ. Marcianus Heracleota de situ orbis v. 624.

Ἐν τῇ μεσογείῳ δ' εἰσὶ μὲν πολλαὶ πόλεις,
Ἡ Πέλλα ἡ Βέῤῥοια δ' ἐπιφανέσταται.

Vertit Federicus Morellus Professor Regius:

Vrbesque mediterraneo sunt plurimæ,
Berrhœa nempe Pellaque illustrissimæ.

Est & auxilium M. Manilio adferendum, cujus versus lacer habetur lib. 1. Astronomic.

——— *nec te Mavortia virgo*
Prætercam, regesque alios, quos Græcia misit,
Atque Asiæ gentes, & magno maxima bella.

Iosephus Scaliger censet legendum:

——— ——— *Asiæ gentes, & Magni maxima bella.*

Vt de triumphata à Cn. Pompejo Asia intelligatur. Sunt qui ad Scipionem majorem referant. Sed potior mihi videtur sententia Lud. Carionis Antiquar. lection. lib. 3. c. 9.

——— ——— *Asiæ gentes, & Magno maxima Pella.*

Vt velit Manilius illustratam & in summam claritudinem evectam Pellam, Macedoniæ alioquin ignobile oppidum, factis Alexandri Magni. Quod eo probabilius duco, quo *Pellæ natum constat Alexandrum.* Præter historicos, vetus Scholiastes D. Iuvenalis ad v. 168. Sat. 10. & apud eundem Claudianum lib. de Bello Gildon.

——— ——— *Pelleo libertas concidit auro.*

Id est, Macedonico.

Hinc descendit jus illud patronatus celebratissimum, de quo quid opus post tot eruditos, & insignes viros quicquam dicere? Gregor. Tholosan. Syntagm. lib. 17. c. 4. & alii.

CAP. XVII.

De tribus ordinibus populi Romani, Senatorio, Equestri, & Populari seu Plebeio.

Et ea quidem, quæ de *Patriciis* & *Plebe*, *Patronis* & *Clientibus*, dixi à Romulo instituta esse, Dionysii & Livii testimonio confirmavi. Exactis autem Roma Regibus, populus Romanus in tres ordines distributus est: in *Senatorium*, *Equestrem* & *Popularem*. Id quod multis veterum Auctorum locis probari potest: ex quibus hæc pauca sufficient: quod Livius lib. 26. Belli Punici dicit: *Consensum Senatus, Equester ordo est secutus, Equestris ordinis plebs.* Et Ausonius canit:

Martia Roma triplex, Equitatu, Plebe Senatu.

Quod idem confirmat etiam notissimum illud elogium: *Consensum Senatus, & Equestris ordinis, populique Romani.* Differt autem hæc divisio à priore: quod illa cives Romani in certa genera vel gentes, hac in certos ordines distributi sunt. Non enim omnes *Patricii*, *Senatores*, neque contrà omnes *Senatores* posterioribus temporibus *Patricii* fuerunt. *Patricii* enim dicti fuerunt, ut alibi est demonstratum, ii, qui à patribus orti fuerunt: vel *Patrum progenies*, ut *Livius* loquitur, quorum magna multitudo fuit: *Senatorum* autem certus fuit numerus. Et cum posterioribus temporibus ex Equestri ordine & Plebe multi in Senatum lecti sint, manifestum est, non omnes *Senatores Patricios* fuisse. Sed de *Senatoribus* plurima dixi in lib. de *Magistratibus Rom.* illud tantum hic repeto: *Senatores* dictos fuisse eos, qui à *Regibus* primum, deinde à *Consulibus*, post à *Censoribus* in Senatum lecti essent, sive *Patricii*, sive *Equites*, sive *Plebeii*, iidem essent. *Senatorum* autem filii, nondum in Senatum lecti *Equites*, sive ex Equestri ordine fuêre, quod jam planius fiet. Secundus ordo fuit *Equester*, de quo primum notetur, in hac divisione non intelligi eos, qui à Romulo ex omni multitudine trecenti numero lecti, quos *Celeres* dixit, quique à Tarquinio Prisco ad sexcentorum numerum aucti fuerunt: neque etiam eos, qui equis stipendia meruerunt (ii tamen quasi fundamentum & semina *Equestris ordinis* erant) sed eos, quibus publicus equus, & annulus à *Censoribus* datus: quique ab iis in equestrem ordinem lecti fuerunt. Duplices enim fuerunt *Equites*: alii oppositi peditatui in exercitu: quales fuerunt omnes, qui equo privato meruerunt, & illi nihil ad hunc ordinem pertinuerunt: alii vero *oppositi Senatoribus*, qui neque *Senatores*, neque *de plebe* fuerunt; ii hunc ordinem constituerunt. Hos necesse erat à Censoribus in Equestrem ordinem legi [*Eadem de Equestri ordine habet Alexander ab Alexandro Genial. dier. l. 2. cap. 29. Plin. l. 33. c. 1. & 2.*] Legebantur autem ii, quibus census equestris esset: qui erat *Sestertium quadringentorum millium*, teste *Suetonio* in Iulio Cæsare. Assignabatur iis equus publicus à Censore (*Varro lib. 7. de ling. Lat. vocat eum mille assarium*) item *annulus aureus*, qui eos à *Plebe* distingueret. Vtebantur etiam *angusto clavo*, quo à Senatoribus, quorum insigne *latus clavus* erat, discernerentur. Sed & hoc observandum: eos qui ex *Equestri ordine* in *Senatorium* lecti fuissent, vel *Magistratus* gessissent, *Equites* esse desiisse: sicut contra, qui patrimonio consumpto, censum Equestrem non haberent: vel quibus propter flagitia equum publicum & annulum aureum *Censores* ademissent, de populo, vel plebe esse cœperunt. Tertius ordo fuit *Popularis*: sive de populo, vel Plebe. Fuerunt autem de *Plebe* vel *Populo* omnes ii, qui neque *Senatores*, neque *Equites* erant, *Patricii* quidem, qui in *Senatum* nondum lecti essent, neque *Equestrem* censum haberent. *Equites* autem, qui patrimonium consumpsissent, vel quibus propter flagitia

gitia equi publici, & annuli aurei adempti essent. *Plebejus* vero, id est, ex plebeis, vel inferioris fortunæ hominibus natus, qui *Patriciis* opponebatur: si minus haberet CD ∞ de populo erat: si CD ∞ haberet, equumque publicum obtinuisset, annuloque uteretur. quamvis plebejus, id est, plebeii generis, erat tamen *eques*: & si ex equite in Senatum à Censoribus lectus esset, *Senator*. Sic igitur *Patriciorum* tres ordines fuerunt, sicut & *Plebejorum*: *Cives Romani Patricii & Plebeii Senatores: Cives Romani Patricii & Plebeii Equites: Cives Romani, Patricii & Plebeii de populo vel de plebe.* Qui de populo vel plebe erant, si propter flagitia aliqua à Censoribus notarentur, *ærarii* fiebant, & in *Cæritum* tabulas referebantur, quod quid sit, alibi explicabitur. Quod etiam in spectandis ludis *Senatores* separatas sedes ab *Equitum* & *Plebejorum*: *Equites* item separatas suas sedes à *Senatorum* & *Plebejorum*: *Plebeii*, vel qui de populo erant, etiam suas proprias & separatas à reliquis habuerint: quodque ex ordine Equestri Iudices lecti fuerint, ex sequentibus libris intelligetur.

AD CAP. XVII. PARALIPOMENA.

De Equitibus & præsertim de Iudiciis, censu, albo, Transvectione.

Notum omnibus primitus tantum *duos* Romæ fuisse ordines, *Senatorium & Plebejum.* ut ante in divisione urbis dixi. Hinc L. Seneca epist. 31. *Senatorum aut equitum nomina ex ambitione tantum nata ostendit.* Et notius est quam ut dici debeat. P. Virgil. l. 2. Georgic. v. 507.

Hic stupet attonitus rostris, hunc plausus hiantem
Per cuneos, geminatur enim, plebisque patrumque
Corripuit.

Constat tamen postea Ascon. Pædian. in Divinat. victore Sylla *civilibus bellis spoliatus est pop. Rom. potestate tribunitia, judicandi jure, quod habuit per equites Romanos, quos secundum post clarissimatum locum obtinere voluerunt.* Valentin. & Valens Act. *tit. 31. lib. 12. Cod. Iustinianei.* & Cujacius ibi. SCtis addi solitum: *Senatus populusque & equester ordo*: L. Apul. Milesiar. l. 7. eratque is velut medius quidam inter Senatum plebemque, adeo ut communicata cum iis sint judicia publica, C. Plin. nat. hist. l. 33. cap. 2. principio.

Dictique illi *judices selecti.* L. Seneca l. 3. de Benefic. cap. 7. *Non potest ad hac sumi judex ex turba selectorum, quem census in album & equestris hereditas misit.* P. Ovid. l. 2. Trist.

Nec mea decreto damnasti facta Senatus,
Nec mea selecto judice jussa fuga est.

Idem l. 1. Amor. eleg. 10.

Non bene conducti vendunt perjuria testes,
Non bene selecti judicis arca patet.

C. Petron. Satyr.

Ergo judicium nihil est nisi publica merces,
Atque eques in causa qui sedet, empta probat.

Viri docti *recuperatores* interpretantur ex Vlpiano IC. in fragmentis tit 1. Et multa à doctis observata Rævardo, Turnebo, Budæo, Cujacio. Tres ordines certum est censu, jure, nominibusque fuisse distinctos, omitto alios authores. Vnicus è Claudiano locus abunde erit, is l. 3. de laudib. Stilichonis:

Præterea diversus erat favor, æquior ille
Patribus, invisus plebi, popularibus illi
Munito studiis languebat gratia patrum:
Omnis in hoc uno variis discordia cessit
Ordinibus, lætatur eques, plauditque senator,
Votaque patricio certant plebeja favori.

Primum igitur omnium census præfinitus erat equiti Romano, ut clarum ex Seneca proxime laudato; & conqueritur C. Plinius l. 14. præfatione, *Senatorem censu legi, judicem censu fieri.* Erat *hic census HS. quadringenta*, ut Hottomanno doctissimo probatum l. 4. Antiqu. Roman. Adi ad C. Plinium l. 33. cap. 2. Suetonium in Cæsare cap. 33. *patrimonium vocat equitum.* Iuvenalis vetus scholiastes ad v. 323. Sat. 14. & diserte M. Martialis l. 5. epigr. 26.

Quadringenta tibi non sunt, Charastrate surge.

Et ejusdem libri epigr. 39.

Calliodorus habet censum, quis nescit? equestrem
Sexte, sed & fratrem Calliodorus habet.

Q. Horat. l. 1. epist. 1.

Si quadringentis sex septem millia desunt,
Est animus tibi, sunt mores, est lingua, fidesque
Plebs eris.

D. Iuvenal. Sat. 14.

Sume duos equites, fac tertia quadringenta
Si nondum implevi gremium.

Secundum censum hunc vel Senatores, vel equites in album referebantur. L. Sen. supra. Suet. Claudio c. 16. *Latini sermonis ignarum non modo albo judicum erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit.* Et in Domitiano c. 8. *Equitem Rom. erasit judicum albo.* Dio Coccejan. l. 55. λεύκωμα τῶν βουλευόντων dixit. Et interpretatus est C. Tacitus l. 4. Annal. *album senatorum. Album* autem dicebatur *à colore*, quod *tabula* foret *albis literis notata.* & alluserunt ad eum ritum varii scriptores. Fulgent. seu Planciades, ut aliis visum, l. 1. Mytholog. *Vna è virginali sum Heliconiadum curia, Iovis albo conscripta.* Vlpian. IC. *l. 1. ff. de edendo. eum quoque edere Labeo ait qui producat adversarium suum ad album, & demonstret quid dictaturus est*, sic restituisse se gloriatur Angelus Politianus Miscellaneor. capit. 82. cum antea esset ad alium. Corippus Africanus de laudibus seu inauguratione Iustini, libro 4. num. 2.

Inde Senatorum sacro recitantur ab albo
Nomina, conscripti patres.

Sedulius Scotus sacri operis l. 1. in fine:

Exiguam concede domum, tuus incola sanctus
Vt merear habitare locis, alboque beati
Ordinis, æternus conscribi in sæcula civis.

Tabulæ hujus non in censu equestri tantum usus, sed in decurionum nominibus excipiendis secundum ordinem. Arcadius Charisius IC. *libro singulari de muneribus civilibus.* Et prætores, quo facilius edicta sua innotescerent, in albo ea proponebant. Theophilus IC. §. *pœnales. instit. de Action.* Quintilian. l. 12. c. 3. *Alii se ad album ac rubricas transtulerunt.* L. Seneca epist. 49. *Turpes infamesque etiam sedentibus ad album exceptiones.* Auctor declamationum, quas cum Pithœo vulgus Quintiliano tribuit, declamat. 374. *Potentius est quod in albo, quam quod in testamento legitur.* M. Plaut. Act. 1. sc. 2. Persa.

Si id fiat, næ isti faxim nusquam appareant,
Qui hic albo pariete aliena oppugnant bona.

Sic optimo sensu legi potest ex MS. Nam edicta prætorum, ut & leges & SCta parietibus fori affigebantur, ut omnes è plano legere possent. Vult ergo Plautus bona aliena albo seu tabula edicti prætorii parieti suffixa oppugnari, lite contestata adiri. alii legunt:

Qui hic albo rete aliena oppugnant bona.

Lambinus, *Albo rete, id est occulte, & insidiose, & dolose, vel specie Reip. consulendi, & persona boni civis induta.* Nec desunt, qui *album parietem* interpretantur, *dolum sub aliqua honesti specie latentem*, & sibi authorem faciunt D. Paulum Act. Apost. cap. 23.

Denique *Cn. Flavius fastos circa forum in albo proposuit, non sine magna nobilitatis invidia.* T. Liv. 1. Decad. lib. 9. ad finem.

In Album adscripti equites Romani tantum erant; nam & in municipiis provinciisque etiam equester ordo, Iuvenal. Sat. 8.

Hic

Hic novus Arpinas ignobilis, & modo Romæ
Municipalis eques, galeatum ponit ubique
Præsidium attonitis, & in omni gente laborat.

Diversa est apud veterem Scholiasten lectio:

——— *& in omni monte laborat.*

Quia in montibus, inquit, condita est Roma. legitur & pontibus, propter Molvium, ubi Catilinæ conjurati, & Allobroges deprehensi sunt. Idem Iuvenal. Sat. 7. v. 16.

——— *Cappadoces faciunt, equitesque Bithyni,*

Vet. Scholiast. *equites Romani ex Græcis facti.*

Sed hi longe inferioris dignitatis, quam illi qui Romani vocabantur, quibus *promiscuus* erat *cum ipsis Senatoribus habitus, communisque vestis*: ut notat clariss. Pet. Faber Sanorian. libr. 1. semestr. cap. 2. tantoque minores, quanto decuriones Senatoribus; isti quippe equo publico donabantur, de quo inscriptionum antiquarum fragmenta ista meminerunt.

M. Boebio. M. F. Q. N. Arn. Suetrio. Marcello. equo. publico. Æd. Q IV. vir. I. D. IV. quin. 11. patrono. munic. Flamini. Divi. Vespasiani. M. Boebius. Suetrius. Marcellus. & Suetria. Ruf. optimo. huic. decuriones. funus. publicum. statuam. equestrem. clypeum. argenteum. locum. sepulturæ. decreverunt. urbani. statuam. pedestrem.

Romæ in horto Baptistæ Iacobi. Laz. Lib. 5. cap. 17.

D. M.

M. ATinio. A E. F. Pal. Paterno. scribæ. ædil. Curul. hon. usus. ab Imp. equo. public. Honor. Præfect. coh. 11. Bracar. Augustan. Trib. mil. leg. X. fretensis. a. Divo. Trajano. in expeditione. Parthica. donis. donat.

Vt liquido apparet non tantum equites donari consuevisse equo publico, sed & sacerdotes, Valer. l. 4. cap. 1. tit. 11. *Traduc equum, inquit, sacerdos, ac lucrifac censoriam notam.* Certumque est eodem donatos flamines, & eos, quorum virtus præclara in bellicis expeditionibus, aut fides in pacis probata actionibus. Inscripta vetusta marmora apud Onuphrium Panvinium de Civitate Romana pag. 165.

D. M.

Cn. Iuli. Cn. Fil. Donati. Prisci.
Ex. equo. public. adjutoris. haruspicum.
Imperatoris. Pontificis. Albani.

Prima tamen origo indubie à censoribus tracta, qui equites equo publico donabant, M. Cicero Orat. 6. Antoniana: *Sed hæc una statua altera ab equitibus R. equo publico, qui item adscribunt, PATRONO, quem unquam iste ordo patronum adoptavit? si quem unquam, debuit me.* Ovid. lib. 2. Trist.

At memini vitamque meam moresque notabas,
Illo quem dederas, prætereuntis, equo.

Privato hic sumptu nutriri, licet publice datus, debebat adeo ut, *qui strigosum aut male habitum equum in censu agendo duceret, multaretur, & equo illo privaretur*, Sabinus Massurius apud A. Gellium libr. 4. cap. ult. *Census* hic *transvectio* vocabatur, quam desuetam, post longam intercapedinem reducto more revocavit Augustus Princeps. C. Sueton. in eo cap. 38. *Severe, curiose, nec sine moderatione equites C. Caligula recognovit, palam adempto equo, quibus aut probri aliquid aut ignominiæ inesset: eorum, qui minore culpa tenerentur, nominibus modo in recitatione præteritis.* Idem cap. 16. in eo. Locus est insignis Valerii Maximi lib. 4. c. 1. tit. 12. de P. Scipione posteriore: *Centurias recognoscens equitum postquam C. Licinium sacerdotem citatum processisse animadvertit, dixit illum se scire verbis conceptis pejerasse, proinde si quis eum accusare vellet, usurum testimonio suo, sed nullo ad id negotium accedente, traduc equum inquit sacerdos, ac lucrifac censoriam notam, ne ego in tua persona, & accusatoris, & testis, & censoris, & judicis partes egisse videar.* Ex quo loco multa discimus, primum per centurias distinctos equites, dum transveherentur, quas numero ternario comprehensas docet D. Auson. in Gripho Ternarii.

Tres equitum turmæ.

Virgil. lib. 5. Æneid. v. 565.

Tres equitum numero turmæ, ternique vagantur
Ductores.

Deinde & *duas iis superadditas* facile est perspicere ex Suetonii Cajo cap. 16. deinde *citatos*. hoc est, nomine suo compellatos vult Valerius, mox & *notam*, si deliquissent inuri solitam. Nota illa interdum ignominia, interdum equi tantum publici ademptio, quod aliis observatum non repeto. Tempus transvectioni statutum *Eidus Iuliæ*, Dionysius Halicar. lib. 6. Martial. lib. 5. epigr. 42.

Theatra, loqueris, & gradus, & edicta,
Trabeasque, & Idus, fibulasque, censusque,
Et pumicata pauperes manu monstras,
Sedere in equitum liceat an tibi scamnis,
Videbo, Didyme.

Equi hi publici traducebantur nudi, id est, sine strato aut dorsuali. Nonii auctoritate probant cap. 2. num. 312. Varro Cato, vel de liberis educandis; *Mihi puero modica una fuit tunica, & toga sine fasceis calceamenti, equus sine ephippio, balneum non quotidianum, alveus rarus.* Sed non video qui possit locus ille de transvectione equestri accipi, quum de puero, non vero equite loquatur M. Varro, & certum sit pueris nobilioribus equos donari solitos. Exemplum de *Asturcone Macedonico donato Gytoni* apud Petronium Satyr. pag. 38. Denique *oleaginea omnibus corona erat, dum transvectio fieret.* C. Plinio teste nat. hist. lib. 15. cap. 4.

Nota etiam *equestris dignitatis* erat *annulus aureus*, interpretes ad Iulium Suetonii c. 33. vetus scholiast. Iuvenal. Sat. 7. v. 89. *equitum de numero, id est, annulo.* Et ipse Satyricus:

Ille & militiæ multis largitur honorem,
Semestri vatum digitos circumligat auro.

Et Sat. 11. v. 43.

Talibus à dominis post cuncta novissimus exit
Annulus, & digito mendicat Pollio nudo.

CAP. XVIII.

De Optimatibus, & Popularibus.

Duas divisiones civium Romanorum, hactenus habuimus: quarum prima *Naturæ* fuit, altera *Iuris.* Sequitur nunc tertia quæ est *factionum*; qua alii *Optimates*, alii *Populares* sunt dicti. Primum hoc loco monendum videtur, vocabulum *populi* non uno & eodem modo semper accipi. In præcedenti enim capite *populi* vox certum aliquem ordinem civium Romanorum designavit, eorum videlicet, qui, sive *Senatorio*, sive *Equestri*, sive *Plebeio* loco nati essent, à *Censoribus* tamen neque in *Senatorium*, neque in *Equestrem* ordinem ralati erant. In hoc capite *popularis* notat eum, qui seditiosis civibus res novas molientibus adhæret, aut Reipublicæ incommodus est. Etsi autem fere semper duo factionum genera in Republica fuerunt, ut ex historiarum Scriptoribus liquet: tamen maxime post Appii Cæci censuram, ea exarsisse videntur, teste *Livio* lib. 9. extremo Decadis 1. Cum enim scripsisset de Appio Censore, quomodo is primus *Senatum* Libertinorum filiis inquinasset, & quomodo *Nobiles* id ægre tulissent, hæc verba subjungit: *Ex eo tempore*, inquit, *in duas partes discessit civitas: aliud integer populus, fautor & cultor bonorum, aliud Forensis factio tenebat: donec Q. Fabius Censor, simul concordiæ causa, simul, ne humillimorum in manu comitia essent, omnem Forensem turbam excretam in quatuor tribus*

bus conjecit, urbanasque eas appellavit. Hæc Livius. Quibus ex verbis, licet aliquo modo, quinam *Optimates*, quique *Populares* dicti fuerint, intelligi possit: tamen clarius idem fiet ex Cicerone, cujus insignem locum de hac re ex Oratione ejus pro Sextio, huc transcribam. Sic autem, inquit: *Duo genera in hac civitate semper fuerunt eorum, qui versari in Republica, atque in ea se excellentius gerere studuerunt; quibus ex generibus alteri se* Populares, *alteri* Optimates, *& haberi, & esse voluerunt. Quia ea, quæ faciebant, quæque dicebant, multitudini jucunda esse volebant,* Populares: *qui autem ita se gerebant, ut sua consilia optimo cuique probarentur,* Optimates *habebantur.* Et paulo post; *Omnes* Optimates *sunt, qui neque nocentes sunt, nec natura improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impediti, &c. Horum qui voluntati, commodis, opinioni in gubernanda Republica serviunt, defensores Optimatium, ipsique* Optimates *gravissimi, & clarissimi cives nominantur, & Principes civitatis. Quid est igitur propositum his Reipublicæ gubernatoribus, quod intueri, & quo cursum suum dirigere debeant? Id quod est præstantissimum, maximeque optabile omnibus sanis, & bonis, & beatis, cum dignitate ocium. Hoc qui volunt, omnes* Optimates: *qui efficiunt, summi viri, & conservatores civitatis putantur.* Hæc Cicero. Fuerunt ergo *Optimates*, qui Reipublicæ commodis, & majestati studuerunt, sive illi Patricii, sive Plebeii generis, sive Senatorii, sive Equestris, sive Plebeii, vel Popularis ordinis essent. *Populares* autem, ut idem auctor dicit, appellantur ii, qui aut propter metum, peccatorum suorum conscii, novos motus conversionesque Reipublicæ quærunt; aut qui propter insitum quendam animi furorem, discordiis civium, ac seditione pascuntur: aut qui propter implicationem rei familiaris, communi incendio maluint, quam suo deflagrare, sive illi *Patricii* sint, sive *Plebeii*, sive *Senatores*, sive *Equites*, sive de *populo*. Seditiones porro Romæ plurimas inter has factiones ortas, testantur Historiæ. De Imaginibus multa observatione dignissima collegit vir clarissimus *Iustus Lipsius* libro Electorum, cap. 29. quem consule.

AD CAP. XVIII. PARALIPOMENA.

Qui Optimates?

Senatus cum Equestri ordine judicia, ut monui, communicavit, ideo & uno communi nomine utrumque corpus Senatorum & equitum comprehensum, dictique *optimates* Romanis, ὀλιγοὶ Græcis, nisi forte oligartiam aliud esse imperandi genus dicamus ab optimatum regimine, M. Iun. Iustin. libr. 1. cap. 9. *Optimatibus Persarum rem indicat.* Theodosius *proceres* appellat lib. 2. *C. de legib. & solent optimates à plebe distingui, ut à vulgo proceres.* Serv. ad libr. 1. Æneid. v. 744. *Proceres ideo secundum Varronem, principes civitatis dicuntur, quia eminent in ea, sicut in ædificiis mutuli quidam, hoc est, capita trabium quæ proceres nominantur.* Idem ad v. 403. l. 11. Æneid. *Myrmidonum proceres, Græcorum principes*, exponit ipse Virgil. lib. 3. Æneid.

Delectos populi ad proceres.

Et lib. 10. Æneid.

Tot lecti proceres ter denis navibus ibant.

Iuvenal. sat. 7.

Quod non dant proceres, dabit histrio.

Sil. Ital. lib. 11. Punicor.

——— *Proceres rerum dimiserit umbris.*

M. Martial. lib. 12. epigr. 6.

Contigit Ausoniæ procerum mitissimus aulæ.

Et Epigr. 8.

Parthorum proceres ducesque Serum.

M. Lucan. lib. 7. Cicero ad Pompejum:

——— *Proceresque tuorum*
Castrorum, regesque tui, cum supplice mundo
Affusi.

Locus est C. Suetonii in Iulio cap. 19. quem vide: & alter apud eundem August. cap. 12. ut existimo, corruptus. *Sed ut cognovit Antonium posti sugam à M. Lepido receptum, cæterosque duces & exercitus consentire pro patribus, causam optimatium sine cunctatione deseruit.* Existimant viri docti mendose scriptum, reponuntque, *cæterosque duces & exercitus consentire pro patribus.* Causa hujus correctionis L. Florus lib. 4. cap. 2. *Si duces ejus (belli civilis Pompejani) inspicias, totus senatus in partibus.* Alter Florus Epitome Liviana ad lib. 116. *Et ex Cæsaris partibus D. Brutus.* & libr. 119. *fortunam utriusque partis æquavit.* & libr. 126. *Labieno, qui Pompejanarum partium fuerat, duce.* Vell. Paterc. lib. 2. *Effusumque alterum Romani Imperii lumen, tot talesque Pompejanarum partium cæsos viros, non recipit enarranda hic scripturæ modus.* Corrigendum censeo, *effossumque alterum R. Imp. lumen.* Et eodem libro postea, *Ingens partium ejus favor bellum excitavit Africanum.* Et post; *Longe antequam dimicaretur, exploratissima fuit Iulianarum partium victoria.* Et deinde *Cn. Domitius, qui solus Antonianarum partium, nunquam reginam, nisi nomine, salutavit.* Nec temere aliter ille loquitur; inhæsit & mendum codici A. Gellii lib. 3. c. 9. *Quem Cassium satis notum est, victis Parthis, fusoque exercitu suo miseram mortem oppetisse.* Quid cum Parthis in historia bellorum civilium? aut quæ de Parthis illo sæculo victoria? Legendum ergo, *victis partibus, fusoque exercitu.* Q. Curtius Rufus, Africæ cum imperio præpositus, triumphalia consecutus ornamenta, ibidem diem obiit supremum sub Claudio principe. C. Plin. Iunior lib. 7. epist. 27. is ergo lib. 4. *Mitylenæis, ob egregiam in partes suas fidem, & pecuniam, & obsides reddidit.* Poetæ. C. Claudian. de laud. Stilich. lib. 2.

Mittitur & miles, quamvis certamine partes
Iam tumeant.

Eleganter factionem optimatium seu partes à vulgo aut plebe distinxit Petrus Apollonius Collatius Excidii Hierosolymitani lib. 4.

Sic alterna movent insanæ prælia partes,
Nec minus inter se vulgus quoque dissidet ipsum.

Pentadius vetus poeta cultissimo epigrammate, quod in id adscribam:

Occidere simul Cascæ, simul occubuere
Dextra quisque sua, qua scelus ausus erat.
Castra eadem fovere, locus quoque vulneris idem,
Partibus afflictis victus uterque jacet.
Quanta fuit mentis, tanta est concordia fati,
Et tumulus cinerem parvus utrumque tegit.
Par fratrum multo celebrandum carmine votum,
Una si fierent parte minus gemini.

Et est pari venustate carmen, parique materia de Mævio quodam, qui bello civili fratrem ignarus interfecerat, Portii Licinii.

Viximus adversis, jaceamus partibus iisdem.

M. Lucan lib. 1. Pharsaliæ, v. 312.

——— *Veniat longa dux pace solutus*
Milite cum subito, parteque in bella togata.

Et ejusdem libri v. 692.

Consurgunt partes iterum.

Et

Et libro 5.

Nec Pompejanis tradidit sua partibus arma.

Denique Æmilius Probus in Alcibiade: *Erat eodem, quo Alcibiades sensu, populi potentiæ non amicus, & optimatum fautor.* Idem in Phocione expressius: *Erant eo tempore Athenis duæ factiones, quarum una populi causam agebat, altera optimatum.*

CAP. XIX.

Qui Nobiles, Novi, & Ignobiles fuerint.

Hæc civium Romanorum, quæ nunc sequitur, divisio, à jure imaginum est sumpta. Fuerunt autem, ut rem brevissime complectar, *Nobiles* dicti, qui majorum suorum imagines habuerunt; qui suas tantum, non autem majorum etiam suorum imagines habuerunt, *Novi*: qui vero nec majorum, nec suas habuerunt, *Ignobiles* appellati. Vt ita *jus imaginum* nihil aliud sit, quam jus nobilitatis. Sed ut planius intelligatur quid sit habere imagines, prius quid *imagines* fuerint, explicandum erit. *Imago*, ut *Polybius* libro 6. docet, *est insignis alicujus viri simulacrum, oris similitudinem artificiose effictam, coloribus pigmentisque adumbratam, referens, quod in insigniori & celebriori domus parte ligneo armario includebant.* Hæc ille. Non autem omnibus imaginem sui ponere licebat: sed iis tantum, qui Magistratus Curules gessissent: quales fuerunt primum Ædiles Curules, Prætores, Censores, & Consules. Cumque hi Magistratus primum solis Patriciis patuerint, sequitur etiam *Patricios* primum solos *jus imaginis* habuisse. Postquam autem hi honores plebi communicati sunt, eos jus ponendi imaginem simul accepisse, dubium non est. Cæterum & hoc observandum de imaginibus, Romanos festis diebus, apertis armariis illas exornasse: cumque ex domesticis quispiam esset mortuus, eas in funere extulisse: addito, ut magnitudine quam simillimæ apparerent, reliquo corporis trunco: vestibus autem exornatas: si *Consulares*, aut cum imperio fuissent, prætextis: si *Censorii*, purpureis: si *triumphales*, auro intertextis, atque curru, fascibus & securibus, aliisque Magistratuum insignibus prælatis, in rostra esse pertatas, ut *Polybius* loco supra citato annotat: cum quo consentit *Plinius*, cujus insignem locum ex libro 35. capite 2. quia hunc Polybii eleganter explicat, etiam adscribam. Sic autem, inquit: *Aliter apud majores in atriis hæ (imagines) erant, quæ spectarentur, non signa externorum artificum, nec ærea, aut marmorea. Expressi cera vultus, singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera. Semperque defuncto aliquo, totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus. Stemmata vero lineis discurrebant ad imagines pictas: Tablina codicibus implebantur, & monumentis rerum in Magistratu gestarum. Aliæ in foribus, & circa limina animorum ingentium imagines erant, affixis hostium spoliis, quæ nec emptori refringere liceret: quæ etiam dominis mutatis, domus ornamenta erant. Eratque hæc simulatio summa & ingens, exprobrantibus tectis quotidie, imbellem dominum intrare in alienum triumphum. Extat Messallæ Oratoris indignatio, quæ prohibuit inseri genti suæ Levinorum, aliam imaginem. Similis causa Messallæ seni expressit volumina illa quæ de familiis condidit: cum Scipionis Africani transisset atrium, vidissetque adoptione testamentaria* Salutationis *(hoc enim ei fuerat cognomen) Africanorum dedecore notam irrepentem Scipionum familiæ. Sed pace Messallarum dixisse liceat, etiam mentiri clarorum imagines, erat aliquis virtutum amor: multoque honestius, quam mereri, ne quis suas expeteret.* Hæc Plinius. Porro poni solitas ejusmodi majorum imagines cum titulis suis in prima ædium parte, ut eorum virtutes posteri non solum legerent, sed etiam imitarentur, docet *Valerius*. Ex his intelligi datur, *Nobiles* eos dictos qui majorum suorum imagines haberent: id est, quorum majores Magistratus Curules gessissent: *Novos* autem, qui suas tantum imagines haberent: hoc est, quorum majores nullos Magistratus Curules, ipsi autem gessissent, quorum autem neque majores, neque ipsi, Magistratus Curules gesserant, ii *Ignobiles* erant, & dicebantur.

AD CAP. XIX. PARALIPOMENA.

Qui nobiles?

Nobilis idem ac *notus*, ut interpretantur Grammatici. Servius Maurus ad v. 564. lib. 7. Æneid. Fest. Pomp. l. 15. & ex eo Paulus ex Accii Plauti auctoritate. M. Cicero 2. Verrina. *Oppidum est in Hellesponto Lampsacum, id in primis Asiæ provinciæ clarum atque nobile.* Papin. lib. 1. syl. ult.

Quicquid nobile Ponticis nucetis.

Gladiator nobilis, & meretrix nobilis dici solet, inquit Donatus ad Hecyram Act. 5. sc. 2. fin. & *scelere nobilis*, id est, *notus.* L. Sen. Agamem. Act. 3. sc. 1. fin. & in Hippolyto Act. 4. sc. 1. princ. adi ad Ianum Palmerium in spicilegio. Diomede Accius Tragœdus:

Argos me referam, nam hic sum nobilis,
Ne cui cognoscar noto.

C. Lucilius lib. 7. satyr.

Phryne nobilis illa ubi amatorem improbius quem.

Postea tamen usu effectum est, *ut vel ex re nobilem, vel ex generatione generosum dicerent*, ut loquitur Cornelius Fronto; indeque *nobiles familias constat antiquissimas habitas, quæque ex Trojanis originem deduxerant.* Serv. ad lib. 5. Æneid. v. 117. ut in æstimanda nobilitate sola sanguinis aut generis ratio haberetur, neque enim ulla nobilitas vera, quæ pecuniis opibusve pararetur, unde vulgatum illud apud Suidam, γενναῖος εἰ ἐν βαλαντίῳ. *Nobilis es à crumena.* Scio γενναῖος, verti *generosus*, ab interprete Iulii Pollucis lib. 3. cap. 25. D. Auson. epigr. 22. in Epitaphiis heroum. Solonis tamen alia sententia apud eundem in septem sapientibus:

Pulchrius multo parari, quam creari nobilem.

Sed quam inique exiſtimatum nobilitatem non à factis aut virtute cujuſque petendam, ſed à majoribus, & priſcarum imaginum varietate, legendus Tullius Orat. pro Plancio. Euripid. apud Stobæum ſerm. 84.

Εἰς δ' εὐγένειαν, ὀλίγ' ἔχω φράσαι καλὰ,
Ὁ μὲν γὰρ ἐσθλὸς, εὐγενὴς ἔμοιγ' ἀνήρ.
De nobilitate parum laudis prædicare poſſum,
Bonus enim vir mihi nobilis videtur.

D. Iuvenal. Sat. 8. principio:

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas ſola eſt, atque unica virtus.

Et Lycus ille eadem pene apud L. Senecam in Hercule Furente Act. 2. ſc. 3.

——— Nobiles non ſunt mihi
Avi, nec altis inclitum titulis genus,
Sed clara virtus.

Apud Romanos magni habitum multas in atrio imagines majorum numerare. At contra Græci parentes claros ultimo loco rejiciebant aliquem laudaturi, exemplum eſt apud Attium veterem Tragicum in Philocteta:

Inclute, parva prædite forma,
Nomine celebri, claroque potens,
Pectore Achivis claſſibus auctor,
Gravis Dardaniis gentibus ultor,
Laërtiade.

Notavit diſertiſſimus Antonius Muretus var. lect. lib. 11. c. 10. C. Plin. Iunior, lib. 10. epiſt. 3. *Laudibus Voconii Romani numeratis, ſubdit, auget hæc & natalium, & paternarum facultatum ſplendor.* A. Gell. lib. 19. cap. 10. *Sedentibus multis doctrina, aut genere, aut fortuna nobilibus viris.* De nobilitate per doctrinam parta, videtur intelligendus locus D. Iuvenal. Sat. 7. de Quintiliano:

Et nobilis & generoſus
Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.

Et quia in civitate & republica eminentiores ſunt nobiles, fit ut *altum* pro *nobili* uſurpent poëtæ. Serv. ad v. 697. lib. 9. Æneid. Iul. Firmicus Maternus non minus doctus aſtrologus, quam diſertus rerum forenſium cauſarumque patronus lib. 6. c. 31. *Erit publicis meritoriis proſtituta, etiam ſi ex alto genere videatur eſſe progenita.* Et contra *humilem* pro *ignobili* dicunt IC. *l.* 3. §. *legis ff. ad leg. Cornel. de Sicariis; Solent humiliores beſtiis ſubjici, altiores vero deportantur in Inſulam.* Q. Horat. lib. 2. ſat. 5.

Tempore quo juvenis Parthis metuendus, ab alto
Dimiſſum genus Æneæ.

Virgil. lib. 5. Æneid.

——— Genus alto à ſanguine divûm.

D. Iuvenal. Sat. 6.

Quædam de numero lamiarum, ac nominis alti.

Claudian. lib. 2. in Eutrop.

Pars humili de plebe duces.

M. Martial. lib. 10. epigr. 72.

Et turpes, humileſque, ſupplice ſque
Pictorum ſola baſiate regum.

Sed quid tam multa in re obvia? quamque doctiſſimo volumine illuſtravit multiſcius Tiraquellus, quem, ſuadeo, tyrones legant.

CAP. XX.

De Libertis, Libertinis, & Ingenuis.

Sæpe mentio fit in veterum ſcriptis *Libertorum*, *Libertinorum*, & *Ingenuorum:* quorum tamen vocabulorum propriæ ſignificationes non omnibus obviæ ſunt. De iis igitur etiam aliquid eſt dicendum. Non eodem ſemper modo hæc vocabula accepta ſunt. Primis enim temporibus ita fuerunt diſtincta, ut *Ingenuus* diceretur is, qui ex duobus Ingenuis, vel Libertinis natus eſſet: *Libertinus*, qui ex duobus Libertis: *Libertus*, qui aliquando ſervitutem ſerviiſſet, & ex illa manumiſſus eſſet. Aliquanto autem poſt Appii Cæci Cenſuram, *Liberti* & *Libertini* pro iiſdem accepti fuerunt: & tum *Ingenui* dicti, qui ex Libertis, vel Libertinis, id eſt, iis, qui aliquando ſervierant, & manumiſſi erant, fuerunt nati. Vbi tamen hoc diſcrimen inter duo iſta, *Liberti* & *Libertini* vocabula, obſervatum fuit, ut *Liberti* dicerentur reſpectu *Patronorum: Libertini* vero, reſpectu *Ingenuorum:* & ita vocabulo *Liberti* privatus quidam reſpectus: *Libertini* autem vocabulo publicus reſpectus, videlicet hominis conditio ſignificaretur: quam differentiam prolixe tradit, & explicat *Laurentius Valla* Elegantiarum lib. 4. cap. 1. Et hanc poſtremam horum vocabulorum ſignificationem Iuriſconſulti etiam retinuerunt: ut de aliis non dicam, quæ mihi parum ſunt cognita. In Inſtitutionibus *Iuſtiniani* lib. 1. tit. 4. *ingenuus* ſic definitur. *Ingenuus is dicitur, qui ſtatim ut natus eſt, liber eſt: ſive ex duobus ingenuis matrimonio editus ſit, ſive ex libertinis duobus: ſive ex altero Libertino & altero Ingenuo.* Sed & ſi quis ex matre naſcatur libera, patre vero ſervo, *ingenuus* nihilominus naſcitur; quemadmodum qui ex matre liberta & incerto patre natus eſt, quoniam qui vulgo conceptus eſt, &c. *Libertini* autem tit. ejuſdem lib. 5. definiuntur ii, qui ex juſta ſervitute manumiſſi ſunt: & recte, quia uſus hoc jam obtinuerat, ut *Libertini* dicerentur, qui manumiſſi eſſent. Fuiſſe autem primum aliam *Libertorum*, aliam *Libertinorum* rationem, ex verbis Suetonii apparet, quæ in vita Claudii ſunt ejuſmodi: *Latum clavum* (ſcilicet Imperator Claudius: de eo enim loquitur) *quamvis initio affirmaſſet, non lecturum Senatorem, niſi civis Romani abnepotem, etiam Libertini filio tribuit: ſed ſub conditione, ſi prius ab Equite Romano adoptatus eſſet. Ac ſic quoque reprehenſionem verens etiam Appium Cæcum Cenſorem, generis ſui proauctorem, Libertinorum filios in Senatum allegiſſe docuit: ignarus, temporibus Appii, & deinceps aliquandiu, Libertinos dictos, non ipſos, qui manumitterentur, ſed ingenuos ex his procreatos.* Hæc Suetonius, cujus poſtrema verba eum ſenſum habere Claudium Imperatorem ignarum fuiſſe, *Libertinos* temporibus Appii Cæci Cenſoris dictos eſſe, qui ſuo tempore erant Ingenui, ex manumiſſis procreati, nemo non videt. Hinc igitur intelligi poteſt, quod diſcrimen inter *Ingenuos*, *Libertinos*, & *Libertos* fuerit. *Carolus Sigonius* libro 1. de antiquo jure civium Romanorum, cap. 6. paulo aliter Suetonii verba enarrat, & eum reprehendens, ac erroris inſimulans, ut qui *Libertinos* & *Ingenuos* pro iiſdem acce-

perit, putat *Libertinos* eos appellatos, qui ex ſervitute manumiſſi fuerint: qui autem ab iis generati ſint, quod proprium nomen non habuerint, *Libertinorum* filios nuncupatos, non *Libertinos*. Sed cum verba Suetonii clara ſint, mihi prior ſententia, quam pluribus probat argumentis *Aldus Manutius* junior lib. 3. de quæſitis per epiſtolam, magis placet. Antonius etiam Vacca Iuriſconſultus Imolenſis alicubi ſcribit, antiquioribus temporibus *Libertinorum* appellationem ſic acceptam fuiſſe, ut *Libertini* dicerentur, quicunque in infinitum deſcendiſſent ex iis, qui olim manumiſſi eſſent: *Ingenui* autem quorum majorum nemo ſervitutem ſerviiſſet. Sed nec hoc convenit cum ullo vetere ſcriptore. *Libertinorum* enim, qui *Libertorum*, ſeu manumiſſorum filii erant, natos, ingenuos fuiſſe, ex ſuperioribus liquet. Sed ſatis apertam illorum vocabulorum ſignificationem jam eſſe puto, de jure quoque eorum pauca addam. *Libertus* antiquis temporibus (de prima enim ſignificatione hic loquor) civis erat, ſed publico nullo, niſi Apparitoris, aut coactoris fungebatur munere. *Apparitores* autem erant, ut poſt oſtendetur, *Scribæ*, *Præcones*, *Interpretes*, *Accenſi*, *Lictores*, *Viatores*, *Statores*. Hæc enim veteres munera, ut Ciceronis ad Q. Fratrem epiſtola declarat, *Libertis* deferebant, excepto tamen ſcriptu. Poſtea vero *Scribæ* quoque *Liberti* fuerunt: tuleruntque hi ſuffragium in quatuor urbanis Tribubus, quæ ruſticis ignobiliores erant.

Libertinus, Liberti filius, fuit eodem jure.

Ingenuus, Libertini filius, Liberti nepos, fuit jure meliore: fert enim ſuffragium in Tribu ruſtica: Magiſtratus tamen non capit, neque Senatorii, neque Equeſtris eſt ordinis, ſed tertii, id eſt, de Plebe.

Ingenuus, Ingenui filius, Libertini nepos, Liberti pronepos, meliore quam pater jure eſt. Eques enim Romanus eſſe poteſt: ſed aditum in Curiam non habet, quod è Suetonii verbis elicitur, qui Senatorium ordinem tribui ſolitum à veteribus oſtendit, non civium Romanorum pronepotibus, verum abnepotibus.

Ingenuus, Ingenui filius & nepos, Libertini pronepos, Liberti abnepos, meliore quam pater & avus eſt jure. In Senatum enim legi poteſt, & honores, magiſtratuſque, &c. Et hæc quidem de eorum jure. Nunc, quia *manumiſſionis* etiam facta mentio in hoc capite eſt, de ea pauca erunt dicenda. Tribus modis ſervos manumitti conſueviſſe, *Severinus* interpres Topicorum Ciceronis, affirmat: aut ſi quis ſervus conſentiente, vel jubente domino nomen ſuum in cenſum detuliſſet, aut virga in caput ſuum à Prætore impoſita, quæ *vindicta* dicebatur, in libertatem vindicatus eſſet, aut à Domino teſtamento liber relictus eſſet. De *manumiſſione*, quæ per cenſum fit, atque à Servio Tullio, VI. Romanorum Rege originem traxiſſe creditur, *Vlpianus* loquitur inquiens: *Servi, qui in peculio centum haberent, aut quibus eas facultates domini impartirent, ſi eos domini in cenſum civium à Cenſoribus adſcribi juberent, libertatem conſequebantur. Vindictæ* rationem intuliſſe fertur P. Valerius Poplicola, anno primo poſt exactos Reges, cum de præmiis Vindicis ſervi, qui conjurationem indicaverat, ad populum tuliſſet: à quo etiam vindictæ nomen ductum fuiſſe exiſtimant tum alii, tum *Livius* libro 1. decad. 1. ſcribens: Præmium indici, pecunia ex ærario, libertas & civitas data. Ille dicitur vindicta liberatus. Quidam *vindictæ* quoque nomen tractum ab illo putant, *Vindici* ipſi nomen fuiſſe. Poſt illum obſervatum, ut qui ita liberati eſſent, in civitatem accepti viderentur, &c. Hæc autem poteſtas primum penes Conſulem fuit, poſt ab eo ad Prætorem urbanum tranſlata eſt, ut *vindicta*, id eſt, virga in caput impoſita (eam enim *vindictam* dicebant) manumitteret. Morem veterem circa hanc manumiſſionem obſervatum, eleganter deſcripſit *Carolus Sigonius* ex Boëtio, Feſto, Valerio Probo, & Donato, his verbis: *Qui manumittere, inquit, ſervum apud Prætorem volebat, ejus, quem manumittere volebat, caput, aut aliud membrum tenens, ad Prætorem ita dicebat:* Hunc hominem liberum eſſe volo: & emittebat eum è manu. Idem tamen Sigonius alio loco ex Iſidoro libro 9. refert, Romanos eos, quos manumittebant, alapa percuſſos, circumegiſſe, atque ita de manu miſiſſe. Prætor autem *vindicta*, id eſt, virga ejuſdem ſervi capiti impoſita, ita dicebat: *Dico eum liberum eſſe more Quiritum.* Inde converſus ad Lictorem addebat: *Secundum tuam cauſam, ſicuti dixi, Ecce tibi vindicta.* Tum Lictor, accepta à Prætore vindicta, caput ſervi percutiebat, faciem palma, tergumque verberabat. Quibus actis, nomen manumiſſi in Acta à Scriba referebatur, adjecta cauſa manumiſſionis. Addit autem *Sigonius* ex Cajo, D. de manumiſſis vindicta, non fuiſſe omnino neceſſe pro tribunali manumittere. Itaque pleroſque in tranſitu ſervos manumitti ſolere, cum aut lavandi, aut geſtandi, aut ludorum cauſa prodiiſſet Prætor. Hactenus ille. Hinc deductum eſſe opinor eum morem, quem hodie obſervant Nobiles, atque alii potentes domini, donantes ſervos jure geſtandi arma, quod noſtra lingua dicitur, *wehrhafftig machen.*

Sed ut ad priora redeam, qui manumiſſi & libertate donati erant, raſo capite pileum geſtabant, libertatis inſigne. Vnde proverbium natum: *Ad pileum vocare*, id eſt, ad libertatem vocare. In cujus proverbii explicatione *Eraſmus* in Chiliadibus ſcribit, videri, *pileum* priſcis inſigne fuiſſe ſpectatæ virtutis, ut inde fluxerit mos, ut qui Magiſtri Doctoriſque titulo decorantur, *pileum* accipiant. Hic ſecundus manumittendi modus fuit. Tertius, qui teſtamento fit, in Inſtitutionibus ſatis diligenter explicatur, quare eo Lectorem remitto.

Addunt Iurisconsulti & alios tres modos, quos *naturales* vocant, videlicet, *inter amicos*, *per mensam*, & *per epistolam*. Manumissionem *inter amicos* appellant, cum præsentibus amicis quispiam à domino manumittitur. *Per mensam*, cum libertatis dandæ gratia, servus convivio adhibetur. *Per epistolam*, quando servo aliis in locis agenti, missis literis à domino permittitur, ut liber vivat. Ii tamen qui his tribus modis manumitterentur, minorem libertatem consequebantur, & *Latini Iuniani* fiebant, ac dicebantur ex lege *Iunia Norbana*. Sicut contra ii, qui prioribus tribus modis manumittebantur, majorem & justam consequebantur libertatem, & fiebant, ac dicebantur *Cives Romani*. Quod si quis tempore servitutis commisisset aliquod crimen, propter quod notis in fronte & stigmatis compunctus, vel in publicos carceres conjectus fuisset: aut propter delictum aliquod, verberibus affectus illud confessus esset, ac deinde gratia cum domino inita, manumissus ab eo fuisset, ex lege *Ælia Sentia*, *Libertus dedititius* fiebat, ac infimam libertatem accipiebat. De *manumissione* multa habet *Iacobus Ravardus* lib. 4. Variorum, capite 9. & libro singulari de auctoritate Prudentum, capite 7. ubi omnes modos diligenter explicat. Quædam etiam apud *Antonium Cujacium* IC. libro 2. Lectionum subsecivarum Iuris civilis, cap. 9. Apud *Iacobum Cujacium* Observationum libro 5. capite 13. & libro 7. cap. 20. ut de aliis interim taceam. Notat præterea *Adrianus Turnebus* Adversariorum libro 18. cap. 3. ex Martiale, ordinem quendam inter *Patronorum Libertos* fuisse, ut qui majori auctoritate apud Patronos essent *Liberti* primi: qui secundo ab his loco essent, *secundi*: qui tertio, *tertii* dicerentur. Quod etiam in libertabus observatum fuisse ex veteribus aliquot inscriptionibus idem probat.

Addam Coronidis vice antiquam manumissionis formulam, quam recitat *Iacobus Cujacius* Iurisconsultorum nostra ætate facile princeps, ex antiquo exemplo, unde colligi potest, moris fuisse, ut domini servis suis, quos manumitterent, scripto etiam illam manumissionem confirmarent. Formula autem hæc est: *Ille civis Romanus esto, ita ut ab hodierna die ingenuus, atque ab omni servitutis vinculo securus permaneat, tanquam si ab ingenuis fuisset parentibus procreatus. Eam denique peragat partem, quamcunque elegerit, ut deinceps nec nobis, nec successoribus nostris ullum debeat noxiæ conditionis servitium; sed omnibus diebus vitæ suæ sub certa plenissimaque ingenuitate, sicut alii cives Romani, per hunc manumissionis, atque ingenuitatis titulum, semper ingenuus & securus existat*, &c. Tantum habui, quæ de præcipuis populi Romani divisionibus dicerem. Nunc cum institutus ordo requirat, ut de religione illius populi dicam, hujus libri finem faciam, ac in sequenti, Deo propitio, de Diis agam.

AD CAP. XX. PARALIPOMENA.

De jure Libertorum & Libertinorum.

Libertos & libertinos manumissione fieri dicam lib. 9. c. 10. licet sciam discrimen allatum esse ab Vlpiano IC. *l. ult. ff. si lib. ingen. esse dicat. l. 4. ff. de his qui sunt sui vel alieni juris.* Et notavit doctissimus vir Ioannes Borcholten in eruditis ad Iustinianum Commentariis: estque *libertus*, quasi *liberatus*. Isidor. Etymolog. lib. 9. cap. 4. & res exposita omnibus interpretibus Institutionum Imperialium lib. 1. tit. 5. quos non exscribo. unica Theophili definitio sufficiet lib. 1. Inst. tit. 5. ἀπελεύθερός ἐστιν ὁ ἐκ δικαίας δουλείας ἐλευθερωθεὶς, προσθὲς ἢ καὶ νόμου. *Libertinus est qui ex justa servitute manumissus est*, seu libertate donatus, verbum adde, *& legitima*. In triplici eos fuisse ordine sciunt omnes, *Cives Romanos*, *Iunianos*, *& Dedititios*. Vlp. IC. in fragmentis titul. 1. singulorum definitiones exequitur Pseudocornutus in v. 106. sat. 3. Persii, hesterni, *à defuncto pridie manumissi, id est, liberti, & cives Romani facti.* Atque hos quidem dispari fuisse dignitate disces ex Hadriano Turnebo lib. 11. cap. 9. ut *quidam primi liberti, quidam secundi, quidam denique tertii forent*; quod ego vel de tempore, quo quisque manumissus fuerit, accipiendum existimo, vel ratione officii, nam ut inter servos alii viliores, alii honoratiores, ita manumissis cur non eadem conditio permittenda? Atque ut ingenuorum variis legibus fortuna coërcita administrataque, ita variæ leges libertis indulserunt, ut de jure testamenti faciendi, legata scribendi, colligit idem Turnebus l. 30. Adversar. cap. 25. ex Tito Livio 4. Decad. lib. 9. & licet scribendi testamenta jus iis non erat, poterant tamen adire hæreditates. Q. Symmachus lib. 10. epist. 54. *Capiunt legata liberti, servis testamentorum justa commoda non negantur.* Locus est notatu dignissimus apud Salvianum Massiliensem lib. 3. ad eccles. Catholic. *Si ejus id opus, ac non alterius; meliori conditione quidam relinquunt libertos suos, quam tu relinquis filios tuos, in usu siquidem quotidiano est, ut servi & si non optimæ, certe non improbæ servitutis Romana à dominis libertate donentur, in qua scilicet & proprietatem peculii capiunt, & jus testamentarium consequuntur, ita ut & viventes, cui volunt, res suas tradant, & morientes donatione transcribant, nec solum hoc, sed & illa quæ in servitute positi conquisierant, ex dominorum domo tollere non vetantur, tantum eis interdum gratiæ patronæ liberalitas impartit, ut etiam jure suo detrahat, quod libertorum dominio largiatur. quanto, ô quisquis ille es infidelissime pater, quanto domini illius melius cum libertis agunt, quam tu cum liberis? illi quæ donant perpetuo jure donant, tu temporario, illi testamenti faciendi arbitrium dant libertis, tu tollis liberis, illi postremo suos dant libertati, tu quasi addicis filios servituti. nam quid est aliud, quam servituti addicere, quos tu non vis aliquid quasi ingenuos possidere. more ergo illorum uteris, qui servos suos non bene de se meritos, quia civitate Romana indignos judicant jugo Latinæ libertatis addicunt, quos scilicet jubent quidem sub libertorum titulo agere viventes, sed nolunt quicquam habere morientes, negato enim his ultima voluntatis arbitrio, etiam quæ superstites habent, morientes donare non possunt:* Quibus verbis elegantem adfert differentiam inter Latinos Iunianos, & cives Romanos, quæ trita est vulgatissimaque.

Liberti isti cujuscunque conditionis etiamsi civitatem haberent, civicisque fruerentur privilegiis, tamen multa ingenuis licebat agere, quæ nequaquam libertis concessa, nam nec ipsi, nec eorum liberi unquam jus tribuum habebant, quod *ingenuorum* tantum erat, ut jam docuit Lælius Taurellus IC. neque tutores ingenui libertinis pupillis dari poterant, ut ex Marci Aug. oratione habetur apud Modestinum *libro singulari de excusationibus*. adi *ad l. 2. C. de vet. jure enucl.* nec in senatum admissi. C. Suet. in Nerone cap. 15. *Neque sacramento militari se obstringere, aut ut milites in castris esse, unde Augustus princeps libertino milite, præterquam Romæ, incendiorum causa, etsi tumultus in graviore annona metueretur, bis usus est, semel ad præsidium coloniarum Illyricum contingentium, iterum ad tutelam ripæ Rheni fluminis, eosque servos adhuc viris fæminisque pecuniosioribus indictos, ac sine mora manumissos, sub priore vexillo habuit, neque aut commistos cum ingenuis, aut eodem modo armatos*, ut verba usurpem ejusdem Suetonii in Augusto cap. 25. Quare tanquam novum,

novum, insolens, inusitatumque notat Appianus Alexandrinus de bellis civilib. lib. 1. pag. 379. ἀπελευθέρων τότε πρῶτον ἐς στρατείαν δι' ἀπορίαν ἀνδρῶν καταλεγέντων. *Tum primum libertis, ob virorum inopiam, in militiam missis.* Eadem Hirtius seu Oppius, seu quilibet alius author libro de bello Africano c. 2. *Postea ex Hybridis libertinis servisque conscripserat, armaverat, equoque frænato uti condocuerat.*

Quod autem Suetonius in curiam libertinos nunquam admissos prodat, caute est intelligendum. Nam Dio Coccejanus l. 40. pag. 150. diversum sentit: qui *sub progressum bellorum civilium Pisonis consulatu libertinos omnes senatu ejectos docet*, argumento liquido in senatum adscitos antea, alioquin eiici non potuissent.

Vestitu etiam non tantum jure distincti libertini à patriciis seu ingenuis. Aurel. Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 6. *Cultum ingenuorum puerorum inter præcipua duxisse, instituisseque ut patricii bulla aurea, cum toga, cui purpura prætexitur, uterentur duntaxat illi quorum patres curulem gesserant magistratum, cæteris autem, ut prætextis tantum uterentur, indultum.* Et postea aliquod lineis interjectis: *Concessum est, ut libertinorum quoque filii, qui ex justa duntaxat matrefamilias nati fuissent, togam prætextam & lorum in collo, pro decore bullæ gestarent.* Eadem discriminis nota apud C. Plinium l. 33. c. 1. aliis idem scio observatum. vetus Scholiastes Iuvenalis ad v. 164. sat. 5. *Antiquitus pueri nobilium bullas aureas habebant, pauperum de loris, signum libertatis.* Et ipse Iuvenalis ibidem loci.

——— *Hetruscum puero si contigit aurum,*
Vel nodus tantum, & signum de paupere loro.

Nec vestitu tantum discreti illi ab ingenuis, sed & nota corpori impressa. idem vetus Scholiastes ad Satyr. 1. v. 104. *Arguit homines, qui cum propter libidinem libertatem meruissent, & in libertinorum corpus & tribus relati essent, pertusis auribus signa libertinorum celare non poterant.* Ergo *pertusas* seu *perfossas* libertinis *aures* ex hoc loco apparet, quod an aliunde probari possit, non video, nec memini legere, nisi forte notam illam servilis conditionis præteritæ intelligamus, nam servis perforari aures solitas notissimum est. Sulpitius Severus sacræ historiæ l. 1. *Hebræus puer pecunia emptus, sex annis serviet, post hæc liber erit, sponte autem permanenti in servitute, auris forabitur.* Servorum ergo aures, tanquam argumentum suæ sortis, perforabantur, unde lux Petronio Arbitro Satyric. pag. 59. *Quid tu, inquit Gyton, & circuncide nos, ut Iudæi videamur, & pertunde aures, ut imitemur Arabes, & increta facies, ut suos Gallia cives putet.* Quem locum transcripsit Isidorus Hispalensis: *Nonnullæ etiam gentes non solum moribus, sed & in vestibus aliqua sibi propria vindicant, circuncidunt Iudæi præputia, pertundunt aures Arabes, Mauros habet tetra nox corporum, Gallos candida cutis.* Venalium itaque servorum, quantum coniicio, Romæ nota erat, *sub corona stare. cretatos habere calceos, aures perforatas.* Nec id modo Arabes servi patiebantur, sed & Pœni. M. Accius Plaut. Pœnulo act. 5. sc. 2. ubi Milphio servus Pœnos conspiciens:

Viden homines sarcinatos consequi?
Atque ut opinor, digitos in manibus non habent.
AG. *Qui jam?* Mil. *quia incedunt cum annulatis auribus.*
Adibo ad hosce, atque appellabo Punice,
Si respondebunt Punice, pergam loqui.

Lybes & Arabes Romæ inter servitia habitos nemo ignorat. Est locus corruptus in codice Q. Florentis Tertulliani lib. de velandis virginibus: *Debebunt & ipsi aliqua sibi defendere insignia, aut pennas Garamantum, aut Crobylos barbarorum, aut cicadas Atheniensium, aut cirros Germanorum, aut stigmata Britonum.* Beatus Rhenanus bene de illo authore meritus, putavit in prima sua editione legi debere, *scrobulos barbarorum*, ut *scrobuli*. Diminutiva vox à *scrobe*, *aurium sunt foramina, per quæ barbari traijciant gemmas & annulos.* At idem Rhenanus in altera editione, reponit *strobulos*, nisi forte retineamus antiquam lectionem. Nam *corymbion mulierum, crobylus virorum, scorpius puerorum*, ut ad Petronii Satyricon notarunt viri docti pag. 69. *Corymbioque dominæ pueri adornat caput.* Quod Græcis pineam nucem *strobulus* significet, gestamen ex auro barbarorum quorundam. At certe στρόβυλος Iulio Polluci l. 1. c. 9. n. 17. & l. 4. c. 20. latine *turbo* redditur à Rudolpho Gualtero. At στρόβυλια in mundo muliebri reponuntur, *rotulas* interpretantur, puto *inaures* esse formâ rotunda, idem Pollux l. 5. cap. 16.

Hæc quanquam de libertis servisque posse accipi, qui Romam venales commeabant, scio solo luxu poscente aures consuevisse perforari, hoc est ad venustatem decoremque conciliandum. unde D. Iuvenal. sat. 1.

——— *Molles quod in aure fenestræ.*

Quod etiam in sacris literis factum Genes. cap. 24. Exod. 32. Iudicum c. 8. Esaiæ cap. 3. & apud Ethnicos ab heroicis petitum temporibus certissimum vel ex unico Homero, qui Iovi placituram Iunonem inducit lib. 14. Iliad. v. 182.

Ἐν δ' ἄρα ἕρματα ἧκεν ἐϋτρήτοισι λοβοῖσι
Τρίγληνα.
Et sane inaures apposuit bene perforatis auriculis
Instar trium pupillarum factas.

Et proci Penelopen donis affecturi inaures adferunt lib. 18. Odyss. v. 298.

Ἕρματα δ' Εὐρυδάμαντι δύω θεράποντες ἔνεγκαν.
Inaures autem Euridamenti duo servi portaverunt.

Isidorus Hispalensis in glossis. *Baen est lamina auri ab aure ad aurem, quo familiares regum utebantur, ornamentum colli ex auro & gemmis, quod alio nomine torques potest dici.* L. Sen. lib. de Constantia sapientis cap. 14. *Quid refert quantum habeat, quot lecticarios, quam oneratas aures, quam laxam sellam?* I. Lipsius ibi. idem l. 7. de Benefic. cap. 9. *Video uniones non singulos singulis auribus comparatos, jam enim exercitatæ aures oneri ferendo sunt.* Et lib. de vita beata cap. 17. *Quare uxor tua locupletis domus censum auribus gerit?* Et idem, seu quod verius duco, obscurus ille scriptor libelli de Remediis fortuitorum: *Duc bene institutam, nec maternis inquinatam vitiis, non cujus auriculis utrinque bina patrimonia dependeant.* Aurium vulnera in gravi illa de corrupta moribus querela apud C. Plinium in præfatione ad lib. 12. nat. hist. *& quod ultimæ mollitiei id fuerit argumentum*, nulli dubium esse potest Aurel. Macrob. Satur. lib. 7. c. 3. *Octavius, qui natu nobilis videbatur, Ciceroni recitanti ait, non audio quæ dicis, ille respondit, certe solebas bene foratas habere aures, hoc eo dictum est, quia Octavius Libys oriundus dicebatur*, quibus mos est aurem forare. ergo & generis obscuritatem seu peregrinitatem, effæminatosque mores uno eodemque cavillatus est scommate Florens Tertullianus lib. de cultu fœminarum, *scrupulosa deus auribus vulnera intulit.* Beatus Rhenanus *scrobulosa* legi voluit. quod quam male tentatum ab eo, adeundum ad Hadrianum Iunium lib. 2. Animadversor. cap. 1. Meretricum id signum. P. Ovid. lib. 1. de Arte:

Quid cum mendaci damno mœstissima plorat?
Elapsusque cava fingitur aure lapis.

Q. Horat. lib. 2. sat. 3.

Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ
Diluit insignem bacam.

Quem locum discussi supra in reg. 9. M. Martialis lautitiam meretriciam describens l. 11. epigr. 50.

Nunc plorat speculo fallax ancilla relicto
Gemma vel à digitis, vel cadit aure lapis.

Pretiosissimæ gemmæ perforatis auribus impositæ. Sueton. in Vitellio cap. 7. *Ex aure matris detractum unionem pigneraverit ad itineris impensas*, *elenchos* vocat Plinius lib. 9. cap. 35. Iuvenal. sat. 6.

Auribus extensis magnos commisit elenchos.

Claudian. de 6. Honorii consul.

——— *Bacis onerat candentibus aures.*

Sed magnum inter Græcos latinosque discrimen, apud hos enim indicium nobilitatis, apud istos dedecoris luxuriæque nota. Isidor. l. 19. cap. 31. *Inaures ab aurium foraminibus nuncupatæ, quibus pretiosa genera lapidum dependuntur, harum usus in Græcia, puellæ utraque aure, pueri tantum dextra gerebant.* Ad quem ritum respexit L. Apulejus lib. de dogmate Platonis: *Reliquit auri tantum, quantum puer nobilitatis insigne in auricula gestavit.* Hic nobilitas per inaurem significata, at per eandem mollities objecta viris gestantibus apud Romanos. C. Plin. l. 11.

l. 11. cap. 37. & mulieribus, Ælian. var. hiſtor. l. 1. cap. 18. πῶς δ' οὐ διέῤῥεον ὑπὸ τρυφῆς αἱ πολλαὶ τῶν γυναικῶν, ὅτι μὲν γὰρ τῆς κεφαλῆς στεφάνην ἐπετίθεντο ὑψηλὴν, τοὺς δὲ πόδας σανδαλίοις ὑπεδοῦντο, ἐκ δὲ τῶν ὤτων αὐταῖς ἐνώτια μακρὰ ἀπεκρέμαντο. Vertit Iuſtus Vultejus: *Nunquid vero pleraque mulierum luxu diffluxere? quæ corollam ſublimem capiti imponebant, pedes vero ſandaliis induebant, ex auribus longas inaures dependentes habebant.* Ex quibus lux L. Senecæ in Hippolyto Act. 2. ſc. 1.

Cervix monili vacua, nec vivens lapis
Diducat aures, Indici donum maris,
Odore crinis ſparſus Aſſyrio vacet.

In codice MS. legebatur melius:

Deducat aures, id eſt, *gravet ſuo pondere.*

Interpretationem hanc meam & correctionem adjuvat Horatius lib. Epodôn od. 8.

Nec ſit marita quæ rotundioribus
Onuſta bacis ambulet.

M. Plaut. Epidico ſc. *male.*

——— *Inaurem auream ad te afferre natali die.*

At cum non potuit tolli inaurium luxus, Alexander Severus Imperator modum adhibuit, ſanxitque, *ut viri in univerſum inaures non haberent, & matronæ contentæ deberent eſſe uno reticulo, atque inauribus, & bacato monili.* Æl. Lamprid. in ejus vita, & non omnino earum uſum fœminis interdictum videri poteſt ex eo quod Vlpianus IC. *Licita ornamenta muliebria enumeret armillas, inaures, viriolas, annulos, præter ſignatorios, l. 25. ff. de auro arg. mundo mulier. &c. legatis,* & Paulus IC. *Quæreretur an nihilominus detractis elenchis inaures deberentur, in quibus duæ margaritæ, & duo ſmaragdi, reſpondit deberi, ſi maneant inaures. l. 32. ff. eo. tit.* Videatur Ariſtænetus l. 1. epiſt. 15. Inaures has *ſtalagmium* vocat Cæcilius antiquus poëta in Cratino apud Feſtum Pompejum lib. 17.

Ex aure ejus ſtalagmium domi habeo.

Denique ut unico verbo ſemel dicam, nobiles Græci adoleſcentes, ut ex Iſidoro antea dixi, & regum familiares, ut in gloſſario, in verbo *Baen* habetur, laudi ducebant auriculas perforatas habere; adde & ipſos reges hoc ornamento inſigniri conſueviſſe. Q. Curtius lib. 9. de Indiæ regulo: *Pendebant ex auribus inſignes colore & magnitudine gemmæ.*

Sed ad libertinos revertamur, quid refert omnia eorum arbitrio ſub malis Principibus permiſſa hoc loco referre? quod conqueritur non ſine indignatione C. Tacitus lib. 1. hiſtoriar. Notum enim omnibus puto ſub Claudio Licinium & Pallantem præcipua fuiſſe authoritate & opulentia ex Sueton. cap. 28. C. Plinio Iuniore lib. 7. ep. 29. & lib. 8. epiſt. 6. Carum & Maſſam Neronis libertos celebrant Iuvenalis ſat. 1. & vetus ejuſdem interpres Parthenium libertum Domitiani plurimum valuiſſe. Suet. in eo cap. 16. *ſcurrilibus perditiſque fuiſſe moribus,* Tertullianus in Apologetico loquitur, ut & Aſiaticum à patrono ſuo Vitellio Aug. *ad equeſtrem dignitatem promotum* ex Tacito l. 2. hiſtor. conſtat.

Atque ut hi libidini dominorum obſequendo flagitioſaque perpetrando ſibi conciliabant opes, honores, dignitates, ita libertinæ vulgato corpore male ſæpe audiebant. T. Livius 4. decad. lib. 9. *Scortum nobile libertina Hiſpala Feſenia.* Et videri poſſet meretrices ſeu publica proſtibula libertinas fuiſſe, adducor authore Horatio, ut id credam, qui in libertina peccanti videtur impunitatem promittere lib. 1. ſat. 2.

Tutior at quanto merx eſt, in claſſe ſecunda,
Libertinarum dico, Saluſtius in quas
Non minus inſanit, quam qui mœchatur.

ROMANARVM ANTIQVITATVM

LIBER SECVNDVS,

DE DIIS, ET EORVM TEMPLIS, SIVE ÆDIBVS SACRIS.

DIxi quæ origo fuerit Vrbis Romæ, à quibus condita & amplificata fuerit, quæ præcipua in Vrbe ædificia, ſecundum quatuordecim regiones: addidi deinde quædam de Civibus *& præcipuis eorum differentiis; jam inſtituta illius Populi conſideranda veniunt. Illa vero circa religionem & Reipublicæ gubernationem verſantur. Quia autem in omnibus recte & bene conſtitutis Rebuſpublicis primum locum obtinet, & obtinere jure debet* Religio, *ideo nos etiam de ea primum dicendum eſſe arbitrati ſumus. Ciceronis ſententia celebris eſt, à Diis immortalibus agendi nobis capienda eſſe primordia, qua de cauſa ipſe leges aliquot conſcripturus, primum eas recenſet, quæ ad religionem & cultum Deorum pertinent: deinde politicas ſubjicit: quem ordinem & nos ſequi volumus. Cæterum antequam de Diis agere incipiamus, non alienum ab inſtituto & officio etiam noſtro eſſe exiſtimamus, ſi quorum Scriptorum auxiliis præcipue uſi ſimus, indicemus, ut candidus Lector id nobiſcum ſciat, & ſi quæ videbuntur hic brevius tradita eſſe, ex illis, quorum nos auxilio uſi ſumus, auctoribus, prolixiorem de ſingulis diſputationem petere poſſit. Ea igitur omnia, quæ hic cum ſtudioſis Lectoribus communicamus, hauſimus atque deſumpſimus ex rerum Romanarum Scriptoribus,* Livio, Plutarcho, Dionyſio Halicarnaſſæo, Dione *& aliis, quorum nomina ſupra recenſuimus. Poſt illos non parum nobis adjumenti attulit lectio* Agellii, Macrobii, Varronis de lingua Latina, Feſti, Nonii Marcelli, Plinii, Auguſtini de Civitate Dei, & Commentariorum in eoſdem libros Ludovici Vivis, Bartholomæi Marliani, Georgii Fabricii, Lilii Georgii Gyraldi, *& aliorum, quorum nomina ſicubi occurrent, quæ ex iis deſcripta ſunt, nequaquam ſilentio præteribimus. Scripſerunt etiam ante nos de* Diis, *&* genealogia Deorum gentilium *plurimi: videlicet ut ex multis paucos adducam,* Apollodorus *in ſuæ Bibliotheces libris, qui à Benedicto Ægio ex Græco in Latinum ſermonem tranſlati ſunt:* Heſiodus, Phurnutus, Palæphatus, Fabius, Fulgentius Albericus Philoſophus: *item apud Romanos* Euemerus, *cujus libri non amplius extant. Inter recentiores* Ioannes Boccatius *de genealogia Deorum gentilium libros 15. edidit,* Georgius Pictorius *Apotheoſin tam exterarum gentium, quam Romanorum Deorum libris tribus complexus eſt,* Iulianus Amelius *de cognominibus Deorum gentilium libros tres collegit. Omnium autem diligentiſſime de iis commentatus eſt* Lilius Georgius Gyraldus, *quem ego non ſemel conſului. Porro hac mea ſcriptione nihil opus fuiſſet, ſi adhuc extarent* M. Terentii Varronis *tres de Diis libri, quorum* Auguſtinus *aliquoties meminit. Sed perierunt illi. Itaque ſi quæ de iis ſcire volumus, ea oportet nos cum maximis laboribus ex variis & infinitis pene Scriptoribus conquirere. Verum de Scriptoribus quos ego ſequor ſatis. Tu benevole Lector, iſta legens, mecum deplora ingentem humanæ naturæ cæcitatem, qualis ea ſit, niſi à Spiritu ſancto & Dei verbo illuminetur: atque Deo gratias age, quod de tantis ac plus quam Cymmeriis tenebris clementer nos eripuerit, nobiſque in ſacroſancto verbo ſui veram cognitionem revelaverit. Videbimus igitur quales Romani Deos, & Deas coluerint.*

НБ ОНУ імені І.І. Мечникова

CAPVT I.

Vnde Deus dicatur, quid sit, & quot differentiæ Deorum apud Romanos fuerint.

De Diis dicturi, primum unde vocabulum ortum sit, inquiremus. Hic autem variæ sese offerunt eruditorum sententiæ. Alii Latinum vocabulum *Deus*, à dando deducunt, quod Deus det omnia; alii sic dictum putant, quod ei nihil desit. Contra alii à Græco Δέος, quod *timorem* sive *metum* significat: primus enim, ut Statius & Petronius Arbiter canunt, *In orbe Deos fecit timor*. Plerique à Græco θεὸς deducunt, cujus derivatio itidem varia & multiplex est. Sunt enim qui à verbo θεῖν, quod *currere* significat formatum volunt, quia homines *Cœlum*, *Lunam*, *Solem*, & alia astra propter motus & cursus velocitatem Deos esse putarint, & coluerint. Plures tamen à θεάομαι, quod est *video*, vel *speculor*, quia Deus omnia videat, & quia in ipso etiam Deo, tanquam speculo omnia cernantur, derivant, quæ etymologia videtur reliquis verisimilior.

Quid *Deus* sit, nobis ex sacris Literis ignotum non est. Cum autem de gentium Diis hic nobis sermo sit, ideo etiam quid illi de Deo senserint, & quomodo eum definierint, considerandum est. Sed quis potest omnia commenta Ethnicorum recensere? Videantur variæ Philosophorum sententiæ apud Ciceronem de Natura Deorum, & apud Lilium Gyraldum. M. Terentius Varro, ut est apud Aurelium Augustinum, in ea est opinione, *Deum esse animum mundi, ipsumque mundum Deum*. Ridicula profecto definitio, quam pluribus exagitat & refutat *Augustinus*. Plinius de Deo verba faciens, scribit: *Quisquis est Deus, si modo est alius quam scilicet Sol, & quacunque in parte, totus sensus est, totus visus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus sui*. Ridiculus & hic est, & quid dicat, ipse ignorat. Melius Plato [*Lib. 2. c. 7.*] definit *Deum mentem æternam causam boni in natura*.

Cæterum uti de Deo quis esset, Ethnici nihil certi habuerunt, ita etiam de numero Deorum mirum in modum hæsitaverunt. Plurimi quidem, & ii sapientiores, unum tantum Deum esse voluerunt, cui à varietate & diversitate officiorum varia & diversa nomina sint indita, sicut etiam *Macrobius* [*Lib. 1. Satur. capite 17. & sequentib. lib. 2. capite 7.*] multis capitibus conatur omnes *Deos* alios ad Apollinem sive Solem referre: & *Plinius* eos qui pluralitatem Deorum induxerunt, falsè ridet: verumtamen invaluit etiam ea opinio, ut plures esse Dii crederentur, nec unus tot muneribus obeundis par esse existimaretur. Atque ut propius ad propositum accedamus, Romanos ingentem Deorum multitudinem coluisse, quis nescit? sed non fuerunt omnes in pari honore & auctoritate: verum in certos ordines, & certas quasdam classes distributi. Alios enim *majorum gentium*, quod præcipuas partes in rerum administratione haberent; alios *minorum gentium*, ob meriti paupertatem appellarunt. *Varro* Deos Romanorum in duas classes distribuit, in *certos & incertos*. *Certos* appellat *publicos*: quibus Romani publice ædes ædificarint, quosque pluribus signis ornatos notaverint. *Incertos* autem, quorum certa ratio reddi non possit, qui sint. Cicero tres ordines Deorum recenset, unum eorum qui cœlestes semper habiti sint, qui etiam majorum gentium Dii vocantur: alterum eorum, quos in cœlum merita vocarint, qui & *Semidei* & *Dii indigetes* appellantur: tertium eorum, propter quos detur hominibus ascensus in cœlum. Cujus partitionem nos etiam in hoc libro sequi instituimus, ita ut primum de *majoribus*, deinde *de Semideis*, tum de *virtutibus Deorum* Dearumve nominibus insignitis dicamus: quibus addemus etiam alios Deos, quibus singulis sua munia in rerum administratione sunt attributa, quique minores, sive minorum gentium Dii & *Semones* appellantur, ut suo loco docebimus. Iam vero antequam de Diis dicere pergamus: de sacris ædibus, & aliis locis, ubi cultum divinum numinibus suis Romani exhibuerunt, pauca monebimus.

CAP. II.

Quid Templum sit, quid Fanum, Delubrum, Ædes, Ædicula, Ara, Lucus, &c.

Religiose Romani suos Divos colebant; constituebant enim iis maximis sumptibus templa, fana, delubra, de quibus quomodo inter sese differant, pauca dicemus. *Templum* dici vult Varro [*Lib. 6. de Lingua latina*] à *templando*, vel *tuendo*, & triplicem habere significationem: primum significare *cœlum*: deinde certa loca in aëre, vel in terra, quæ Augures captandorum Auguriorum causa definire solebant, quæ *templa* dicebantur, quod ex omni parte vel quod ex iis omnis pars conspici posset: tertio vero significare loca sub terra. De prima & tertia significatione nobis nihil dicendum est: de secunda significatione agetur libro sequenti, ubi de auguriis disputandum erit. Ab eo vero templo, quod ab Auguribus definiebatur, quia id oporteret septum esse circumquaque, nec plus quam unum introitum habere sicuti alibi ostendetur, factum est, ut etiam alia loca *septa*, & unum tantum introitum habentia *Templa* appellarentur, etiamsi sacra non essent. Ita Festus: *Templum* significat & ædificium Deo sacratum, & tignum, quod in ædificio transversum ponitur.

Ædes autem sacræ *Templa* dicta fuerunt, quod essent quasi ædes Deorum, sicuti cœlum etiam, quod domicilium Deorum esset: *Templum* dictum fuisse, paulo ante est indicatum. Solebant porro templa illa ab hominibus propter certas causas voveri, cujus rei multa exempla in historiis reperiuntur: & paulo post quædam recitabuntur. Quando vota erant, & id propter quod vota erant prospere successerat, tum definiebantur, vel certi illius templi fines constituebantur, id quod dicebatur *effari templa*, teste Varrone, vel *sistere fana*. Sic enim Pompejus Festus: [*Lib. 14. c. 7. Lib. 4. Hist.*] *Sistere fana* cum in Vrbe condenda dicitur, significat loca in oppido futurorum fanorum constituere. Id vero ab Auguribus fieri solitum docet *Varro*. Vbi ita definita essent, tunc condebantur, condita dedicabantur ab iis, qui ea vovissent: tandem ab Auguribus inaugurabantur: id est, suis auguriis sanctiora reddebantur. Hoc enim nisi fieret, *Templa* esse non poterant, teste apud *Agellium Varrone*: sed *ædes* tantum dicebantur, unde discrimen inter *Templa* & *ædes* sacras facile intelligitur. Extat apud Cornelium Tacitum narratio de lustratione areæ templi Iovis Capitolini, quod à Vespasiano tum restitutum fuit, ex qua cognoscere aliquo modo possumus, quanta religione vel superstitione potius veteres *templa* Diis construxerint. Sic autem *Tacitus* lib. 4. Histor. Vespasianus curam restituendi Capitolii in L. Vestinum confert, equestris ordinis virum, sed auctoritate famâque inter proceres. Ab eo contracti Haruspices, monuêre, ut reliquæ prioris delubri in paludes avecherentur, templum iisdem vestigiis sisteretur: nolle Deos mutari veterem formam. Vndecimo Calendas Iulias, serena luce, spacium omne, quod templo dicabatur, evinctum vittis, coronisque. Ingressi milites, quibus fausta nomina, felicibus ramis, dein *virgines Vestales* cum pueris puellisque, patrimis matrimisque aqua rivis & fontibus amnibusque hausta, perluere. Tum *Helvidius* Priscus Prætor, præeunte *F...uto Eliano* Pontifice, lustrata Suovetaurilibus area, & super cespitem redditis extis, *Iovem*, *Iunonem*, *Minervam*, Præsidesque Imperii Deos precatus, uti cœpta prosperarent, sedesque suas pietate hominum inchoatas, divina ope attollerent, vittas quibus ligatus lapis innexique funes erant, contigit. Simul cæteri Magistratus, & *Sacerdotes*, & *Senatus*, & *Equites*, & magna pars populi, studio, lætitiaque connixi saxum ingens traxêre: passimque injectæ fundamentis argenti, aurique stipes, & metallorum primitiæ, nullis fornacibus victæ, sed ut gignuntur. Prædixere *Haruspices*, ne temeraretur opus saxo, aurove in aliud destinato, &c. Hactenus Tacitus.

Fanum à fando dicitur, quod dum Pontifex dedicat, certa verba fatur. *Varro* [*Lib. 5. de lingua Latina*] ait, *Fana* nominata, quod Pontifices in sacrando fati sint finem. Quidam tamen à *Fauno*, quod is primus fana condiderit, *fanum* dictum esse malunt. [*In 2. Æneid.*]

Delubrum scribit Servius appellari, quod sub uno tecto plura complectatur numina, quia uno tecto diluatur. Alios vero scribit affirmare, *delubrum esse locum ante templum ubi aqua currat*, à diluendo dictum. *Macrobius* in Saturnalibus *Lib. 3. cap. 4.* citat *Varronem* ex lib. 8. Rerum divinarum de duplici significatione vocabuli *Delubri* differentem hoc modo: *Delubrum*, ait Varro, alii existimant esse, in quo præter ædem sit area assumpta Deûm causa, ut est in Circo Flaminio Iovis Statoris. Alii esse locum, in quo Dei simulachrum dedicatum sit, ut ita ab Dei dedicato simulachro delubrum cœperit dici: quod etiam ipse probat. Ita enim pergit: *Sicut locum, in quo figerent candelam, candelabrum appellatum, ita in quo Deum ponerent, nominatum Delubrum*. Paulus autem Festi Pompeii abbreviator scribit, *delubrum* dictum fuisse fustem delibratum, vel decorticatum, quem venerati sint antiqui pro Deo, id quod & Servius alicubi tradit, cum sic scribit: *Delubrum* dictum propter lacum, in quo manus abluuntur: vel propter tectum conjunctum: aut certe ligneum simulachrum *delubrum*, dicimus, à libro, hoc est, à raso ligno factum, quod Græci ξόανον dicunt.

Ædicula diminutivum est, quasi parva ædes sacra, sicut & sacellum. Festus: *Sacella dicuntur loca Diis sacrata sine tecto*.

Cæterum, ut hoc obiter moneam, non omnibus Diis promiscue omni loco ædificari templa solebant. Aliis enim intra Vrbem, aliis extra eam, aliis in montibus, aliis in foro, aliis alibi, templa construebantur. Nec etiam forma omnium erat eadem: aliis enim rotunda, aliis tecto perforato templa ponebantur. Cœlitibus & superis aliis à terra extare templa volebant, inferis Diis sub terra, terrestribus media ponebant sæpius. Qua de re, qui plura cupit, legat *Victruvium* & alios.

Iam & hoc non est silentio prætereundum, quod *Franciscus Polletus* lib. 1. Historiæ fori Romani, cap. 3. annotat templa veterum nostris non fuisse absimilia. Constabant enim, ait, cella sanctiore, nos *Chorum* vocamus, quæ cella sanctior à Basilica & porticibus distinguebatur Pluteo & quasi altero pronaῳ, nos non male *Pulpitum* vocamus, quod in morem pulpiti, aut tabulati erectum sit; quidam ex vulgo *Threnum* vocant, fortassis quod illic threni Ieremiæ Prophetæ recitentur, & aliæ Homiliæ sacræ: *Basilica* vero, quam nos *Navem*, aut *Carinam* vocamus, deambulationes, quæ utrinque sunt, omnino porticus sunt veterum, quæ sunt veluti fori in Carina. *Cella* sanctior solis rebus sacris destinabatur: *Basilica* vero & porticus & pronaôn fere usibus profanis exponebantur. Illic enim & nundinæ mercium, & proxenetica contractuum, prologi nuptiarum, colloquia transactionum, ut hodie apud nos, nimis impie exercebantur. Hactenus Polletus. *Publius* etiam *Victor*, cum ait in libello de XIV. Vrbis regionibus, ante cellam est prodromon, post templum opistodomon templum in tres partes dividit, mediamque, ubi est Dei cella, quam hodie *Chorum* dicimus, vocat: quæ antecedit πρόδομον, quæ sequitur, ὀπισθόδομον. *Turnebus Adversariorum* lib. 22. cap. 17.

Ara nomen habet vel ab ardendo, quod in ea victimæ incensæ ardeant, vel à similitudine arearum quod sicut illæ in urbe puræ sunt, ita & aras Deûm puras esse oportet: vel ab imprecationibus quas Græci ἀραὰς vocant. *Varro* apud Macrobium [*Lib.* 3. *Satur. cap.* 2.] ait, *Aras* primum *Ansas* dictas quod esset necessarium eas à sacrificantibus teneri. Recitatur à Georgio Fabricio [*Lib.* 1. *Antiquitatum.*] lex dedicatæ aræ, unde cognosci potest, qua fere verborum forma in dedicandis templis, sacris, ædibus, aris, &c. veteres usi fuerint, quam idcirco huic capiti inserere volui. Est autem talis.

C. DOMITIVS VALENS II.

Vir præeunte C. Iulio Severo Pontifice legem dixit in ea verba, quæ infra scripta sunt.

IVPITER OPTIME MAXIME, QVANDOQVE HODIE TIBI HANC ARAM DABO, DEDICABOQVE OLLIS LEGIBVS, OLLISQVE REGIONIBVS DABO, DEDICABO, QVAS HIC HODIE PALAM DIXERO VTI INFIMVM SOLVM HVIVS ARÆ EST, SI QVIS HIC HOSTIA SACRVM FAXIT, QVOD IN AVGMENTVM NE PROTOLLAT, IDCIRCO TAMEN PROBE FACTVM ESTO. CÆTERÆ LEGES HVIVS ARÆ EÆDEM SVNTO, QVÆ ARÆ DIANÆ SVNTO, IN MONTE AVENTINO DEDICATÆ HISCE LEGIBVS, HISCE REGIONIBVS, SICVTI DIXI, HANC TIBI ARAM IVPITER OPTIME, MAXIME DICO, DEDICOQVE, VTI SIS VOLENS, PROPITIVS, MIHI COLLEGISQVE MEIS, DECVRIONIBVS, COLONIS, INCOLIS, COLONIÆ MARTIÆ, IVLIÆ SALONIÆ, CONIVGIBVS, LIBERISQVE NOSTRIS.

Similis fere inscriptio & dedicatio Aræ Augusti apud Narbonenses, quam quomodo ab aliis in lucem data est, huc adscribam. Vide Adolphi Occonis Medici Augustani nomismata, pag. 46.

NARBONENSIS NVMINI AVGVSTI DICAVIT.

LEGIBVS IISQVIS.

NVMEN CÆSARIS AVG. PP. QVANDO TIBI HODIE HANC ARAM DABO, DEDICABOQVE, QVAS HIS LEGIBVS, HISQVE REGIONIBVS DABO DEDICABOQVE, QVAS HIC HODIE PALAM DIXERO: VTI INFIMVM SOLVM HVIVSQVE ARÆ TITVLORVMQVE EST, SI QVIS TERGERE, ORNARE, REFICERE VOLET, QVOD BENEFICII CAVSA FIAT, IVS, FASQVE ESTO: SIVE QVIS HOSTIA SACRVM FAXIT, QVI MAGMENTVM NEC PROTOLLAT. IDCIRCO TAMEN PROBE FACTVM ESTO. SI QVIS HVIC ARÆ DONVM DARE, AVGEREQVE VOLET, LICETO, EADEMQVE LEX EI DONO ESTO, QVÆ ARÆ EST. CÆTERÆ LEGES HVIC ARÆ TITVLISQVE EÆDEM SVNTO, QVÆ SVNT ARÆ DIANÆ IN AVENTINO. HISCE LEGIBVS, HISQVE REGIONIBVS, SICVTI DIXI, HANC TIBI ARAM PRO IMP. CÆSARE AVG. PP. PONTIFICE MAXIMO TRIBVNITIA POTESTATE XXXV. CONIVGE, LIBERIS, GENTEQVE EIVS SENATV, POPVLOQVE ROM. COLONIS, INCOLISQVE COL. IVL. PATERN. NARB. MART. QVI SE NVMINI EIVS IN PERPETVVM COLENDO OBLIGAVERVNT. DOQVE DEDICOQVE VTI SIES VOLENS PROPICIVM.

Est & alia Narbone Ara, Augusto posita hac inscriptione:

T. STATILIO TAVRO
L. CASSIO LONGINO
COSs. X. KALEND. OCTOBR.

NVMINI AVGVSTI VOTVM SVSCEPTVM à PLEBE NARB. IN PERPETVVM.

QVOD BONVM, FAVSTVM, FELIXQVE SIT IMP. CÆSARI DIVI F. AVGVSTO PP. PONTIFICI MAXIMO TRIB. POTESTATE XXXIV. CONIVGI, LIBERIS, GENTIQVE EIVS, SENATVI, POPVLOQVE ROMANO, ET COLONIS INCOLISQVE C. I. P. N. M. QVI SE NVMINI EIVS IN PERPETVVM COLENDO OBLIGAVERVNT, PLEBS NARBON. ARAM NARBONE IN FORO POSVIT, AD QVAM QVOTANNIS IX. KAL. OCTOB. QVA DIE EVMSECVLI FELICITAS ORBI TERRARVM RECTOREM EDIDIT, TRES EQVITES ROMANI, A PLEBE, ET TRES LIBERTINI HOSTIAS SINGVLAS IMMOLENT, ET COLONIS ET INCOLIS AD SVPPLICANDVM NVMINI EIVS THVS ET VINVM DE SVO EA DIE PRÆSTENT. ET VIII. KAL. OCTOB. THVS, VINVM, COLONIS ET INCOLIS ITEM PRÆSTENT. KAL. QVOQVE IANVAR. THVS ET VINVM, COLONIS ET INCOLIS PRÆSTENT. VII. QVOQVE IDVS IANVAR. QVA DIE PRIMVM IMPERIVM ORBIS TERRARVM AVSPICATVS EST, THVRE, VINO SVPPLICENT. ET HOSTIAS SINGVL. IMMOLENT, ET COLONIS INCOLISQVE THVS, VINVM EA DIE PRÆSTENT.

ET PRIDIE KAL. IVNIAS, QVOD EA DIE T. STATILIO TAVRO, M. ÆMILIO LEPIDO COSS. IVDICIA PLEBIS DECVRIONIBVS CONIVNXIT, HOSTIAS SINGVLAS IMMOLENT, ET THVS ET VINVM AD SVPPLICANDVM NVMINI EIVS COLONIS ET INCOLIS PRÆSTENT.

EXQVE IIS TRIBVS EQVITIBVS ROMA. LIBERTINIS VNVS. *Reliqua deficiunt.*

Has inscriptiones eam ob causam huc referre volui, ut inde judicium fieri posset, qua verborum forma etiam in templis, & sacris ædibus dedicandis veteres fuerint usi. Cæterum *Aræ* Diis superis & inferis consecratæ erant, *altaria* superorum tantum Deorum erant, ut Servius ait, ab altitudine dicta. Lactantius Grammaticus: Tria fuerunt in sacrificiis loca, per quæ expiationem faciebant, scrobiculo facto Inferis, Aris terrestribus, Cœlestibus extructis focis. Vnde denominata etiam sunt *Altaria*, ad quæ cum sacrificabant, manus in altum porrigebant. Hæc ille. Prope Deorum templa & *luci* consecrabantur, qui nomen habent à *lucendo*, vel quod minime luceant, propter arborum umbras opacas: vel potius quod sacrificiorum luminibus, quæ ibi per noctem haberi solebant, quoquo versus lucerent. Hos licebat interdum *conlucare*, hoc est, succidere, & succisis arboribus luce implere, sacrificio prius facto, cujus formulam Cato de re Rustica hanc recitat. Porco piaculo facto, sic verba concipito: *Si Deus, si Dea es, cujus sacrum est, ut tibi jus siet porco piaculo facere, illiusce sacri coërcendi ergo. Harumque rerum ergo, sive ego, sive quis jussu meo fecerit, uti id recte factum siet. Ejus rei ergo te hoc porco piaculo immolando bonas preces precor, uti sies volens, propitius mihi, domo, familiæque meæ, liberisque meis. Harumce rerum ergo macte hoc porco piaculo immolando esto, &c.* Hactenus Cato. Meminit ejus rei etiam *Plinius* lib. 17. c. 28. Atque tantum de locis, ubi Diis cultus exhibitus fuit. Sequuntur jam Dii ipsi.

THOMÆ DEMPSTERI IC.

AD CAP. II. PARALIPOMENA.

De templis, eorum partibus, Donariis, jure belli, somniis, ædibus sacris.

In augurali disciplina *templum est cœli regio*, præter ea quæ alii observarunt, Iacobus à Cruce Bononiensis annotation. in Ovidium, *discedite templo*, lib. 1. fab. 7. Septimius poëta in hymno Iani, ut scripsit Victorinus Rhetor:

Cui reserata mugiunt aurea cœli templa.

Licet Terentianus Maurus lib. de Metris, non *templa*, sed *claustra* legat. Multus est in hac significatione T. Lucretius Carus lib. 1.

——— *nec cœli lucida templa.*

Et lib. 2. Idem:

Id rursum cœli rellatum templa receptant.

Et lib. 5.

Per cœli volvunt passim se immania templa.

Festus Pompejus l. 11. *Minora templa fiunt ab auguribus, cum loca aliqua tabulis aut linteis sepiuntur, ne uno amplius ostio pateant.* Q. Ennius in Annalib.

Quanquam multa manus ad cœli cærula templa
Tendebam lachrymans.

Secundo, *templum est quilibet locus clausus, etiamsi profanus, & non augurio consecratus.* Notavit Ianus Parrhasius in quæsitis suis epist. 57. Festus l. 3. in *contemplari.* M. Varro l. 6. de ling. Lat. *Curia Hostilia templum est, & tamen sanctum non est.* hoc est, *quicquid palis, hastis, aut aliqua re simili claudi potest.* Serv. ad l. 4. Æneid. v. 199.

Templa Iovi centum latis immania regnis,
Centum aras posuit.

Tertio *templi* nomine significatur *sepulchrum*, nata inde superstitione, quod veteribus cippi seu tumuli amicorum morte obitorum, pro templis religiose colerentur, ut ex Clemente Alexandrino in Protreptico, ostendit Lilius Gyraldus Ferrariensis de diis gentilibus syntagmate 17. & Nonius Marcellus cap. 6. num. 92. ut intelligi hoc sensu possit P. Virgilius lib. 4. Æneid. vers. 457.

Præterea fuit antiquo de marmore templum
Conjugis antiqui.

Denique est *ædificium Deo consecratum*, (de qua re est volumen ingens Rudolphi Hospiniani Tubingensis, de quo quid aliud dicam, nisi librum esse?) nam *penates hominum sunt, deorum templa*, ut loquitur Luctatius Placidius ad l. 1. Thebaidos Statianæ v. 643. Artemidor. Daldian. l. 3. oneirocrit. cap. 63. l. 4. cap. 39. l. 5. cap. 1. Iul. Pollux l. 1. cap. 1. num. 22. & de prima institutione, sequenti superstitione, causis cur templa diis mortales erexerint, & quam multiplici numero? disserit Blondus Flavius Romæ triumphantis l. 1. Interim corrigendi aliquot authorum loci. D. Agobardus Lugdunensium Archiepiscopus (qui coætaneus fuit Carolo Magno) in carmine de obitu Caroli & Ledradi Episcopi:

Hic dum basilicas Deo dicatas,
Et Christo subeunt veneranda templa.

Vltimum versum corrige:

Et Christi subeunt verenda templa.

Simili mendo corruptus Ovidius lib. 2. Fastor. quæ correctio Isaaco Casaubono debetur:

Cætera ne simili caderent labefacta ruina,
Cavit sacrati provida cura ducis.
Sub quo delubris sentitur nulla senectus,
Nec satis est homines, obligat ille deos.
Templorum positor, templorum sancte repertor,
Sit superis, oro, mutua cura tui.

Quis credat templorum Augustum repertorem? quum *vel Pelasgo, vel Thessalo, vel Eleuthero, vel Phoroneo, vel Otriæ Amazoni, vel Lycaoni* id attribuat Iulius Hyginus Fab. cap. 225. *vel Iano*, Xenon apud Macrobium Saturnal. 1. cap. 9. & Q. Fabius Pictor de Aureo sæculo l. 1. legendum est indubie:

Templorum positor, templorum sancte refector.

C. Sueton. in Augusto cap. 40. *Ædes sacras vetustate collapsas, aut incendiis absumptas, refecit.* Quem locum Eginhartus in vita Caroli Magni expressit: *Ædes sacras tamen ubicumque in regno suo vetustate collapsas comperit, pontificibus & patribus, ad quorum curam pertinebant, ut restaurarentur, imperavit.*

Nec vero omnibus gentibus templa diis dicare placuit, ac primum Sicyonii, nullum fanum, nullamque statuam *Coronidi* deæ suæ erigebant. Pausan. Corinthiac. ut jure exclamet Arnobius l. 5. contra gentes, *non omnibus diis templa devota.* Exemplum hoc sequuti Athenienses, qui *Clementiæ*, cui lucus in media urbe, nullum simulachrum fieri volebant. Statius lib. 12. Thebaid. v. 493.

Nulla autem effigies, nulli commissa metallo
Forma deæ, mentes habitare ac pectora gaudet.

Persæ nulla fana admittebant, quod *majestatem Solis*, quem venerabantur, *putarent nullis tectorum angustiis coërcendam.* Strabo l. 15. sive ut loquitur Cicero l. 2. de leg. *non esse parietibus includendos deos, quibus omnia deberent esse patentia ac libera, quorumque hic mundus omnis templum esset ac domus.* Quod institutum ex doctrina Magorum profectum. Laërt. l. 1. extat Herodoti in id ipsum locus apud B. Brissonium l. 2. de regio Persarum principatu pag. 216. Quare in Græciam cum ingenti & numeroso exercitu irrumpentes *omnia deorum templa vastarunt.* Maximus Tyrius serm. 38. ut ob id diis hominibusque invisos dicat Asconius Pædianus in 2. Verrinam, *quod diis dedita templa ruinis & ignibus delevissent*, ut loquitur Alexander apud Curtium Rufum l. 3. solique Deliaco templo ac Ephesino pepercerunt, quod intelligerent in hoc Apollinem Solem suum coli, in isto Dianam, quam illi Lunæ nomine venerabantur. Scholiast. Aristoph. in Pacem; neque deinde Græci vastata à Persis templa restaurare voluerunt, ut *hostilis impietatis & barbariei maneret monimentum.* Pausan.

in Phocic. eoque præcipue nomine laudantur Iones ab Iſocrate in panegyrico.

Ad Romanos venio, qui *centum ſeptuaginta primis annis, ritu Perſico, templis, ſimulachris, deorumque ſtatuis caruerunt*, ſi fides diligentiſſimo M. Varroni ſit adhibenda ex divo Auguſtino l.4. de civit. Dei, cap.36. Et certe aut in ſylvis ſeu *lucis* culta ab antiquis numina, ut ſupra dixi in Reg. 1. aut in *editis montibus*. Strabo Amaſianus l. 7. Geogr. παρὰ δὲ τοῖς Γέταις ὁ ἱερεὺς ὠνομάζετο θεὸς, καὶ τὸ ὄρος ὑπελήφθη ἱερὸν, καὶ προσαγορεύουσιν οὕτως. *Apud Getas ſacerdos Deus dicitur, & mons ſacer exiſtimatur, & ita appellatur.* Idem l. 15. in fine. *Indi*, inquit. *ſacrificant* ἐν ὑψηλῷ τόπῳ *in ſublimi edito ve loco*, ut merito *orgia*, Bacchi ſacra, ſeu liberalia, vocentur ἀπὸ τῶν ὀρῶν, *à montibus*. Serv. ad v. 303. l. 4. Æneid.

Non modo Indorum, Græcorum, Getarum hic ritus, ſed & Dacorum. Sic enim interpretor Papinium l. 1. ſyl. 1. v. 82.

——— Tu tardum in fœdera montem
Longo Marte domas.

Et lib. 3 ſyl. 3. v. 169.

Hæc eſt quæ victis parcentia fœdera Cattis,
Quæque ſuum Dacis donat clementia montem.

Iam de inauguratione ago: itaque profana loca à templis diſcreta conſecratione. M. Varro in lib. Iſagogico de officio Senatus habendi, referente A. Gellio l. 14. cap. 7. *In Curia Hoſtilia, & in Pompeja, & in Iulia, cum profana ea loca fuiſſent, templa eſſe per Auguſtum conſtituta; inde derivatum ut templa ſancta, Auguſtaque, id eſt, augurio conſecrata dicerentur.* Notat Ioan. Coraſ. Miſcellaneor. jur. civil. l. 3. cap. 29. Servius Honoratus ad v. 200. l. 4. Æneid.

Centum aras poſuit, vigilemque ſacraverat ignem.

Et expreſſius P. Ovid. l. 4. Faſtor.

Sancta vocant Auguſta patres, Auguſta vocantur
Templa ſacerdotum rite dicata manu.

Ergo ut *templa Auguſta*, ita *qualibet res augurio ſacrata*, ſic appellabatur, præſertim ubi Senatus haberi poterat, aut SC. fieri, abunde enarrat idem Servius ad illud l. 8. Æneid.

——— Auguſta ad mœnia regis
Ire jubet.

Imitatus eſt Corippus Africanus l. 1. num. 11.

——— Auguſtæ ſacro pede contigit aulæ.

Et lib. 3. num. 1.

——— Auguſti limina tecti.

Silius Italic. l. 1.

Concilium vocat Auguſtum, caſtaque beatos
Paupertate patres.

Et vetus poëta, ut puto, apud C. Tacitum lib. de morib. Germanor.

Auguriis patrum, & priſca formidine ſacrum.

Quare magna quæque, pretioſa, & inſignia Auguſta vocata, Suid. in voce Αὔγουστος, *Auguſtus*, & principes Romani *Auguſti*, ut *Auguſtiſſimus princeps*. Q.Symmach. l.4. epiſt.7. locus eſt elegans D. Auſonii in Actione gratiarum. *Gratianus poteſtate imperator, virtute victor, Auguſtus ſanctitate, pontifex religione, indulgentia pater, ætate filius, pietate utrumque.* Lege Munacii Planci ſententiam apud Sueton. Auguſto, cap. 7. & notiſſimi ſunt Q. Ennii verſus apud M. Varronem lib. 3. de R. R. cap. 1.

Et quia; ut principes, templaque eodem nomine, *Auguſti*, vocabantur, ita utriuſque violati par pœna, nempe legis Iuliæ majeſtatis. Aurel. Prudent. in Romano martyre:

Spreviſſe templa, reſpuiſſe eſt principem.

Belli tamen jure non minus templa, quam res profanæ occupabantur, & victori cedebant. licet pleroſque ſciam reverentia religionis ductos iis peperciſſe. Nam *Alexander Thebis captis, ſacris pepercit, reliquos agros, ſeu prædam diviſit.* Arrian. lib. 1. de geſt. Alexand. neque modo ſpoliata templa profanari credita, ſed & *ſi quis minus reverenter ſe erga ea geſſiſſet*. Salvian. Maſſilienſ. l. 3. de provid. & jud. Dei. Memorabile Ageſilai regis factum refert Xenophon. hiſtoriar. Græcar. l. 4. *Qui hoſtes juſſos proſequens, non ultra progreſſus eſt, quam illi in templa ſe recepiſſent.* ὁ δὲ καίπερ πολλὰ τραύματα ἔχων, οὐκ ἐπελάθετο τοῦ θείου. *Qui quanquam multa vulnera habens, tamen non eſt oblitus numinis.* Templum autem illud, in quod profligati ſe receperunt hoſtes, fuit *Minervæ Itoniæ*, ut eſt in Ageſilai vita apud Plutarchum. quod uſque adeo verum eſt, ut *rem in jure controverſam non liceat in ſacrum dedicari*, idque Xviros caviſſe proditum *l. ult. ff. de litigioſ.* quia ſcilicet; *cum ſacrorum inviolabiles eſſent leges, reus potentiori tradebatur adverſario*, ut è contra non licet rem ſacram alienare, ſive profanam facere alii notarunt.

Ius iſtud eſt belli, quo ut homines, ita templa, ſepulchraque in ſervitutem rediguntur, de quo liber extat non contemnendæ eruditionis Balthazaris Ayalæ Iuridici Belgicorum exercituum quæſtoris. quem adi. Paul. IC. *l. 4. ff. de ſepulch. viol.* & Pompon. IC. *l. 36. ff. de relig. & ſumptib. fun.* cum loca capta ſunt ab hoſtibus, omnia deſinunt religioſa vel ſacra eſſe. Sed quia quale id jus eſt, nulli expoſuerunt, ponam celebria aliquot ſcriptorum loca. M. Tull. l. 2. in Rullum: *Quid Mytilenæ, quæ certe, veſtræ, Quirites, belli lege, ac victoriæ jure factæ ſunt.* Ex Trogo Pompeio M. Iunianus Iuſtinus (ſic enim in codice MS. Vaticanæ bibliothecæ habetur) lib. 31. *Civitates belli jure populi Romani factas in integrum reſtitui jubet.* C. Tac. lib. 4. hiſt. *Eſt armorum aliquod fas & jus hoſtium.* Et eleganter l. 19. de fratre, qui in bello inter Flavianos & Vitellianos civili, fratrem interfecerat, præmiumque petierat, addit, *nec honorare illis eam cædem jus hoſtium, aut ulciſci ratio belli permittebat.* T. Liv. 1. decad. l. 2. Porſena ad Mutium: *nunc jure belli liberum te intactum inviolatumque dimitto.* Q. Symmach. lib. 1. epiſt. 64. *Evenit ea tempeſtate, ut etiam fidei depoſitum belli jure raperetur, quod à ſummatibus civitatis quos reliquos fuga fecerat, jus ærarii repoſcebat.* In MS. codice erat, *fiſci depoſitum*, non *fidei*, & neceſſaria videtur mihi correctio. Idem Græco ritu receptum. Heliodor. Emeſenus Phœnix lib. 8. τοῦ τῶν ὁποίους πολέμου νόμῳ, πρὸς αὐτὸν ἀπεκρίνατο, δούλους τοὺς αἰχμαλώτους ἀναδεικνύντος. *quomodo? jure belli, ipſi reſpondit, quod captivos ſervos efficit.* Et l. 9. Æthiop. σώματος ἀλόντος τῷ κρατήσαντι σκυλεύειν ὁ πολέμου δίδωσι νόμος. *Corpus captivi ſpoliari, victori jus belli concedit.* Q. Curt. l. 4. *Vtpote qui ne belli quidem jura in me ſervaveris.* Et l. 5. *Etiam in pace belli jura ſervantur.* Et l. 5. *Pecunia & ſupellex regia quaſi in re belli diripitur.* Et l. 8. *Et te transfugam belli in re proſequimur.*

Papin. Stat. l. 12. Theb. v. 561.

Non querimur cæſos, hæc belli jura, viceſque
Armorum.

Iſto, ut jam admonui, jure, ne templa quidem, ſuperatis bello incolis, tuta erant. D. Auguſtin. de Civit. Dei l. 18. cap. 44. *Civitatem capit*, (Pompejus) *templum reſerat, non de votione ſupplicis, ſed jure victoris.* Sed eadem ante illum C. Tacitus l. 5. Hiſtoriar. *Romanorum primus Cn. Pompeius Iudæos domuit, templumque jure victoriæ ingreſſus eſt.* Otto Friſingenſis lib. 2. cap. 46. *Inter alta Orientis regna, Hieruſalem veniens, capta civitate, templum quo ſoli populo Dei immolari licuit, oblatis hoſtiis polluit.* Idem de legatione Philonis Iudæi ſub Liberio principe, l. 3. Chronic. cap. 13. *Non ſolum ſpernitur ab eo ob illius populi odium, ſed & ut templum profanetur, ipſeque ibi ut Deus colatur, ab Auguſto præcipitur.* Mitius tamen Hegeſippus de Excidio Hieroſolymitano l. 5. cap. 46. *Pompeius templum cepit, ſed non diruit.* Sic intellige poëtas. Q. Horatium l. 4. od. 4.

Vaſtata Pœnorum tumultu
Fana deos habuere rectos.

Valer. Flacc. Argonaut. l. 5.

——— an Martia templa
Intemeranda minus, tacitus mihi lucus, & agger
Quod rudis, & ſola colimur frigentibus umbra.

Petr. Apollon. Collatius Excid. Hieroſol. l. 1.

Nil ſupereſt tandem, veteri niſi lege relicta.
Crudeles iterum templum ſpoliare Quirites.

Idem eodem lib. poſt:

Magnus & hanc domuit, templique in limina victor
Irruit, hicque ſuos juſſit ſtabulare jugales.

Et l. 4. de Tito urbe potito:

——— Nam parcere ſacro
Ille loco, ſaltemque urbis monimenta manere
Vna cupit.

Aurel. Prudent. l. 2. in Symmachum:

Aut quoties ductor Macedum fortiſſimus altos
Templorum cineres victis cumulavit Amyclis.

Corruptus indubie poſterior eſt verſus, neque enim quicquam Alexandro Macedoni cum *Amyclis* ſeu Spartanis, quorum templa victor dirueret. Optime igitur in MS. meo judicio:

Templorum cineres victis cumulavit ab Indis.

Nec mendo vacat Silius Italic. l. 13. Punic.

Ne flammam tædaſque velint, ne templa ſub uno
In cinerem tranſiſſe rogo.

Erratum alii viderunt; ſolus, quod ſciam, opem ex MS. codice attulit Fr. Modius Novantiquar. lect. ep. 62. legitque:

In cinerem traxiſſe rogo.

Sed redeo ad templum Hieroſolymitanum, quod à Tito deletum narrat Dio Coccejan. l. 66. ὁ δὲ Τίτος πρὸς Ἰουδαίους πολέμῳ ἐπιταχθεὶς τὰ Ἱεροσόλυμα εἷλε, καὶ τὸν ναὸν ἐνέπρησε, τοῖς δὲ Ἰουδαίοις οὐχ ὅτι ὄλεθρος, ἀλλὰ καὶ νίκη, καὶ σωτηρία, εὐδαιμονία ἐδόκει, ὅτι τῷ ναῷ συναπώλοντο. *Titus præfectus bello Iudaico cepit Hieroſolymam, incenditque templum, exiſtimantibus Iudæis, non ſuum interitum, ſed victoriam & ſalutem, & fœlicitatem, quod una cum templo caderent.* Incenſum ergo à Tito id templum, cui Pompejus antea pepercerat, id contigit anno poſtquam conditum fuerat milleſimo octuageſimo nono, Ado Viennenſis Ætate 6. Chronic. pag. 115. aut milleſimo centeſimo ſecundo. Paul. Oroſ. l. 7. cap. 9. ſed tamen *id deleturus flevit Titus.* Conſtantin. Manaſſ. Chron. pag. 55. *quod videret ſe unicum à Deo puniendis Iudæis deſignatum.* Michaelius Glycas Annalium parte 3. pag. 334. & ſane ſubverſio incendiumque templorum ſemper inter flagitioſa habitum; miles ille Cæſarianus apud M. Annæum Lucanum, l. 1. Pharſaliæ v. 381.

——— Iubeas
Si ſpoliare deos, ignemque immittere templis,
Numina miſcebit Caſtrenſis flamma monetæ.

Et iratus Cæſar apud eund. l. 5. v. 304.

Non illis urbes, ſpoliandaque templa negaſſet,
Tarpejamque Iovis ſedem.

Quod ut in templis obſervatum, ita in ſtatuis deorum, quæ nunquam ſine piaculo pollui, contrectarique, aut profanari poterant, locum adſcribam ex Marciano Heracleota in carmine Geographico v. 694.

ὧν τὸ μὲν Ἰασίωνα δυσεβήματι
Πρᾶξαι περὶ Δήμητρος λέγουσ' ἄγαλμα, καὶ
Πληγῇ κεραυνωθέντα δαιμονίᾳ θανεῖν.

Latine vertit eleganter Fed. Morellus Regius Græcarum literarum profeſſor, bene de illo authore, ut de aliis omnibus meritus:

Ex his Iaſiona facinus impium
Signum in ſacrum patraſſe Cereris aſſerunt,
Et cælitus miſſo interemptum fulmine.

Ad partes jam propero, quas non omnes enumerabimus, ſed neceſſarias magis. Itaque & *areas*, & *veſtibula* templis adhæſiſſe Reg. 1. ſupra docui. Nunc in veſtibulo *tetraſtylum* fuiſſe, id eſt, locum ſeu ſpatium quatuor columnis diſtinctum, eſt manifeſtum. M. Pollio Victruv. l. 4. Architect. cap. 1. atque hic locus omnibus deambulaturis patebat.

At altera pars, quam *adytum* appellabant, ſolis ſacerdotibus reſerabatur. Iul. Pollux l. 1. cap. 1. num. 8. οἱ μὲν τοι καὶ τὸ χωρίον ἄβατον εἴη τοῦ ἱεροῦ, τοῦτο καὶ ἄδυτον εἴποιεν, καὶ ἄψαυστόν, καὶ ἄθικτον, καὶ ἀνάκτορον. *Templi locum, quem adire non licet, adytum nominaveris, intactum, ſacroſanctum, tectum, & oracularem.* Cæſar l. 3. belli civilis: *Pergami in occultis & remotis templi, quo præter ſacerdotes adire fas non eſt, quæ Græci* ἄδυτα *appellant.* Vbi Rhellicanus interpres, *Græca vox* ἄδυτον, *ſecretum & penetrale ſacrum dicitur.* Agrætius vetus Grammaticus, *adytum quod adiri non poteſt.* Iul. Firmic. lib. de errore profanar. Relig. *in adytis habent idolum Oſiridis ſepultum.* Hinc oracula reddebantur. L. Sen. Thyeſte Act. 4. ſc. 1.

Reſponſa dantur certa, dum ingenti ſono
Laxantur adyto fata.

Et Iupiter apud Martianum Capellam in Feſcenino ad nuptias Mercurii & Philologiæ l. 2.

Quæ occultant adytis ſacra latentibus.

Claudian. l. 1. de Raptu:

——— adytis gaviſa Cybelle
Proſilit.

Penetrale pars etiam *templi*. Servius Maurus ad lib. 2. & lib. 6. Æneid. *penetralia* exponit *ſecreta templorum*. Hic honoratiorum ſeu principum cadavera recondebantur. Sueton. Auguſto cap. 18. *Per idem tempus conditorium, & corpus Magni Alexandri, cum prolatum è penetrali ſubjeciſſet oculis.* Hic & victimæ immolabantur, M. Lucan. lib. 2. v. 125.

Ante ipſum penetrale Deæ, ſemperque calentes
Mactavere focos.

Hic etiam pretioſiſſima quæque abdebantur, ut metus præſentis numinis ſacrilegos deterreret. Idem Lucan. lib. 5.

——— Illa pavens adyti penetrale remoti
Fatidicum, prima templorum in parte reſiſtit.

Quippe hic ſimulacrum ipſorum deorum erat collocatum. Claudian. lib. 3. de Raptu:

——— penetralibus amens
Exilit.

Idem de 4. Honorii conſulatu:

——— ſic numina Memphis
In vulgus proferre ſolet, penetralibus exit
Effigies, brevis illa quidem, ſed plurimus infra
Liniger.

Feſtus Avienus in oræ maritimæ deſcriptione *penetral* vocat:

Templum in illa Veneris & penetral cavum.

Inter partes templi & *delubrum* recenſent, quod ibi *ſacrificaturi ſe abluerent*. Iſidor. lib. 15. cap. 4. licet Feſtus Pompejus lib. 4. interpretetur *fuſtem delibratum, hoc eſt, decorticatum, quem venerabantur pro Deo.* Quam definitionem Aſconius Pædianus reprehendit in Divinat. Tullian. gloſſæ antiquæ *delubrum*, καθίδρυμα ξόανον, ἀνάθημα. In ſolemni victoria & triumpho delubra coronabantur. Sil. Italic. l. 12. Punicor. v. 743.

Inque vicem amplexi permixta voce triumphum
Tarpeii clamant Iovis, & delubra decorant.

Fœde à librario erratum; legendum eſt, ut multis oſtendetur in tractatu de triumpho:

——— Et delubra coronant.

Hic captabantur ſomnia; nam manifeſtius eſt, quam ut dici debeat, rerum futurarum eventum conſueviſſe in templis pernoctantes ſciſcitari. Baptiſta Pius Annotationibus poſter. c. 10. locus eſt in fragmentis Petronii Arbitri, cujus opus non tam mirum interiiſſe, quam nomen ignorari certum. Tacitus enim l. 16. Annalium *Caium* vocat, vetus Scholiaſtes Iuvenalis ad v. 635. Sat. 6. *Publium.* Is itaque:

Somnia quæ humanas ludunt evanida mentes,
Non delubra Deum, nec ab æthere numina mittunt,
Sed ſibi quiſque facit.

Hunc in templis dormiendi morem ad ſomnia captanda expreſſit P. Virgilius lib. 8. Æneid.

——— Huc dona ſacerdos
Contulit & cæſarum ovium ſub nocte ſilenti
Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſque petivit.

Videtur ergo prævium fuiſſe ſacrificium, quo oblato incubare pellibus hoſtiarum ſolerent. victima illa aries eſſe debebat. Cæl. Rhodig. Antiquar. lect. lib. 27. cap. 14. multa interpretes A. Perſii ad Sat. 2. v. 56. Pſeudocornutus: *Acron tradit, quod in porticu Apollinis Palatini fuerunt Danaidum effigies, & contra eas ſub divo totidem equeſtres filiorum Ægiſthi, ex iis autem ſtatuis quædam dicebantur poſtulantibus per ſomnum dare oracula.* Ipſe Perſius:

——— nam fratres inter ahenos
Somnia pituita qui purgatiſſima mittunt
Præcipui ſunto.

Vide

Vide quæ de Serapi alibi ſcribuntur in hoc opere. Et quia eo progreſſus ſum, paulo altius de ſomniis repetam. De iis eorumque interpretamentis plerique eruditiſſimi olim ſcripſere, quorum opera temporis injuria interciderunt, citantur tamen apud Iulium Pollucem, Suidam, Euſtathium, & alios, nominatimque ab Hadriano Iunio recenſentur lib. 1. Animadverſor. cap. 18. *Geminus Pyrius* 3. lib. ea de re conſcripſit, *Artemon Mileſius* 22. libros. Idem ſtudium illuſtravere *Panyaſis Halicarnaſſæus*, *Alexander Myndius*, *Phœbus Antiochenus*, *Demetrius Phaleræus*, *Nicoſtratus Epheſius*, *Antipho Athenienſis*. Sunt & alii quorum nunc opera extant: *Artemidorus Daldianus*, *Aſtrampſychus*, *Philo Iudæus*, *Achines Scyrimi filius*, *Nicephorus*. Quod magis miror incertum eſſe adhuc inter ſcriptores, quis primus divinandi ex ſomniis ſcientiam condiderit, id C. Plinius lib. 7. cap. 57. *Deucalionis filio Amphyctioni* aſſignat, Pauſanias in Attic. *Amphiarao vati*, qui bello interfuit Troiano, & ex eo Rhodig. lib. 27. cap. 14. Antiq. lection. Philo Iudæus, aut quilibet alius author libelli de Biblicis antiquitatibus, *Abrahamo Patriarchæ*: Sed certior concordia *Ioſepho* id attribuit, quem venditum Ægyptiis primum mortalium volunt ſomnia interpretatum. Trogus Pompejus apud M. Iunianum Iuſtinum l. 36. *Minimuſque inter fratres ætate Ioſeph fuit, cujus excellens ingenium veriti fratres, clam interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt, à quibus deportatus in Ægyptum, cum magicas ibi artes ſolerti ingenio percepiſſet, brevi ipſi regi percharus fuit, nam & prodigiorum ſagaciſſimus erat, & ſomniorum primus intelligentiam condidit.* Corruptus locus ſeu librarii inſcitia, ſeu ethnica malignitate: melius in MS. codice, *cum magnificas ibi artes ſolerti ingenio percepiſſet.* atque ita legit Freculphus Lexovienſis Chronic. tom. 1. lib. 2. cap. 1. licet antiquam lectionem retineat Otto Friſingenſis lib. 1. cap. 14. Eratque interpretatio ſomniorum *pars aruſpicinæ*, magni olim habita, licet Heliodor. l. 2. Æthiopic. dicat: ὄνειροι πολλὰ τοῖς τέλεσι κρίνονται. *Somnia ut plurimum ex eventibus judicantur.* Tamen Euripid. Hecuba v. 90.

ὥς μοι κρίνωσ' ὀνείρους.
Vt mihi interpretentur ſomnia.

Denique non deſunt qui ad *Telmiſſenſes* primum interpretationis ſomniorum ritum trahant, inter quos eſt Tatianus Martyr, quod ego non de inventione, ſed frequenti exercitio ſumendum exiſtimo. M. Tull. l. 1. de Divinat. *Telmeſſus in Caria eſt, qua in urbe excellit aruſpicum diſciplina.* Sed fallitur ille, ſeu memoria lapſus, ſeu errore poëtarum inductus, qui vicinitate locorum plerumque decepti, regiones confundunt. Nam *Telmiſſus* non eſt *Cariæ* ſed *Lyciæ* oppidum, prope promontorium, quod *Dædala* appellatur. Strabo Amaſſian. Geogr. lib. 14. pag. 763. quæ urbs uſque ad Alexandri Macedonis tempora aruſpicinæ gloria clarebat; celeberrimus quippe in ea arte Ariſtander Telmiſſenſis fuit. Q. Curt. Rufus lib. 4. Arrian. de geſt. Alex. lib. 1. Rigaltius obſervat. ad Artemidorum lib. 1. cap. 33. ejuſque authoritatem uſurpat C. Plinius lib. nat. hiſt. 17. c. 25. Q. Florens Tertullian. lib. de Anima, cap. 46. *Telmiſſenſes enim nulla ſomnia evacuant, imbecillitatem conjectationis incuſant.* Et eſt egregia concertatio de cadavere Alexandri inter Ptolomæum & Perdiccam, finita ab Ariſtandro. Ælian. var. hiſtor. lib. 12. cap. 64. hæc de inventoribus.

Nunc ad cauſas. Credidit antiquitas quippiam divinitatis ineſſe ſomniis. Xenophon libro de magiſterio equitum in fine: ἔτοι γὰρ πάντα ἴσασι, καὶ προσημαίνουσιν ᾧ ἂν ἐθέλωσι, καὶ ἐν ἱεροῖς, καὶ ἐν οἰωνοῖς, καὶ ἐν φήμαις, καὶ ἐν ὀνείρασιν. *Hi vero norunt omnia, futuraque denuntiant, cui volunt, in extis, auguriis, avibus, ominibus, viſis ſomniorum.* Vbi ὀνείρασι dativus eſt poëticus, quod Xylander peritiſſimus interpres admonuit. Sed falſa illa veterum fuit credulitas, cauſarumque naturalium inſcia. Nam graviter affecto corpore, animus ſpeciebus violentis agitatur. Q. Curt. lib. 4. *Anxium de inſtantibus curis agebant etiam per ſomnium ſpecies rerum imminentium, ſive illas ægritudo, ſive animi præſagientis divinatio accerſit.* *Vanas* appellat *ſpecies* L. Seneca lib. de Conſtant. Sapient. cap. 11. Adſcribam locum Ciceronis lib. 2. de Divinat. *Cum animus languore corporis nec membris uti, nec ſenſibus poteſt, incidit in viſa varia, & incerta ex reliquiis inhærentibus earum rerum, quas vigilans geſſerit, aut cogitarit, quarum perturbatione mirabiles interdum exiſtunt ſomniorum ſpecies.* Vetus poëta, ut quibuſdam placet, Accius:

Quæ in vita uſurpant homines, cogitant, curant, vident,
Quæque agunt vigilantes, agitantque, ea ſi cui in ſomno accidant,
Minus mirum eſt.

Luctatius Placidius, ſeu Lactantius Grammaticus ad v. 134. l. 5. Thebaidos Statianæ:

——— *Deus has, Deus ultor in iras*
Apportat, cœptiſque favet, nec imago quietis
Vana mea.

Helenius Acron, & alii interpretes ad Q. Horatium, ipſe in Arte poëtica in principio:

——— *Velut ægri ſomnia vanæ*
Fingantur ſpecies.

Petronius ſeu incertus poëta in fragmentis Petronianis:

——— *Nam cum proſtrata ſopore*
Vrget membra quies, & mens ſine pondere ludit,
Quicquid luce fuit, tenebris agit. Oppida bello
Qui quatit, & flammis miſerandas ſævit in urbes,
Tela videt, verſaſque acies, & funera regum,
Atque exundantes perfuſo ſanguine campos,
Qui cauſas orare ſolent, legeſque, forumque,
Et pavidi cernunt incluſum corde tribunal:
Condit avarus opes, defoſſumque invenit aurum;
Venator ſaltus canibus quatit; eripit undis,
Aut premit everſam periturus navita puppim:
Scribit amatori meretrix, dat adultera munus.
Et canis in ſomnis leporis veſtigia latrat;
In noctis ſpatium miſerorum vulnera durant.

Quæ ideo integra, præter conſuetudinem meam, adſcripſi, quod nullus elegantius ſignificantiuſque ſomniorum expreſſiſſet naturam, quibus conſona ſunt, quæ ex Cl. Claudiano peti poſſunt in præfat. ad 6. Honor. conſul.

Omnia quæ ſenſu volvuntur vota diurno
Pectore ſopito reddit amica quies.
Venator molli declinat corpora lecto,
Mens tamen ad ſylvas, & ſua luſtra redit.
Iudicibus lites: aurigæ ſomnia, currus.

Atque hæc quidem naturalis ratio perſuaſit, ut *infirmorum*, aut *inquietorum furioſa ſint ſomnia*, ita & *digeſtione ciborum facta, tranquilla, placida, & vero proxima.* Vulgatum illud eſt Ovidii:

——— *Mediæ ſub tempora noctis,*
Tempore quo cerni ſomnia vera ſolent.

Q. Horat. lib. 1. Sat. 10.

——— *Vetuit me tali voce Quirinus,*
Poſt mediam noctem viſus, cum ſomnia vera.

Iis fidem eſſe adhibendam perſuadet Sext. Propert. lib. 4. eleg. 7. ad finem:

Nec tu ſperne piis venientia ſomnia portis,
Si pia venerunt ſomnia: pondus habent.

Somniorum certe diverſitatem *portarum* involucris tegebant, quas vel *eburneas*, vel *corneas* fingebant, *& eburnea porta falſas inutilium rerum ſpecies deſignat, ebur enim ſolidum eſt, & non pervium; cornea vera viſorum exprimit ſimulachra, tranſlucida enim eſt viſumque facile admittens cornuum natura.* Author eſt Porphyrius apud Aurelium Macrobium in Somn. Scipion. lib. 1. cap. 3. in fine. Servius Honorat. ad lib. 6. Æneid. v. 894. *Per portam eburneam oculi ſignificantur, quia & cornei ſunt coloris, & duriores cæteris membris, cum frigus non ſentiant: per eburneam vero portam os ſignificatur, à dentibus, & ſcimus quia quæ loquimur falſa eſſe poſſunt, quæ videmus, ſine dubio vera ſunt.* Eadem & Didymus antiquus Homeri Scholiaſtes ſcripta reliquit, cujus verba repete Florido Sabino lib. 2. ſubciſivar. lection. cap. 24. Ioan. Saresber. Policrat. lib. 2. cap. 14. utramque rationem complexus eſt Plato in Charmide, ὄναρ διὰ κεράτων, διὰ ἐλεφαντίνου. *Somnium ex cornibus, ex ebore.* Hinc intelligendi poëtæ Latini. P. Virgil. lib. 6. Æneid. in fine.

Sunt geminæ Somni portæ, quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris,

Altera

Altera candenti perfecta nitens elephanto,
Hac falſa ad ſuperos mittunt inſomnia Manes.

Claudian. præfat. ad 6. Hon. conſul.

Additur ecce fides, nec me mea ludit imago,
Irrita nec vanum ſomnia miſit ebur.

Horat. lib. 3. od. 37.

——— *an vitiis carentem*
Ludit imago
Vana? quæ porta fugiens eburna
Somnium ducit.

D. Auſon. in Ephemeride:

Vana ignavorum ſimulachra locaſſe ſoporum,
Et geminas numero portas, quæ fornice eburno,
Semper fallaces glomerat ſuper aëra formas,
Altera quæ veros emittit cornea viſus.

Idem in Cupidine cruci affixo:

——— *Pulſa tandem caligine ſomni*
Evolat ad ſuperos, portaque evadit eburna.

Nec defuerunt poëtæ Græci. Incertus in Anthologia libr. 3. cap. 26.

Ὦ μέγα Βαττιάδαο σοφοῦ περίπυστον ὄνειαρ
Ἦ ῥ' ἐτεὸν κεράων, οὐδ' ἐλέφαντος ἔφυς.
O magnum Battiadæ ſapientis certum inſomnium,
Certe verum licet non è cornu, neque ebore fuiſti.

Coluthus Thebanus Lycopolita de Raptu Helenæ v. 310.

——— Δοιὰς δὲ πύλας ὤϊξεν ὀνείρων
Τὴν μὲν ἀληθείης κεράων.
Duas vero portas aperuit ſomniorum,
Alteram veritatis & cornuum.

Nonnus Panopolitanus, author, meo judicio ſublimis, gravis, rerum verborumque dives, Dionyſiac. lib. 34. v. 87.

Μορφέα δ' ὑπνώοντα παρήπαφεν ὄψις ὀνείρου
Κλεψινόων ἐλέφαντος ἀναΐξασα πυλάων.
Morrhea vero dormientem decepit imago ſomnii
Mentem ſeducentibus eboris reſiliens è portis.

Et lib. 44. v. 52.

Φάσματα μιμηλοῖο διεπτοίησεν ὀνείρου
Ἀπλανέος θρώσκοντα δι' εὐκεράου πυλεῶνος.
Simulachra æmulantis perterrefecerunt ſomnii
Inerrantis currentia per corneam portam.

Et iis omnibus prior, *muſarum lux, immortale os mundi*, ut loquitur Antipater Anthologia lib. 3. c. 25. Homerus Odyſſ. lib. 19. v. 564. & Euſtathius Archiepiſcopus ibidem.

Δοιαὶ γάρ τε πύλαι ἀμενηνῶν εἰσὶν ὀνείρων,
Αἱ μὲν γὰρ κεράεσσι τετεύχαται, αἱ δ' ἐλέφαντι.
Duæ enim portæ debilium ſunt ſomniorum:
Vnæ enim cornibus fabricatæ, aliæ ebore.

Efficacia credebantur de republica eſſe ſomnia, ideoque qui ſomniaſſent, per præconem ſequenti die publice viſorum certos cives faciebant, notarunt alii ad A. Perſium: ſed illud non ſine ſolemni expiatione, vulgatum eſt illud A. Perſii Sat. 1.

Hæc ſancte ut poſcas Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis, terque, & noctem flumine purgas.

D. Iuvenal. Sat. 6.

Ter matutino Tiberi mergetur.

Alb. Tibull. lib. 1. eleg. 5.

Ipſe procuravi ne poſſent ſæva nocere
Somnia, ter ſalſa deveneranda mola.

Idem lib. 3. eleg. 4.

At natum in curas hominum genus, omnia noctis
Farre pio placeant, & ſaliente ſale.

Aliter in MS. Achillis Statii Neapolitani, & forte rectius:

Et vanum ventura hominum genus omnia noctis
Farre pio placant.

Sane in eadem dictione corrupti infiniti poëtæ, & Cicero ipſe, ut diſquirit Guil. Canterus Novar. lection. lib. 1. cap. 8. Addendi & alii. Sil. Ital. lib. 2. Punicor.

Effundunt gemitus, atque omnia triſtia vertunt
In ſtirpem Æneadum.

Lege *omina*. Idem lib. 4.

Contra læta Bogus Tyrio canit omnia regi.

Lege *omina*. Idem lib. 9.

——— *proſpera pugnæ*
Omnia venturæ.

Reſcribe *omina*. P. Ovid. epiſtol. 19. Acontii Cydippæ:

Omnia re careant, nihil eſt violentius illis.

Indubie legendum *omina dico*, ad illud Claudiani l. 2. de raptu in fine.

Omnia perpetuo genitalia fœdere ſanxit.

Vbi reponendum *omina*. Quis enim neſcit ſolemnia in nuptiis omina adhibita? ut idem Claudianus licet corruptus lib. de laudibus Serenæ, quem MS. meus attribuit cuidam Magiſtro Gyraldo:

Omina non audet genitrix tam magna fateri.

Et lib. 2. in Ruffinum:

Hoc proprium thalamis genialibus omen.

Papin. lib. 1. ſyl. 2. male antea legebatur:

——— *Et jam ſocialia præſto*
Omina.

Valer. Flacc. Argonaut. lib. 7. item depravatus:

Sola fui, triſtes thalamos, infeſtaque cerno
Omina.

Simili mendo laboraverat etiam Corippus Africanus l. 1. n. 1. ante meam editionem:

Hæc ne vana putes, aut credas omina fingi.

Sed regredior ad ſomnia, quæ loto corpore oblatiſque victimis expiabant. Sil. Italic. lib. 8. Punicor.

Quæ dum abigo menti & ſub lucem, ut viſa ſecundent,
Oro cœlicolas, ac vivo purgor in antro.

Quis hic purgandi ritus *in antro*? mendoſus eſt indubie verſus, certe vivam aquam luſtrationibus adhibitam, ſeu fluviatilem Perſius & Iuvenalis ſupra docuerunt, & Virg. lib. 2. Æneid. v. 635. at nulli ſcriptori in expiationibus *antri* mentio, quod memini legiſſe, legendum eſt igitur:

Oro Cœlicolas, ac vivo purgor in amne.

Secundum hanc expiationem, oneirocritæ ſeu conjectori ſua ſomnia narrabant, atque huic officio plerumque vetulæ addictæ, quæ in ſuperſtitionem proclives. Sext. Propert. libr. 2. eleg. 4.

Quæ mea non decies ſomnia verſat anus?

Aut diis penatibus domeſticiſque narrabant. Idem libr. eod. eleg. 29. aut ut alii numerant 30.

Vadit & hinc caſtæ narratum ſomnia Veſtæ,
Quæ ſibi, quæque mihi non nocitura forent.

Sic enim hunc locum legit exponitque Hadrian. Turneb. l. 7. Adverſarior. cap. ult. At in editione Horatii Tuſcanellæ Baſilienſi, & in MS. Codice Achillis Statii aliter, & fortaſſe non male, concipiebatur:

Vadit & in caſta narratum ſomnia veſte.

Nunc ad templorum ornamenta, ſomniis expoſitis, deſcendo, C. Sueton. Vitell. cap. 5. quæ præcipue in *donariis* ſpectabantur *æris*, aut *ſtatuis*, aut *vaſis ſacris*. Aurel. Caſſiodor. l. 9. epigr. 15. τῶν ἱερῶν κόσμους, *ornamenta templorum* vocat Appian. lib. de bello Mithridat. pag. 201. *ornatus templi Apollinis*. Hegeſipp. Excid. Hieroſolym. lib. 2. cap. 1. Flor. Tertull. Apologetici cap. 26. *Deum victimis, templum donis, gentem fœderibus honoraſtis.* Servii opinio diſplicet, qui ad libr. 3. Georg. v. 534. vult *donaria eſſe loca, in quibus deorum dona reponuntur*: eademque repetit ad illud lib. 12. Æneid. *ſacraria Ditis*. non placet inquam, quum Iuſtinianus Aug. definiat *donaria, ea quæ ad miniſteria Dei dedicata ſunt*. §. 8. Inſtitut. de rer. diviſ. & Theophilus vertit δῶρα. Græcis ἀναθήματα dicuntur generali nomine. Cebes Thebanus in Tabula, quod vocabulum, *donarium* reddidit Latine Hieron. Wolfius apud Suidam in voce ἀνάθημα. Ælian. var. hiſtor. lib. 2. cap. 20. anathemata autem hæc diis vota interpretatur Phalaris Agrigentinorum tyrannus, τρίποδας δελφικοὺς καὶ στεφάνους χρυσοῦς καὶ ἄλλα πολλὰ πολυτελῆ χαριστήρια τῆς σωτηρίας. *Tripodas Delphicos, & coronas aureas, & alia multa ac pretioſa munera, pro actione gratiarum ob recuperatam ſalutem*, epiſt. 84. Appianus Alexandrinus civil. bellor. lib. 4. pag. 626. Iulius Pollux libr. 1. onomaſt. num. 24. ἀνάθημα ποιώσιας,

σαι, ἀναθεῖναι εἰς τὸ ναῶν. *Anathema facere, templo dedicare.* Lucan. lib. 9. versic. 517.

Non illic Libycæ posuerunt ditia gentes
Templa, nec Eois splendent donaria gemmis.

Coripp. lib. 4. n. 2.

—— postesque & limina comunt,
Et sua placandis nectunt donaria templis.

Martian. Capella de Nuptiis Mercurii lib. 1. *Prænitens speculum, quod inter donaria ejus adytis, Sophia defixerat, quo se renoscens etiam vellet originem inquirere.* Iustino lib. 24. dicuntur *munera* de Delphico templo: *Multa igitur & opulenta ibi regum populorumque visuntur munera, quæque magnificentia sui reddentium vota, grata voluntatem, & deorum responsa manifestant.* M. Manilius Astronomic. lib. 5.

Hinc Augusta nitent sacratis munera templis
Aurea, Phœbeis certantia lumina templis.

Eadem & *dona* appellari solent. C. Plin. lib. 37. cap. 1. Sueton. Aug. c. 30. Stat. l. 1. Achilleid. v. 426. *flammisque liquescunt dona Deum.* Martial. l. 10. epigr. 28. *cinguntur limina donis.* Corrippus Africanus lib. 4. n. 4.

Instituit pulchrum, solidavit robore templum,
Cepit, perfecit, donisque ornavit, & auxit.

Et ibidem loci post:

Plurima votorum sacravit dona suorum,
Immensoque pium ditavit munere templum.

Erant hæc donaria velut argumenta casuum præteritorum, nam emeriti milites arma sua, qui naufragium evasissent, vestes in tabella depictas diis dedicare solebant. Horat. libr. 1. od. 5. Virg. libro 6. Æneid.

—— casus effinxit in auro.

Alb. Tibull. lib. 1. eleg. 3.

Nunc dea nunc succurre mihi, nam posse mederi
Fixa docet templis multa tabella tuis.

Duces etiam defuncti arma diis, quos coluissent suffigenda relinquebant. Parthenius ille moriturus apud Papinium lib. 9. Thebaid. in fine.

Hæc autem primis tela infelicia castris
Vre, vel ingratæ munus suspende Dianæ.

Et reduces ab expeditione. Ovid. epist. 13. Laodamiæ.

Et sua det reduci vir meus arma Iovi.

Tituli & elogia inscribebantur donariis istis. Idem lib. 5. syl. 2. v. 146.

Belligeris hæc dona diis, hæc tela dicavit,
Cernis adhuc titulos.

Vnde votum Hectoris Ajacem interficere cupientis apud Homerum lib. 7. Iliad.

Τεύχεα συλήσας, ὄισω ποτὶ ἴλιον ἱρὴν,
Καὶ κρεμόω ποτὶ νηὸν Απόλλωνος.

Arma adimens feram ad Ilium sacrum, & suspendam ad templum Apollinis. Vnde Κρεμάσαι τὴν ἀσπίδα, *suspendere clypeum,* bello jam confecto, proverbialiter effertur apud Suidam, pro eo quod est *pacem agere.* Suffigebantur autem non columnis modo & parietibus votivæ hæ tabulæ, sed & *tholis* ipsis, seu *fastigiis* ædium sacrarum. Arnob. lib. 6. *Multa templa quæ tholis sunt aureis, & sublimibus clara fastigiis.* Luctat. Placid. ad lib. 2. Thebaid. v. 734. *Tholum est in media templi camera locus in quo voventium primitiæ aut exuviæ figebantur.* Mart. lib. 1. epigr. 71.

Et Cybeles picto stat Corybante tholus.

Virgil. lib. 9. Æneid. v. 407. frequenter Statius l. 1. syl. 4. v. 33.

—— Tamen accipit omni
Exuvias Diana tholo captivaque tela
Bellipotens.

Et lib. 2. Thebaid. in fine:

Has ego majorum pugnas, vultusque tremendos
Magnanimum effingam regum, figamque superbis
Arma tholis.

Et lib. 7. Thebaid. v. 56.

Terrarum exuviæ circum, & fastigia templi
Captæ insignabant gentes.

Ædem de templo, *ædes* de profana habitatione curiosius, quam par erat, docuerant Grammatici, sed utrumque esse falsum ostendit multifaria authoritate eruditissimus Tiraquell. in Alexandrum Neapolitanum Genial. Dieb. quem non exscribo.

De *aris* pauca hic dicenda. Reliqua repete ex Reg. 1. supra. In sepulchris, aut certe prope sepulchra, erigebantur, doctissimus Hieronymus Magius in Miscellaneis probavit: unde in Apotheosi illa mystica Cæsaris sub persona Daphnidis Ecloga 5. apud Virgilium:

—— en quattuor aras,
Ecce duo tibi Daphni, duoque altaria Phœbo.

Et expressius lib. 3. Æneid.

—— Stant manibus aræ.

Et lib. 5.

—— Mæstasque sacravimus aras.

Andromache marito occiso lib. 3. eodem:

—— manesque vocabat
Hectoreum ad tumulum, viridi quem cespite inanem,
Et geminas, causam luctus, sacraverat aras.

In Comœdiis item actitandis, aræ in scenis erigebantur duæ, sed eo discrimine, ut in *Comœdia Apollini dextra ara* esset vota, *sinistra ei Heroi deove, aut deæ,* cujus in honorem ludi celebrarentur, seu *parentalia,* aut *funebria sacra:* at in *Tragœdia dextra ara* erat *Bacchi.* Licet sciam Olympiodorum Comœdiæ etiam præsidem facere, cujus verba Fr. Lindenbruchius adfert. At contra stat Donatus in Andriam Terentii Act. 4. sc. 3. *Ex ara scilicet Apollinis, quem δήλιον Menander vocat, aut quod Apollini Comœdia dicata est, in cujus honorem aram constituebant Comœdiam celebrantes. Apollini ergo Comœdia, Libero patri Tragœdia.* Et ipse Terentius:

Ex ara hinc sume verbenas tibi.

Quia nempe aræ Apollinis verbenæ imponebantur, aræ Liberi patris hederæ. Iul. Scaliger lib. 1. Poëtices cap. 21.

Aras præterea *privatas Laribus* consecrabant, ut infra dicetur, sed & *mari fluminibusque,* quæ & humana colebant effigie, ut notum ex C. Plinio Iuniori libr. 8. epist. 8. & aliis. Itaque aræ non minus iis quam aliis diis votæ. Virgil. lib. 1. Æneid.

Tres notus abreptas in saxa latentia torquet,
Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus aras
Dorsum immane mari summo.

Et de fluminum aris locus est egregius D. Ausonii epist. 9. ad Paulinum:

Culpabam properos adverso flumine cursus,
Quis fuit ille dies? non annus longior ille est,
Attica quem docti collegit cura Metonis,
Desertus, vacuis solisque exerceor aris.

Ac si dicat discedente amico sibi nihil esse solatii, nisi ut deorum aris advolvatur, quas forte licet gramineas existimare, de quibus Turnebus lib. 11. c. 1.

Denique & aras summa cum veneratione dedicare consuevisse Romanos quis nescit? Adscribam aliquot veterum marmorum fragmenta: unum est Pætonione.

Præposito. Iovi. S. Trib. coh. X. præt. cultor. numinis. ipsius. proficiscens. ad. opprimendam. factionem. Gallicanam. jussu. Principis. Sui. Aram. istam. posuit.

Alterum est in Bavaria, ut refert Wolfgangus Lazius Commentarior. Reip. Rom. lib. 6. cap. 1.

Nunc. R. & Minerv. Sac. ceno. coh. III. Brit. aram. &. Fl. Felix. Præf. ex. voto. posuit. L. M. dedicavit. Kalend. Dec. Gentiano. &. Basso. coss.

Tertium Pisis visitur:

C. Vrbius. jucundus. Vexil. coh. II. vigil. Viserti. Latini. Mil. Anno. VI. Me. VIII. Dies. XVIII. in. ejus. tesserar. optio. Vexillar. Vixit. Ann. XXVII. aram. cum. basi. sua. P. T.

CAP.

НБ ім. І.І.Мечникова

Cap. III.

Qui Dii selecti sint, & de Iano.

Duodecim erant Dii Consentes, sive præcipui, quibus velut consiliariis Iupiter in maximis rebus agendis utebatur, & quorum imagines auratæ apud forum stabant, sex mares, & sex fœminæ. Quorum nomina *Ennius* hoc disticho complexus est:

Iuno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Præter hos alii octo adducuntur, qui cum Consentibus *Selecti* appellabantur, propter majores in mundo administrationes; vel quod populis magnis innotuissent, majorque illis cultus exhiberetur. Sunt autem *Selecti* Dii hi: *Ianus, Iupiter, Saturnus, Genius, Mercurius, Apollo, Mars, Vulcanus, Neptunus, Sol, Orcus, Liber pater, Tellus, Ceres, Iuno, Luna, Diana, Minerva, Venus, Vesta*, in quibus duodecim mares, octo fœminæ. De his ordine dicemus, initium capientes à *Iano*, qui & antiquissimus, & in omnibus sacrificiis primo loco nominatus fuit.

Ianus ab eundo, quasi *Eanus* dictus, quod januis præsideret, vel quod cœlum & tempus semper iret, vel à ἰέναι detracta aspiratione, quod fuerit omnium primus. Ab aliis *mundus*, ab aliis *annus*, ab aliis *Sol* esse putatur. Antiquissimus Latii Rex fuit, Cœli & Hecates filius. *Berosus*, *Q. Fabius Pictor*, & *Cato*: de quibus tamen auctoribus eruditi non sine causa dubitant, fere in eo consentiunt, *Ogygen*, qui & *Noha*, *Ianum* fuisse appellatum, qui in Italiam venerit, & propter merita à posteris divinis honoribus cultus fuerit. *Ioannes Goropius Becanus* in 4. libro Originum Antverpianarum, quem *Cronia* inscripsit, *Ianum* eundem esse, qui in sacris Literis *Iaphet* dicitur, filius Nohæ, contendit. Hic ergo, uti *Quintus Fabius Pictor* tradit, primus docuit Italos vinum & far ad sacrificia, & religionem magis, quam ad esum & potum. Primus aras, & pomœria, & sacra docuit: & ob id illi in omni sacrificio perpetua præfatio præmittitur, farque illi ac vinum primo prælibatur. Ad pudorem & sanctimoniam domorum primus valvas, seras & claves excogitavit, & invenit, & ab eo dictæ *januæ*. Olympo regio Hetruriæ, fanoque sacrato duodenis coloniis totidem pomœria, arasque sacravit, & ad continendum recentes tum colonias in officio, virgas, fascesque singulis singulas dedit. Vnde ipse in manu virgam & clavem, subque pedibus bis senas aras habebat. Hæc Quintus Fabius Pictor, nisi titulus libri mentitur. Idem etiam *Macrobius* lib. 1. Saturnal. cap. 9. ex Xenone & aliis habet: unde, quod simulacrum *Iani* fuerit, intelligi potest. Hoc tamen addam, quod *Macrobius* & *Plinius* memoriæ produnt, simulacrum ejus quod in Capitolio fuit, ita formatum fuisse, ut in manu dextra trecentorum, & sinistra sexaginta quinque, sive, ut in Plinii exemplaribus legitur, quinquaginta quinque numerum tenuerit, ad demonstrandam anni dimensionem. Qua de re plura *Lilius Gyraldus*. Invenit etiam *coronas*, *navigia*, *tumultuarios pontes*: ac primus in Italia *æreum nummum* signavit; ut apud *Athenæum* lib. 15. Dipnos. Dracon. Corcyreus docet: Vnde etiam in veteribus quibusdam nummis ab una parte *Ianus bifrons*, ab altera *navis*, aut *prora*, aut *puppis* conspicitur; quanquam *Plutarchus* [*qu. Rom.* 22. *vide etiam August. lib. 7. de Civitate Dei cap.* 8.] Quæstionibus Romanis, quæstione quadragesima prima, aliam hujus rei causam afferat.

Cognomina *Iani* varia fuerunt: dictus enim fuit *Ianus Bifrons*, *Ianus Geminus*, vel *Quadrifrons*. *Ianus Pater*, *Ianus Iunonius*, *Consivius* & *Quirinus*, *Patulcius*, *Clausius*. Item in carminibus Saliorum Devs Deorvm appellatur.

Bifrontis nomen unde acceperit, causæ afferuntur hæ: Quod genere Græcus ex Perrhæbia fuerit, ac profectus in Italiam, sedibus apud Barbaros positis, linguam vitæque rationem ibi mutarit; vel quod Italos feris utentes, injustisque moribus, suadendo ad aliud vitæ genus traduxerit, atque agricultura & civili institutione composuerit. Alii hanc causam afferunt, quod fuerit prudentissimus, videritque procul ventura, & respexerit præterita. Alii, ut *Ovidius* & *Augustinus* ex *Varrone*, quod *Ianus* sit mundus gemina facie, hac *Ortum* spectante, illac *Occasum*. *C. Bassus* apud *Macrobium* lib. 1. Saturnal. capite nono, dicit, *Ianum Bifrontem* fingi quasi superum atque inferum Ianitorem.

Ianus Geminus, sive *Quadrifrons* fictus & appellatus fuit, quod universa climata majestate sua complecteretur. Idem *Bassus* apud Macrobium. Hujus sicut & Bifrontis simulacrum in nummis veteribus adhuc conspicitur tale: Vt in fronte lib. 2. videre est, notatum litera A. B.

Pater dicitur, quasi qui Deorum Deus sit.

Ivnonivs, quasi non solum mensis Ianuarii, sed mensium omnium ingressus teneat, quia in ditione *Iunonis* sunt omnes *Calendæ*. Vnde & *Varro* lib. 5. Rerum humanarum scribit, *Iano* duodecim aras pro totidem mensibus dedicatas.

Consivivs dicitur à *conserendo*, id est, à propagine generis humani, quæ Iano auctore conseritur.

Qvirinvs quasi bellorum potens, ab *hasta*, quam Sabini *Curim* vocant.

PATVLCIVS, & CLAVSIVS, vel CLVSIVS, quia bello valvæ ejus patent, pace clauduntur; vel ab aperiendi & claudendi viciſſitudine, ſicut *Ovid.* lib. 1. Faſtorum ſcribit:

Inde vocor Ianus, cui cum Cereale Sacerdos
Imponit libum farraque miſta ſale:
Nomina ridebis, modo namque Patulcius idem,
Et modo ſacrifico Cluſius ore vocor.
Scilicet alterno voluit rudis illa vetuſtas
Nomine diverſas ſignificare vices.

CVRATII & SEPTIMIANI nomen unde habuerit, paulo poſt videbimus.

Templa Iani tria fuerunt, ædes una.

Primum *Iani* templum à Romulo conditum fuit, pace inter ipſum & *T. Tatium* facta, quemadmodum teſtatur ex Varrone *Auguſtinus*: in quo ſignum fuit *Iani Bifrontis*, ut ſignificaretur duos populos coiiſſe in unum. Hoc templum *Numa* inſtituit pacis tempore claudi, bello vero ingruente aperiri; unde à nonnullis ab ipſo Numa templum conditum ſcribitur. Cauſæ autem hujus inſtituti à diverſis variæ referuntur. Alii dicunt, Romulo contra Sabinos pugnante, cum in eo eſſet, ut vinceretur, calidam aquam ex eodem loco erupiſſe, quæ fugarit exercitum Sabinorum. Hinc tractum morem, ut pugnaturi aperirent templum, quod in eo loco fuerat conſtitutum, quaſi ad ſpem auxilii priſtini. Quam rationem etiam *Macrobius* explicat, aliquanto pluribus verbis. Alii dicunt *Tatium* & *Romulum* facto jam fœdere hoc templum ædificaſſe: unde & *Ianus* ipſe duas facies habet, quaſi ut oſtendat duorum Regum coitionem; vel quod ad bellum ituri debeant de pace cogitare. Eſt & alia melior ratio, quod ad prælium ituri optent reverſionem. De hoc templo *Virgil.* loquitur his verſibus:

Sunt geminæ belli portæ (ſic nomine dicunt)
Religione ſacræ, & ſævi formidine Martis:
Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora, nec cuſtos abſiſtit limine Ianus.
Has, ubi certa ſedet patribus ſententia pugnæ,
Ipſe, Quirinali trabea, cinctuque Gabino
Inſignis, reſerat ſtridentia limina Conſul, &c.

Ex quibus intelligitur, ſolemni more templum illud clauſum & apertum fuiſſe. Cæterum & hoc non eſt prætereundum, à *Numæ* regno ad *Auguſtum* ter tantum clauſum fuiſſe, ab ipſo ſcilicet *Numa*, deinde à *T. Manlio Torquato* Conſule, poſt primum bellum Punicum, anno ante urbem conditam 1ↄXIIX. tertio poſt confectum bellum *Actiacum* ab ipſo *Auguſto*, teſte *Livio*, & aliis rerum Romanarum Scriptoribus ferè omnibus.

Alterum templum *Iani Quadrifrontis*, ampliſſimum quatuor portarum in foro Romano fuit, ab *Auguſto* dedicatum. *Ianus* ipſe, qui in eo colebatur, *Quadrifrons*, ex Falicis Thuſciæ civitate captis in forum tranſitorium Romam tranſlatus erat. Auctor *Servius*. Hujus templi icon in veteri lapide adhuc videtur talis. *AB.* vide Fig.

Tertium templum *Iani* ad forum olitorium, à *Duillio*, poſt primum bellum Punicum conditum, longo tempore poſt à Tiberio reſtauratum eſt. *Tacit.* lib. 2. Annal.

Ædes IANI CVRIATII ab *Horatio* extructa fuit, in memoriam *Curiatii*, quem ipſe in nobili illa trigeminorum pugna interfecerat, de qua multi ſcribunt. *Feſtus* hujus ædis meminit in voce *Sororium tigillum.*

IANVS SEPTIMIANVS, ut ego arbitror, ædificium fuit pervium, à *Septimio Severo* fortaſſe extructum, unde nomen habet.

Iani in plurali numero dicuntur ædificia quadriformia, & pervia, ſive ſtata illa, & lapidea, ſive ex materia pro tempore excitata, cujuſmodi multi in Vrbe fuerunt, teſte *P. Victore* cujus hæc ſunt verba: *Iani Quadrifrontes* per omnes regiones marmoribus incruſtati, & adornati inſigniis militaribus, & ſignis. Duo præcipui ad arcum Fabianum, ſuperior inferiorque, ubi argentarii ac numularii artem ſuam exercebant, quo ſæpe alludit *Horat.* Vide Acronem & Porphyrionem in Horatium, & *Ioannem Brodæum* l. 2. Miſcellaneorum, c. 19.

AD CAP. III. PARALIPOMENA.

De duodecim diis, & Iano.

M. Terentius Varro lib. 1. Rei Ruſt. cap. 1. *Et quoniam, ut ajunt, dii facientes adjuvant, prius in vocabo eos, nec, ut Homerus & Ennius Muſas, ſed duodecim deos conſentes, neque tamen eos urbanos, quorum imagines ad forum auratæ ſtant ſex mares & totidem fœminæ, ſed illos duodecim, duos qui maxime agricolarum duces ſunt.* Eadem pene D. Auguſtinus l. 4. de civit. Dei c. 23. Martianus Capella lib. 1. de Nupt. Merc. & Philolog. *Tunc etiam ut inter alios potiſſimi rogarentur ipſius collegæ Iovis qui biſſeni cum eodem tonante numerantur, quoſque diſticho complectitur Ennianum.*

Iuno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iupiter, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Item ex his ſeptem reſidui, qui inter duodecim non vocantur. Vbi obſervo ſine adjectione, hos deos ab illo, *duodecim*, ſimpliciter dici: & quod cum alii omnes habeant *Mercurius*, *Iovis*, *Neptunus*, ille non, *Iovis*, ſed *Iupiter* legit; male, meo judicio: antiquitus quippe non *Iupiter*, in nominativo, ſed Iovis dicebatur. T. Liv. 1. Dec. l. 1. *Iovis Feretri, inquit, hæc tibi victor Romulus rex regia arma fero.* Pro quo nonnulli imperiti ſubſtituerunt ineptiſſime, *Iupiter Feretri*. neque temere alias loquitur C. Iulius Hyginus Fab. c. 31. *Iovis inter eos fulmen miſit.* Cap. 152. *Iovis fulmine ardenti pectus ejus percuſſit.* Cap. 176. *Ad Lycaonem Pelaſgi filium Iovis in hoſpitium veniſſe dicitur.* Cap. 179. *Iovis cum Semele voluit concumbere.* Cap. 195. *Iovis, Neptunus, Mercurius in Thraciam ad Byrſeum regem in hoſpitium venerunt.* Cap. 271. *Ganymedes Erychthonii filius, quem Iovis amavit.* In quibus omnibus libris in antiqua editione, in ora libri, *Iupiter*, cum aſteriſco ſcriptum erat, tanquam indicina parum ſanæ ſententiæ, ſed vel ab imperito Librario, vel à ſciolo aliquo: quod & poſterior editio Lugdunenſis recepit. Eſt & locus Claudiani apud D. Auguſt. de Civit. Dei lib. 5. cap. 26. ſed indubie neque Claudiani, neque à D. Aug. ſic ſcriptus:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab aſtris
Se Iovis armatus, vehemens cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad Claſſica venti.

Ita tamen legit Ioann. Cuſpinian. Commentario in Faſtos Conſulares Caſſiodori pag. 521. atque ita habebatur in editione Baſilienſi 1490. *Ioannis Amerbacenſis*, quod & agnoſcunt *Thomas Valois & Nicolaus Trineth. ſcholiaſtæ.* Cum tamen & Paulus Oroſius lib. 7. hiſtor. c. 35. & Abbas Vrſpergenſ. in Chronico pag. 122. & Paulus Diaconus lib. 13. hiſtor. Miſcellæ, unanimi cum D. Auguſt. conſenſu, ut eſt in vulgata Ludovici Vivis editione, legant:

O nimium Dilecte Deo, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Et puto patres illos noluiſſe *Æolum* nominare, ne Chriſtianæ pietati officerent, quum nihilominus in omnibus editionibus conſtanter legatur, etiam in editione Venetiana 1495. *Thadæi Vgolini*:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab aſtris
Æolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

De his duodecim diis puto etiam poſſe C. Suetonium intelligi in Auguſto c. 70. *Cœna quoque ejus ſecretior in fabulis fuit, quæ vulgo* δωδεκάθεος *vocabatur, in qua deorum dearumque habitu diſcubuiſſe convivas, & ipſum pro Apolline ornatum non Antonii modo epiſtolæ, ſingulorum nomina amariſſime annumerantis exprobrant, ſed & ſine authore notiſſimi verſus:*

Cum primum iſtorum conduxit menſa choragum,
Sexque deos vidit Mallia, ſexque deas.
Impia dum Cæſar Phœbi mendacia ludit,
Dum nova divorum cœnat adulteria.

M. Plaut. in Epidico Sc. male.

Si undecim deos præter ſeſe ſecum adducat Iupiter,
Ita non omnes excruciatu poterunt eximere Epidicum.

Dionyſius Lambin. ad ejuſdem Plauti Caſinam ſc. *una*, ex Cicerone oſtendit eoſdem hos deos, *Conſentes* Varroni dictos, aliis *ſelectos*, *majorum gentium* etiam vocari. P. Ovid. lib. 6. Metamorphoſ. Fab. 1. in tela Palladis:

Bis ſex cœleſtes medio Iove ſedibus altis
Auguſta gravitate ſedent, ſua quemque deorum
Inſcribit facies.

PARALIPOMENA.

De Iano, ſtatua, & Templo ejus.

De *Iano* merito ante alios deos agetur, quod *in omnium deorum ſacrificiis precationis principium à Iano duceretur.* Arnob. lib. 3. contra gentes: *Atque ita per vos Dei nomen eraditur, quem in cunctis anteponitis precibus & viam vobis pandere deorum ad audientiam creditis.* Xenon l. 1. *Rer. Italic.* tradit *Ianum in Italia primum diis templa feciſſe, & ritus inſtituiſſe ſacrorum, ideo eum in ſacrificiis præfationem meruiſſe perpetuam.* Refert Aurel. Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 9. & pene paria prodit Q. Fabius Pictor. lib. 1. de Aureo ſæculo. *Vinum & far primus illos docuit Ianus, ad ſacrificia & religionem verius quam ad eſum, primus enim aras, & pomœria, & ſacra docuit, & ob id ei in omni ſacrificio perpetua præfatio præmittitur, farque illi ac vinum primo prælibatur.* M. Tull. lib. 2. de Nat. Deor. *Cumque in omnibus rebus vim haberent maximam prima & extrema, principem in ſacrificando Ianum eſſe voluerunt, quod ab eundo nomen eſt ductum, ex quo tranſitiones perviæ, Iani, foreſque in liminibus profanarum ædium, januæ nominantur.* Feſt. Pomp. lib. 3. in voce *chaos*: *Vnde Ianus detracta aſpiratione nominatur, ideo, quod fuerit omnium primus, cui primo ſupplicabant, velut Parenti, & à quo rerum omnium factum putabant initium.* A quibus omnibus ſcriptoribus diverſa traditur ratio cur Iano primitiæ veluti omnium ſacrorum offerrentur, quum conſtet, ſaltem Romana conſuetudine, id ſemper obſervatum, quod non modo citati autores confirmant, ſed & poëtæ. M. Martial. l. 8. epigr. 8.

Principium des Iane licet velocibus annis,
Et revoces vultu ſæcula longa tuo,
Te primum pia thura rogent, te voce ſalutent,
Purpura te felix, te colat omnis honor.

In tertio verſu MS. codex præferebat, *te vota ſalutent*, ut & in ſecundo verſu legitur:

Et renoves vultu ſæcula longa tuo.

Recte, meo judicio, quia antea dixerat, *principium des licet.* Idem lib. 10. epigr. 28. ad Ianum:

Annorum nitidique ſator pulcherrime mundi,
Publica quem primum vota preceſque canunt.

Arnobio nuper ſuperius laudato conſonat Ovidius l. 1. Faſtor.

——— cur, quamvis aliorum numina placem,
Iane tibi primum thura merumque fero?
Vt poſſis aditum per me, qui limina ſervo,
Ad quoſcunque voles, inquit, habere deos.

Vbi ſuadeo, tyro, notes Fabium Pictorem, *far & vinum* tantum nominaſſe, quum poëtæ etiam *thuris* faciant mentionem Iano oblati, quod vel de ſuo ſæculo dictum exiſtimes, vel licentia poëtica confictum. Certum enim eſt *Iliacis temporibus thure non ſupplicatum*, ut loquitur C. Plin. lib. 13. c. 1. Homerus ob id nuſquam thuris in operibus ſuis mentionem ullam habet, quum tamen religiones antiquas & cæremonias diligentiſſime frequenter & ritus ſacrorum deſcribat, argumento liquido ne proprium quidem thuri eſſe apud vetuſtos Græcos nomen, θυΐον enim non tam *thus* eſt, quam *quilibet ſuffitus*: neque δενδρολίβανος, ut ab aliis vocatur à *Libano puero in id mutato antiquitatem loquitur*, Iſidor. lib. 17. cap. 8. licet ſciam B. Briſſonium libro eleganti, *de nuptiarum ritu* multa in hanc rem obſervaſſe, apponam tamen locum Arnobii è lib. 7. contra gentes: *Percunctamur de thure, unde aut quo tempore noſſe illud, aut ſcire poteritis, ut merito exiſtimetis aut eſſe diis dandum, aut eorum acceptiſſimum voluntati: novella enim propemodum res eſt, neque annorum inexplicabilis ſeries, ex quo ejus notitia profluxit in has partes, & delubris meruit intereſſe divinis: neque enim temporibus quemadmodum creditur & perhibetur heroicis, quidnam eſſet thus ſcitum eſt, ſcriptoribus ut comprobatur à priſcis, quorum in libris poſita nulla ejus mentio reperitur, neque genitrix & mater ſuperſtitionis Hetruria opinionem ejus novit aut famam, ſacellorum ut indicant ritus, neque quadringentis annis quibus Albana res viguit, in uſum cuiquam venit, ſacra res cum fieret, neque ipſe Romulus, aut religionibus artifex in comminiſcendis* Numa, *aut eſſe ſcivit, aut naſci.* Sed ad Ianum revertor.

Fuit Primus omnium deorum, ideoque peculiari cognomento *pater* dictus eſt Ianus, quod *venerationem cultumque* notat, & eſt *omnibus omnino diis conveniens appellatio*, Serv. Honorat. ad lib. 2. Georg. in principio, & *uniuſcujuſque proprium*, idem Serv. ad lib. 3. Æneid. ibi:

Da pater augurium.

Sed & *Ianus* privato, ut dixi nomine *patris* honoratur. Lactantius Firmianus l. 4. divinar. Inſtit. cap. 3. *Itaque & Iupiter à precantibus pater vocatur, & Saturnus, & Ianus, & Liber, & cæteri deinceps, quod Lucilius in deorum conſilio irridet.*

Vt nemo ſit noſtrum, quin aut pater optumus divum
Vt Neptunus pater, Liber, Saturnus pater, Mars,
Ianus, Quirinus, pater nomen dicatur ad unum.

L. Seneca in Apocolocynthoſi, ſeu Apotheoſi Claudiana: *Ille dimiſſo primus interrogatur ſententiam Ianus pater, is multa diſerte, quod in foro vivat, dixit:* Septimius antiquus poëta apud

Terentianum Maurum lib. de Metris, quod fragmentum propter elegantiam adſcribam :

Iane pater, Iane tuens, dive, biceps, biformis,
O cate rerum ſator, ô principium deorum,
Stridula cui limina, cui cardinei tumultus,
Cui reſerata mugiunt aurea clauſtra mundi.

Iun. Iuvenal. Sat. 6. v. 393.

Reſpondes his Iane pater.

Virgil. lib. 8. Æneid.

Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem.

T. Liv. 1. decad. lib. 8. *Iane pater, Iupiter, Mars, audite vota.* C. Plin. lib. 36. nat. hiſt. c. 5. *Item Ianus pater in ſuo templo dicatus.* Martial. lib. 8. epigr. 2.

Promiſit Pyliam quater ſenectam,
Addas Iane tuam pater rogamus.

Aut melius in MS.

Addas Iane pater tuam rogamus.

Et lib. 10. epigr. 28. ad Ianum :

At tu, ſancte pater, tanto pro munere gratus,
Ferrea perpetua clauſtra tuere ſera.

Q. Horat. lib. 1. epiſt. 16.

Iane pater, clare, clare cum dixit Apollo,
Labra movet.

In foro habitare dixit Ianum ſuperius Seneca, quod ad ſtatuas ei in foro Romano erectas refert P. Victor in 8. Reg. urbis. *Iani duo, celebris, inquit Mercatorum locus.* At quippiam diverſum T. Livius l. 1. in fine 5. decad. *Forum porticibus taberniſque claudendum, tres Ianos faciendos.* Horat. lib. 2. Sat. 3.

——— *poſtquam omnis res mea Ianum*
Ad medium fracta eſt.

Helenius Acron interpres vetus. *Iani ſtatuæ tres erant, ad unam illarum ſolebant convenire creditores, & fœneratores, alii ad reddendum, alii ad locandum fœnus.* Porphyrion ejuſdem etiam poëtæ Scholiaſtes, *omnes ad Ianum ſtabant in Baſilica fœneratores*, unde diſcimus non ſub dio has Iani ſtatuas omnes in foro ſtetiſſe, ſed aliquam earum ſub tectis, ſive in baſilica, quum tamen ille in *baſilica Iani ſtatuam fuiſſe dicat, duos Ianos ante baſilicam Pauli ſtetiſſe, ibique locum fuiſſe fœneratorum ſcribit.* Acron ad illud Horatii lib. 1. epiſt. 1.

——— *hæc Ianus ſummus ab imo*
Perdocet.

Et de his ſtatuis intelligendum cenſeo M. Ciceronem Orat. Antoniana 6. *Ianus medius in Antonii clientela ſit?* & lib. 2. de offic. in fin. *à quibuſdam viris optimis ad medium Ianum ſedentibus.* Hæc forte eſt illa Iani ſtatua, quæ *medius Ianus* Ciceroni, *ſummus* aut *imus* Horatio dicitur, cujus mentio C. Plinio l. 34. nat. hiſtor. c. 7. in hæc verba: *præterea Ianus Geminus à Numa rege dicatus, qui pacis bellique argumento colitur, digitis ita figuratis, ut trecentorum quinquaginta quinque dierum nota, per ſignificationem anni, temporis, & ævi ſe Deum indicaret.* Sed quænam hæc per digitos numerandi ratio? multis quidem ea prodita, ſed à nullo doctius aut curioſius, quam à Petro Colvio, & Ioanne Savarone & Andrea Tiraquello. Lilius Gyrald. Ferrarienſ. Dialogo 2. Fab. Quintil. lib. 11. c. 3. *alii ergo digitis complicatis numeri, alii conſtrictis ſignificabantur.* Martian. Capella lib. 2. in principio. *In digitos calculumque diſtribuit.* & lib. 7. *digiti vero virginis recuſantes, & quadam incomprehenſæ ſcaturiginis mobilitate vermiculati, quæ mox ingreſſa, ſeptingentos ac decem & ſeptem numeros, complicatis in eos digitis, Iovem ſalutabunda ſurrexit.* Ille de complicatis inter numerandum digitis hæc eleganter, de conſtrictis Sidon. Apollinar. lib. 9. epiſt. 9. *Chryſippus digitis propter numerorum indicia conſtrictis, Euclydes propter menſurarum ſpatia laxatis.* Q. Florens Tertull. Apol. cap. 90. *cum digitorum ſupputatoriis geſticulis aſſidendum eſt.* C. Plin. Iun. lib. 2. epiſt. 20. *componit vultum, intendit oculos, movet labra, agitat digitos, nihil computat.* D. Auguſt. de Civit. Dei lib. 18. cap. 53. *omnium vero de hac re calculantium digitos reſolvit, & quieſcere jubet.* L. Seneca epiſt. 88. *numerare docet me Arithmetica, avaritiæ accommodare digitos.* Quo ſenſu interpretandi poëtæ; Ovid. lib. 1. Faſt.

Seu quia tot digitos per quos numerare ſolemus.

M. Plaut. Milite Act. 2. ſc. 2.

Ecce autem avortit nixus læva, in femore
Habet manum.
Dextera digitis rationem computat,
Feriens femur.

Sed quo res clarior fiat audiendus L. Apulejus lib. 2. Apologiæ: *ſi triginta annos pro decem dixiſſes, poſſes videri pro computationis geſtu erraſſe, quos circulare debueris, digitos aperuiſſe, quum vero quadraginta, quæ facilius cæteris porrecta palma ſignificantur, ea quadraginta tu dimidio auges, non potes digitorum geſtu erraſſe, niſi forte triginta annorum Pudentillam ratus, binos cujuſque anni conſules numeraſti.* Nec minus lucis adferet huic difficultati tenebroſæ locus D. Hieron. lib. 1. in Iovinian. in principio. *triginta referuntur ad nuptias, nam & ipſa digitorum conjunctio, quaſi molli oſculo ſe complexus ac fœderans, maritum pingit & conjugem, ſexaginta vero ad viduas, eo quod in anguſtia & tribulatione ſunt poſitæ, unde & ſuperiori digito comprimuntur, quantoque major eſt difficultas expertæ quondam voluptatis illecebris abſtinere, tanto majus eſt præmium. Porro centeſimus numerus de ſiniſtra transfertur ad dextram, & iiſdem quibus digitis, ſed non eadem manu, quibus in læva nuptæ & viduæ, circulum faciens virginitatis exprimit coronam.* Expreſſius tamen de his proditum eſt à venerabili Beda, quem tam multi tranſcripſerunt, *cum decem millia ſignificare volebant, medio pectori lævam ſupinam admovebant, digitis ad collum erectis, cum viginti millia, eandem expanſam pectori apponebant, cum triginta millia, eandem manu prona, & tamen erecta, pollicem ac cartilaginem medii pectoris affigebant, cum quadraginta millia, eandem in umbilico erectam ſupinabant, cum quinquaginta millia, ejuſdem pronæ & erectæ pollicem umbilico applicabant, cum ſexaginta millia, eadem prona femur lævum comprehendebant, cum ſeptuaginta millia, eandem ſupinam femori item lævo imponebant, cum octuaginta millia, eandem pronam femori admovebant.* atque hæc quidem ratio magnos numeros exprimendi, minores ſic denotantur, eodem Beda authore, *cum dicis unum, minimum in læva digitum inflectens in medium palmæ figes, cum duo ſecundum à minimo flexum ibidem impones, cum tria, tertium ſimiliter inflectes, cum quatuor, eundem minimum levabis, cum quinque, ſecundum à minimo ſimiliter eriges, cum ſex, tertium elevabis, medio in medium palmæ defixo, cum ſeptem, minimum ſuper palmæ radicem, cæteris levatis impones, cum octo, medium, cum novem, impudicum è regione compones, cum decem, unguem indicis in medio pollicis ortu figes, cum viginti, ſummitatem impudici inter nodos indicis & pollicis arcte figes, cum triginta ungues indicis & pollicis blande conjunges, cum quadraginta, interiora pollicis lateri applicabis, cum quinquaginta, pollicem ad palmum inclinabis.*

Celebre refertur Orontis Artaxerxis regis generi dejecti, & honore ſpoliati dictum, *principum amicos videri ſimiles computantium digitis*, nam ἀριθμητικῶν δάκτυλοι νῦν μὲν μυριάδας, νῦν δὲ μονάδα τιθέναι δύνανται, *Arithmeticorum digiti, qui modo decem millia, modo unitatem repræſentant*, ita regum amicos aliquando ſummo, mox infimo haberi loco. Plutarch. in Apophthegmat. ex eo Cæl. Rhodigin. Antiquar. lect. lib. 23. cap. 11. & Valerian. Pier. Hieroglyphic. lib. 37. huc facit & illud neſcio cujus poëtæ:

Vtile ſollicitis computat articulis.

In re tam obſcura involutaque, illud tamen certum indubitatumque, reperitur, uſque ad centum dextra ſolitos numerare, exinde ſiniſtra. Licet Suidas dicat *in Iani ſtatua memoratam in manu dextra notam CCC. in ſiniſtra LXV. fuiſſe.* Vnde recte Nicarchus vetus poëta in Antholog. lib. 2. cap. 9. epigr. 5. & Brodæus:

Ἥρως ἀθρήσας ἐλάφου πλέον, ἢ χερὶ λαιῇ
Γῆρας ἀριθμεῖσθαι δεύτερον ἀρξάμενος.

Quæ ſæcla vidit cervo plura, quæ manu ſiniſtra ſenium numerare iterum incœpit. D. Iuvenal. Sat. 10. v. 246.

Rex Pylius magno ſi quicquam credis Homero
Exemplum vitæ fuit à cornice ſecundæ.
Fœlix nimirum, qui tot per ſæcula mortem
Diſtulit, atque ſuos jam dextra computat annos.

Quid attinet dicere, quod eſt vulgatiſſimum, Iani templum pace

ce per univerſum orbem parta claudi ſolere, indicto bello rurſus aperiri, quod *is Deus, belli paciſque arbiter* haberetur. L. Florus Epitomaſtes ex lib. 4. Livii. Servius Honoratus ad illud lib. 1. Æneid.

Aſpera tum poſitis miteſcent ſecula bellis.

Claudian. de 6. Honorii conſul.

——— *Perpetuiſque immoto cardine clauſtris*
Ianus bella premens, læta ſub imagine pugnæ
Armorum innocuos paci largitur honores.

Idem de ſumma ſub Stilichone fœlicitate lib. 2. de ejus laudibus :

——— *Nullus Boreæ metus, omnis & Auſtri*
Ora ſilet, cecidit Maurus, Germania ceſſit,
Et Ianum pax alta ligat.

Semel ergo *Numa clauſit*, item *Lutatius Catulus* icto fœdere cum Pœnis coſſ. M. Attilio, T. Manlio. Paulus Oroſius l. 4. c. 10. L. Flor. hiſtor. Rom. lib. 2. cap. 3. tertio *ab Auguſto*, confectis bellis civilibus, narrat Dio Cocceian. lib. 51. in actis anni 725. Freculph. Tom. 1. Chron. lib. 7. cap. 16. *Ab Oriente in Occidentem, à Septentrione in Meridiem, ac per totum Oceani circulum, cunctis gentibus una pace compoſitis, Iani portas tertio Auguſtus tunc clauſit, quas ex eo per duodecim ferme annos, quietiſſimo ſemper obſeratas otio, ipſa etiam rubigo conſignavit: nec prius unquam niſi ſub extrema ſenectute Auguſti pulſatæ Athenienſium ſeditione, & Draconum commotione patuerunt.* Lege *Dacorum commotione*, quorum illo ſeculo mota arma præter hiſtoricos Maro lib. 2. Georg.

Aut conjurato deſcendens Dacus ab Iſtro.

Otto Friſingenſis lib. 3. cap. 3. Chronic. Vell. Patercul. lib. 2. hiſtor. cap. 38. *Tertio Auguſto principe certæ pacis argumentum Ianus Geminus clauſus dedit.* C. Sueton. in Auguſto cap. 22. Benenutius de Rambaldis libro Auguſtali : *Reliquum ſolus cum magna pace & tranquillitate orbis, clauſo templo Iani egit.* Horat. lib. 4. od. ult.

Ianum Quirini clauſit.

Et lib. 2. epiſt. 1.

——— *totum confecta duella per orbem,*
Clauſtraque cuſtodem pacis cohibentia Ianum.

Templum iſtud duas fores habebat, uti & ipſa *Iani ſtatua biformis*, ſeu duas habens facies. Blondus lib. 1. de Roma triumphante, ſeu quod per Ianum *mundum* ſignificarent, cujus *duæ præcipue partes, Oriens & Occidens*, ſive *quod in bellum proficiſcens de reditu, aut reducendo exercitu ſalvo cogitare debet.* Alluſit Valer. Flacc. lib. 5. Argonaut.

——— *Aut ſanguinei magna oſtia belli.*

P. Virgil. lib. 7. Æneid.

Sunt geminæ belli portæ.

Statius Papinius lib. 5. Thebaid. v. 145.

Lunatumque putes agmen deſcendere, ubi arma
Indulget pater, & ſævi movet oſtia belli.

Hic conſules Romani inaugurabantur, qui ob id dicuntur *annum aperire.* Vlpian. IC. *l. 20. ff. de petition. hæred.* Sidon. Apollin. carm. 2.

Annum pande novum conſul vetus.

Claudian. lib. 2. in Eutrop.

——— *& inſanum gemino proclamat ab axe,*
Eunuchumque vetat faſtis accedere Ianus.

Ob id laurea nova ſingulis Calendis Ianuariis pro veteri ſtatuæ ipſius imponebatur. Licet olim id *non in Ianuario*, ſed *Calendis Martiis*, ſolitum, ut liquet ex narratione Aurelii Macrobii lib. 1. Saturnal. cap. 12. quod *mutare veteribus virides laureas* dixit Iulius Solinus Polyhiſt. cap. 3. Ovidius lib. 3. Faſtor.

Laurea flaminibus, quæ toto perſtitit anno,
Tollitur, & frondes ſunt in honore novæ.

D. Auſon. in Cæſarib.

Ter dominante Tito cingit nova laurea Ianum.

Sidon. Apollinar. Carm. 2. in principio :

——— *Tuque ô cui laurea Iane*
Annua debetur, religa torpore ſoluto
Quævis fronde comas, ſubita nec luce paveſcas
Principis.

Idem Carm. 7. in principio :

——— *jam necte bifrontes,*
Anceps Iane, comas, duplicique accingere lauru.

CAP. IV.

De Saturno & Rhea, Ope matre Deûm, Dea Cybele.

S*aturnus* dicitur, quod ſaturetur annis; vel à *ſaturando* propter annonæ erogationem; vel à *ſatu*, quod ſtercorationi & agriculturæ præſit; vel παρὰ *τὴν σάθην*, quod membrum virile ſignificat, propter generationem ſcil. *Ioſeph. Scaliger* [*in Varronem de ling. Lat.*] ſcribit, *Saturnum* Thuſcum eſſe nomen, & Syriaca lingua ſignificare *latentem*: unde Latini, vocabulum quaſi interpretantes, eum vocarint *Latium*. Hic cœli & Hecates filius fuiſſe, ac curſum converſionemque ſpaciorum ac temporum continere fingitur : unde etiam ex ſe natos comedit, quia conſumit ætas temporum ſpatia, anniſque præteritis inſaturabiliter expletur. In lib. de Æquivocis, qui *Xenophontem* autorem præ ſe fert, ſcriptum eſt, *Saturnos* dici familiarum Nobilium & Regum, qui urbes condiderunt ſeniſſimos. Igitur non unicus *Saturnus* fuit, ſed plures. Quod vero ad *Saturnum* attinet, quem Itali, & poſt Romani coluerunt; fuit is, unus ex filiis, aut poſteritate *Nohæ*, quem *Beroſus* paſſim *Sabatium* & *Sagam* appellat. Is Iovis Beli inſidiis petitus in Italiam ad *Ianum* patrem fugit, à quo humaniter acceptus, & portione aliqua agri donatus eſt, ut etiam in fragmentis *Q. Fab. Pictoris, M. Porcii Catonis,* & *Dionyſ. Halicar.* dicitur. Cum igitur juſtus eſſet, & religionibus deditus, agriculturam etiam *Aborigines* doceret, ab iis in Deorum numerum eſt relatus, & religioſiſſime cultus. *Macrob.* id ab ipſo Iano factum fuiſſe dicit, *Lib. 1. Satur. c. 7.*

Iuſtinus lib. 43. ex Trogo Pomp. ſcribit eum Aboriginum Regem fuiſſe tantæ juſtitiæ, ut neque ſervierit ſub illo quiſquam, neque quicquam privatæ rei habuerit, ſed omnia communia & indiviſa omnibus fuerint, veluti unum cunctis patrimonium eſſet. *Ioan. Gorop. Becanus* eundem *Noham* eſſe multis verbis demonſtrat, quem legere potes. Simulachrum *Saturni* tale fuit : Pingebatur homo ſenex, canus, prolixa barba, curvus, triſtis & pallidus, tecto capite, colore glauco, qui manu dextra falcem tenebat, & in eadem ſerpentis portabat imaginem, qui caudam propriam dentibus commordebat. Manu ſiniſtra filium parvulum ad os applicabat, & eum devorare videbatur. Cujus ſimulachri mythologia, tum ab aliis, tum à *Macrobio* prolixe explicatur. Appellatus etiam *Sterculius*, ſive *Sterculinus* fuit, de quo

quo post dicemus. In descriptione XIV. reg. Vrbis quam l. 1. inseruimus, trium ædium sacrarum *Saturni* mentio fit, duarum ararum, unius areæ, luci & sacrarii. Primus ædem ei Romæ vovit & extruxit *T. Tatius* Sabinorum Rex in Capitolino monte, *Dionysio, Varronè* & *Augustino* testibus.

Saturni & *Opis* templum *Tull. Hostilium* eo tempore, quo cum Sabinis bellum gerebat, vovisse, *Dionys.* l. 3. testatur. Et *Macrob.* [*Lib.* 1. *Satur. cap.* 8. *lib.* 2. *lib.* 6.] scribit invenire se *Tull. Hostilium* cum bis de Albanis triumphasset, de Sabinis tertio, fanum Saturno ex voto consecrasse, & tunc primum *Saturnalia* Romæ esse instituta. Alia ædes *Saturni* fuit in Clivo Capitolino, incertum à quo condita. *Livius* scribit, anno CCLVI. A *Sempr. Atratino*, *M. Minutio* Coss. templum *Saturni* dedicatum. Id quod & *Dionys. Halicar.* testatur his verbis: *His Coss. ferunt templum Saturno dedicatum in Clivo Capitolino, quæ è foro ascenditur, & ferias publicas decretas in sacrificio anniversario. Aram vero, quæ ibi antea fuerat, sacratam ab Hercule, ubi Græco ritu ab illo tradito adolebantur victimæ.* Id templum quidam scribunt locatum à T. Largio superioris anni Cos. quidam à *Tarquin. Superbo*, dedicatum vero ex S. C. à *Post. Cominio. Macrob. Lib.* 1. *Saturnal. cap.* 8. ex *Varrone* notat *L. Tarq.* Regem eam ædem faciendam locasse, *T.* vero *Largium* Dictatorem *Saturnalibus* dedicasse. Hanc ædem ærarium fecit *P. Valer. Poplicola*, si Plutarcho in Poplicola credimus. Cujus rei causæ referuntur hæ: quod *Saturno* regnante nullum fuerit commissum furtum; aut quod sub illo nihil fuerit cujusquam privatum. Ideo institutum ut apud eum locaretur populi pecunia communis, sub quo cunctis fuissent universa communia. *Macrob. Plutarch. in quæst. Rom. q.* 42. addit alias duas rationes, quarum prior est, quod *Saturnus* fructibus & agriculturæ præesse creditus sit. Cum autem ex frugum ubertate & venditione, pecuniæ nascatur copia, fecisse ipsum *Saturnum* pecuniæ authorem, custodemque. Altera est, quod locus ille munitus, conspicuus & ab insidiis tutus fuerit. Ad hanc ædem legati undecunque Romam missi accedebant, ibique nomina sua Præfectis ærarii dabant; quod eo fiebat, quia *Saturnus* cum peregrinus fuerit, etiam hospitibus gauderet: vel quod hospites, antiquitus munera à Quæstoribus ærarii acceperint: unde etiam postea sublato sumptu, tamen ærarii præfectos adierint. In hac æde contractuum monumenta, acta quæ susceptis liberis parentes faciebant, & omnium civium Roman. nomina in Elephantinis libris descripta adservabantur & custodiebantur. Illud etiam *Macrob. lib.* 1. *Saturnal. c.* 8. annotat, fastigio hujus ædis *Tritonas* cum buccinis superpositos; quo significetur, à *Saturni* commemoratione ad nostram ætatem historiam elatam, & vocalem esse, cum ante eum muta & obscura, & incognita fuerit: id quod testantur caudæ Tritonum humi mersæ & absconditæ. Meminit etiam ædis *Saturni*, à *Munacio Planco* extructæ, *Suetonius*: quæ tamen ex veteribus aliqua fuerit ab ipso refecta, vel prorsus nova, alia à prioribus haud certum est. *Saturni* uxor *Rhea* fuit, de qua etiam nonnulla dicemus: reliqua quæ ad *Saturni* cultum, & ferias in honorem ejus institutas pertinent, alibi explicabuntur.

RHEA, OPS, TELLVS.

Saturno additur *Tellus*, de qua ita scribit *Augustin.* [*Lib.* 7. *de Civitate Dei, cap.* 23.] *Varro* in lib. de Diis Select. tres esse affirmat animæ gradus in omni universaque natura. *Vnum*, qui omnes partes corporis quæ vivunt transit, & non habent sensum, sed tantum ad vivendum, valetudinem. Hanc vim in nostro corpore permanare dicit in ossa, ungues, capillos: sicut in mundo arbores sine sensu aluntur, & crescunt, & modo quodam suo vivunt. *Secundum* gradum animæ dicit, in quo sensus est. Hanc vim pervenire in oculos, aures, nares, os, tactum. *Tertium*, gradum animæ esse summum, qui vocatur animus, in quo intelligentia præeminet; hoc, præter hominem, omnes carere mortales: in qua quoniam homines videntur Deo similes, hanc partem animæ mundi dicit *Deum*, in nobis autem *Genium* vocari. Sic ergo in anima mundi tres gradus instituens, unam partem ejus lapides esse dicit, ac ligna, & hanc terram, quam videmus, quo non permanat sensus. Aliam vero, quam *sensum* vocat ejus, ut *æthera*. Tertiam porro, quam & animam ejus nuncupat, quæ scilicet pervenit in astra: eam quoque asserit facere Deos, & per eam quando in terram permanat, *Deam Tellurem*: quod autem inde permanat in mare, atque Oceanum, *Deum* esse Neptunum. Hæc ille.

Est igitur *Tellus* nihil aliud, quam vis, & quidem ut ibidem à *Varrone* dicitur, *fœmina*, quæ semina recipit, aut nutrit. Vim autem masculinam, quæ semina producit, *Tellumonem* dixerunt. *Telluris* cultum primum instituisse *Melisseum* Lactant. ex Didymo docet. Hujus ædes extructa fuit in area ædium *SP. Cassii*, qui de regni affectatione suspectus, capite punitus est, testibus *Cicerone*, *Livio*, *Dion. Plin. Valer. Maxim.* & aliis. Collocatur à *P. Victore* in v. reg. Vrbis. Quis eam voverit, atque extruxerit, non additur. De P. quidem Sempronio Sopho sic scribit *L. Flor. Domiti hinc Picentes, & caput gentis Asculum Sempronio duce, qui tremente inter prælia campo, Tellurem Deam, promissa æde placavit.* Terræmotus hujus etiam *Orosius* meminit, & *Frontinus.* [*Lib.* 1. *Epitome, cap.* 19.] Porro hæc Dea, quæ pro Saturni uxore, & sorore habita est, *Rhea*, *Ops*, *Mater Deûm*, atque *Mater magna* fuit cognominata, & sub iisdem nominibus culta. *Rheæ* quidem templum, vel ædes extructa fuit nulla. De reliquis vero juvat adscribere, quæ ex *Varrone* profert *Augustinus*, [*Lib.* 7. *de Civitate Dei, cap.* 14.] sic autem is scribit: *Deinde adjungit Varro, & dicit Tellurem matrem & nominibus pluribus, & cognominibus, quod nomi-*

nominarunt Deos esse existimatos complures. Tellurem, inquit, putant esse Opem, quod opera fiat melior: Matrem, quod plurima pariat: Magnam quod cibum pariat: Proserpinam, quod ex ea proserpant fruges: Vestam, quod vestiatur herbis, sic alias Deas, inquit, non absurde ad hanc revocant. Hæc ille. Nos de prioribus pauca quædam, quæ legimus exponemus, de *Proserpina* & *Vesta* alibi dicturi. *Ops*, uti jam ex *Varrone*, [*Lib.* 4. *de lingua Latina*,] audivimus, dicta quod opera fiat melior. Idem sic scribit, *Terra Ops*, quod hic omne opus ad vivendum, & ideo dicitur *Ops mater* quod terra nutriat. Hæc enim terris gentes omnes peperit, & resumit denuo. Sic etiam *Macrobius* terram dicit appellatam *Opem*, quod ejus ope vitæ humanæ alimenta quærantur: vel ab opere, per quod fructus frugesque nascantur. Et *Festus*: *Opis*, inquit, dicta est conjunx Saturni, per quam volunt *terram* significare, quia omnes opes humano generi terra tribuit: Ejus imago fuit, ut *Albricus* notat, in cujusdam matronæ similitudinem depicta, quæ aperta manu dextra opem omnibus dare velle prætendebat: panem vero manu sinistra pauperibus porrigebat: *Ædem Opi* Romæ primus vovit & extruxit *T. Tatius* Sabinorum Rex, in regni societatem à Romulo receptus: *Varrone*, *Dionysio & Augustino* testibus. Vovit eidem cum Saturno *ædem Tul. Hostilius*, ut paulo ante in Saturno diximus. Festum ejus *Opalia*, ut infra explicabimus.

Opis Consivæ etiam Deæ mentio fit apud *Varronem*, [*Lib.* 5. *de lingua Latina.*] quæ nomen habuit à *conserendo.* Sacrarium ejus in regia fuit, ita scribente *Varrone*: *Ope consiva* dies ab Dea *Ope consiva*, cujus in regia sacrarium: quod ideo actum, ut eo, præter virgines Vestales, & Sacerdotem publicum, introëat nemo. Is cum eat, suffibulum haud habeat. Hanc enim legem ejus ædis fuisse, cum quælibet sacræ ædes suas certas leges haberent, *Ioseph. Scaliger* arbitratur. *Mater Deûm* unde dicta sit varie traditur. *Diod. Siculus* scribit, cœlum ex Titæa conjuge suscepisse liberos V. & XL. muliebris sexus duos *Reginam & Opem. Reginam* ætate & prudentia præstantiorem, in gratiam Matris fratres omnes educasse, ideo dictam *Matrem Deûm*, nupsisseque Hyperioni fratri, ex quo Solem & Lunam genuerit: qui cum scelere avunculorum interiissent, ipsam in furorem versam cum tympanis, cymbalisque terram suæ ditionis peragrasse, moremque ejusmodi manisse post ejus fatum. Idem tum addit etiam aliam fabulam. *Menoëm* vetustissimum Phrygiæ Regem ex uxore *Dindymene* filiam procreasse, quam exponi jusserit in monte Cybello: infantem à feris enutritam evasisse in admirabilem pulchritudinem, inventamque à muliere pastoria, educatam pro sua, dictamque à monte in quo esset exposita, *Cybelem*, multas artes ingenii acumine & invenisse, & docuisse mortales; videlicet *cantum tibiæ, lusus, choreas, cymbalorum, tympanorumque sonitus, artem præterea veterinariam, & infantium morbis lenimenta*: quibus quod multi curarentur pueri, idcirco eam *Magnam Matrem* nominatam esse. Cum vero adolevisset; amasse eam juvenem terræ illius nomine *Atym*, ex eoque gravidam factam, à *Menoë* patre, quod famam de virtute factisque ejus acceperat, revocatam esse pro virgine, cognitoque flagitio ejus, *Atym* & nutrices jussu Regis affectos esse supplicio: *Cybelem*, amore incensam ex desiderio *Atys* insaniisse, domoque paterna egressam, solam cum fistula & tympano, sparsis crinibus totam regionem peragrasse dementatam, venisseque in *Nyssam* ad *Dionysium*, aliquod annos post ejus mortem, cum & difficultate annonæ, & morbo in Phrygia laboraretur, oraculo jussos Phryges *Atym* & *Cybelem* venerari: hinc sacra, cæremoniasque *Magnæ matris Deûm* ortas esse. Hæc *Diodor.* Nos *Varronem* sequemur, qui hanc eandem cum Tellure facit: sic enim *August.* Eandem, inquit *Varro*, dicunt *Matrem Magnam*, quod tympanum habeat, significari esse orbem terræ: quod turres in capite, oppida: quod sedes fingantur circa eam, cum omnia moveantur, ipsum non moveri; quod gallos huic Deæ, ut servirent, fecerunt; significat eos, qui semine indigeant, terram sequi oportere, in ea quippe omnia reperiri: quod se apud eum jactant, præcipitur, inquit, quod terram colunt, ne sedeant, semper enim esse quod agant. *Cymbalorum sonitus*, ferramentorum jactandorum ac manuum & cujus rei crepitus in colendo agro quid sit, significat quod ferramenta illa erant ideo ex ære, quod eam antiqui colebant ære, antequam ferrum esset inventum.

Leonem, inquit, adjungunt, solutum ac mansuetum, ut ostendant, esse nullum genus terræ tam remotum, ac vehementer ferum, quod non subigi, colique conveniat. Hæc ex *Varrone Augustin.* Aliam tamen rationem, *Ovid.* ponit de qua alibi. Hujusmodi simulachrum in veteri monumento adhuc conspicitur. Porro hæc Dea etiam *Mater Idæa* appellatur, ab *Ida* monte Phrygiæ, in quo eam *Phrygii* plurimum coluerunt. *Berecynthia* quoque à Berecyntho Phrygiæ monte est dicta.

Dea Pessinuntia, à Pessinunte Phrygiæ oppido, unde Romam transvecta & culta est, quod factum est anno V. C. DLIIX. *P. Cor. Scipione*, qui postea Africanus dictus est, & *P. Licinio Crasso* Coss. tali de causa. Cum eo anno, ut *Livius* scribit, durante bello Punico sæpius lapidibus pluisset, & inspectis libris Sibyllinis carmen inventum esset: *Quandoque hostis alienigena terræ Italiæ bellum intulisset, eum pelli Italia, vincique posse, si mater Idæa Pessinunte Romam advecta esset*: moti eo carmine Patres, legatos miserunt ad Attalum Asiæ regem qui *matrem Deûm* petierunt, ab eoque benigne accepti, ac Pessinuntem in Phrygiam deducti, sacrum lapidem, quem *Matrem Deûm* incolæ nuncupabant, acceperunt, & Romam transtulerunt. Addit *Livius*, Senatum oraculo Delphico, ut eam qui vir optimus Romæ esset, hospitio exciperet, monitum, *P. Scipionem* juvenem adhuc, necdum Quæstorium, virum optimum judicasse, eique munus excipiendæ *Deæ* delegasse. Is igitur cum omnibus matronis Ostiam obviam ire *Deæ* jussus, *Deam* de nave accepit, & matronis in urbem ferendam tradidit. Perlata autem est in ædem *Victoriæ*, quæ est in Palatio, pridie Idus Aprileis. Isque dies festus fuit. Populus frequens

quens dona *Deæ* in Palatium tulit, lectiſterniumque & ludi fuere, *Megaleſia* appellata. Sequenti anno ædem ei propriam in Palatio locarunt *M. Livius*, & *C. Claudius Cenſores*, quam poſt anno DLXII. *Cornelio Naſica*, *M. Acilio Grabrione* Coſſ. dedicavit *M. Iunius Brutus*. Sic enim ſcribit *Livius* in illius anni hiſtoria. Per idem fere tempus ædes *Matris magnæ Ideæ* dedicata eſt. Quam *Deam* is P. Corn. advectam ex Aſia *P. Corn. Scipione*, cui poſtea Africano fuit cognomen, *Licinio Coſſ.* in Palatium à mari detulerat. Locaverant ædem faciendam *M. Livius*, *C. Claudius* Cenſores, *M. Cornelio*, *T. Sempronio* Coſſ. XIII. anno poſtquam locata erat, dedicavit eam *M. Iunius Brutus*, ludique ob dedicationem ejus facti, quos primos *Scenicos* fuiſſe *Antias Valerius* eſt auctor, *Megaleſia* appellatos. Hæc *Livius*. Ædes illa collocatur à *P. Victore* in regione Vrbis. *Cybele* dicta eſt eadem, vel à monte Phrygiæ *Cybelo*, in quo fuit expoſita, ut *Diodorus* ſcribit; vel, ut alii, à *Cybelo* qui primus ejus Deæ Sacerdos fuit. *Feſtus*; *Cybele Mater* quam dicebant *Magnam*, ita appellabatur, quod ageret homines in furorem, quod Græci κύβιβον, ſive (ut alii malunt) κυβυβὸν, dicunt. *Cybele* vero eadem dicta à loco, qui eſt in Phrygia. *Servius* ait, ἀπὸ τοῦ κύβεσθαι τὴν κεφαλὴν, id eſt, à *capitis rotatione* dictam eſſe, quod proprium fuerit ejus Deæ Sacerdotum, qui per furorem motu capitis comam rotantes ululatu futura prænunciabant. *Soſides Atticus* apud *Fulgentium* Placiadem *Cybelem* dici ait, quaſi κύδος βαλεὸν, id eſt, *gloriæ firmitatem*. Quæ præterea ad *Cybeles* hiſtoriam pertinent, ea paulo ante in *Matre Deûm* ſunt explicata.

AD CAP. IV. PARALIPOMENA.

De Saturno & Cybele, ejuſque ſacris & cognominibus.

De primo & antiquiſſimo deorum Saturno omnia vulgata, & Cœli fuiſſe filium, & ſub eo ſæcula aurea, & cum Titanibus pactum iniiſſe, victumque & in Tartarum conjectum Nonnus Dionyſiac. lib. 24. v. 237. & falcem inveniſſe, & patri virilia ſecuiſſe, & filios ex Rhea uxore ſuſceptos dira voracitate deglubere ſolitum & à filio regno dejectum, idem Nonnus lib. 21. v. 249. Dionyſiac. Luctat. Placid. ad v. 44. lib. 8. Thebaid. & ejuſdem vim metuentem in Italiam fugiſſe, totique genti nomen impoſuiſſe, nulli ignotum eſt, quum paſſim tradiderint Mythologi, Fulgentius, Phornutus, Albricus, Palæfatus & alii, qui non deſcribendi, & præ aliis Apollodorus Athenienſis Bibliothec. l. 1. ſub initium: quem & Antipater vetus poëta celebrat lib. 3. Anthologiæ cap. 6. epigr. ult. & citat Apollonii ſcholiaſtes libr. 3. Argonautic. dum Apollodori authoritate uſus oſtendit *Veneri ſacram eſſe columbam, quod libidinoſa ſit avis*, apud P. Victorium var. lect. lib. 3. cap. 14. qui locus in Apollodoro, quem manibus terimus, hodie non extat, ut ſuſpicer non eundem eſſe authorem. adde tres tantummodo libros hujus Apollodori ſupereſſe, quum eum libro decimoquarto περὶ θεῶν citet Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 17. Sed ſatis de Apollodoro, ad Saturnum redeo.

Hunc deum præ aliis vinculis oneratum finxerunt, & à filio per vim interceptum, catenatum, pœniſque addictum, rationem pete ex Luciano lib. de Aſtrologia apud Chriſtophorum Rufum in Antexegematis. Sylla apud Plutarchum ait, Inſulam quandam eſſe in *Cronio mari*, ubi barbari vinctum à Iove Saturnum fabulantur. Sic poëtæ intelligendi. Palladas lib. 1. Antholog. cap. 69.

Εἰ τοὺς ἀνδροφόνους εὐδαίμονας ὄντας ὁρῶμεν,
Οὐ πάνυ θαυμάζω, τοῦ Διός ἐστι γέρας.
Τὸν γὰρ γεννήσαντα μεμισηκὼς καὶ ἐκεῖνος
Κτεῖνεν ἄν, εἰ ὁ Κρόνος θνητὸς ἐτύγχανεν ὤν.
Ἀντὶ δὲ τοῦ κτεῖναι, σὺν τοῖς Τιτῆσι κολάζει,
Δέσμιον ὡς λῃστὴν εἰς τὸ βάραθρον ἐνείς.

Quod homicidas beatos eſſe videmus, non adeo miror: munus enim hoc Iovis eſt. Nam parentem odio habens & ipſe occidiſſet, ſi Saturnus mortalis fuiſſet, ſed pro homicidio ipſum cum Titanibus punit, dum ipſum vinctum tanquam latronem in tartarum mittit. Hercules furens ille à L. Seneca introducitur in tragœdia ejuſdem nominis Act. 4. ſc. 1.

Dubitatur etiam? vincla Saturno exuam,
Contraque patris impii regnum impotens
Avum reſolvam.

Papin. Stat. lib. 8. Thebaid. v. 44.

——— *Habeo jam quaſſa Gigantum*
Vincula, & æthereum cupidos exire ſub axem
Titanas, miſerumque patrem.

Quem locum ſic expoſuit Ægidius Maſerius in doctis commentariis ad Valerium Flaccum, lib. 3. Argonaut.

——— *Fundo veluti cum Cæus in imo*
Vincla Iovis, fractoque trahens adamante catenas
Saturnum Tityumque vocat.

Claudian. l. 1. de raptu:

Si dictis parere negas, patefacta ciebo
Tartara, Saturni veteres laxabo catenas.

Inde in omnibus fanis Romanorum vincula ſtatuis Saturni injecta erant, quæ feſto ipſius ſolvebantur, in memoriam ſecuritatis & fœlicitatis, quam ſub illo egerunt homines. Lucian. in Saturnal. Arnob. contra gentes l. 4. *Nunquid parricidii cauſa vinctum Saturnum, & ſuis diebus tantum vinculorum ponderibus relevari.* Eoque puto Martialem alluſiſſe l. 3. epigr. 29.

Has cum gemina compede dedicat catenas
Saturne, tibi Zoile, annulos priores.

Stat. lib. 1. ſyl. ult.

Saturnus mihi compede exolutus,
Et multo madidus mero December,
Et ridens Iocus, & ſales protervi
Adſint.

Nec Saturnus modo vinctus, ſed & alii, dicam infra ubi *de tutela urbis* agam. Sed quia Saturnaliorum facta eſt mentio, pauca mihi obiter de iis dicenda, licet ſciam Iuſtum Lipſium elegantiſſimos duos, & exquiſitæ lectionis libros eo titulo ſcripſiſſe, & ante illum diligentiſſimum antiquitatis inveſtigatorem Macrobium. Sed illi uberem ex omnibus pene probatis ſcriptoribus meſſem, ego racemationes & ſpicilegia tantum colligo.

Ac primum *ceſſabat Senatus*, neque convocari poterant patres, neque judicia ulla peragi. Sueton. Auguſto cap. 32. & ob id nec cauſidici in forum ventitabant. Martial. l. 7. epigr. 27.

Sic fora mirentur, ſic te pallatia laudent,
Excolat & geminas plurima palma fores.
Otia dum medius præſtat tibi parva December,
Excipe, ſed certa quos legis aure, jocos.

Et recte *medius December*, quia 14. *Calend. Ianuarias celebrata Saturnalia*. Aurel. Macrob. lib. Saturnal. cap. 10. in principio. L. Sen. epiſt. 18. C. Sueton. Calig. cap. 6. in MS. autem ultimus verſus aliter habetur, ſed parvo diſcrimine.

Exigis & certa quos legis aure Iocos.

Feriæ etiam ſtudiorum, clauſæque ſcholæ. C. Plin. Iunior. l. 8. epiſt. 7. *Neque ut magiſtro magiſter, neque ut diſcipulo diſcipulus, ſic enim ſcribis, ſed ut diſcipulo magiſter, nam tu magiſter, ego contra, atque ideo tu in ſcholam revocas, ego Saturnalia extendo, librum miſiſti.*

Martial. l. 5. epigr. ult.

Iam triſtis nucibus puer relictis,
Clamoſo revocatur à magiſtro,
Et blando male proditus fritillo,
Arcana modo raptus à popina,

Ædi-

Ædilem rogat udus aleator,
Saturnalia tranſiere tota.

Dona paſſim per urbem conferebantur, ut ſexcentis locis è Martiali & aliis, obſervarunt critici. Et *Saturnalitia, dona Saturnalibus miſſa*, interpretatur Laurentius de la Barre ad Q. Tertulliani librum, *de fuga in perſecutione. Togas* exuebant, *ſyntheſes* induebant. Vide præter alios, interpretes Martialis ad l. 5. epigr. 80. Plena tunc ludendi comedendique cum dominis ſervis libertas, ut recoleretur memoria aurei & priſci ſæculi, quo *ſumma inter dominos & ſervos æqualitas paritaſque* erat. Vt poëtæ paſſim, & præ aliis Albius Tibull. l. 1. eleg 3. Freculph. Chronic. Tom. 1. lib. 2. cap. 15. C. Iul. Solin. polyhiſt. cap. 3. *In Martio matronæ ſervis ſuis cœnas ponebant, ſicut Saturnalibus domini, illæ ut honore promptius in obſequium provocarent, hi quaſi gratiam repenſarent perfecti laboris.* Et *Verus Auguſtus vernas in triclinium Saturnalibus & diebus feſtis ſemper admittebat.* Iul. Capitolin. in vita ejus adſcribam propter elegantiam fragmentum Accii veteris Tragici ex lib. 1. Annalium, citante Priſciano Cæſarienſi lib. 5.

Maxima pars Graiûm Saturno, & maximæ Athenæ
Conficiunt ſacra, quæ Cronia eſſe iterantur ab illis,
Quumque diem celebrant, per agros, urbeſque fere omnes,
Exercent epulas læti, famuloſque procurant
Quiſque ſuos, noſtrique itidem, & mos traditus illinc
Iſte, ut cum dominis famuli tum epulentur ibidem.

Primus verſus aliter legitur in Macrobii editione Lugdunenſi, l. 1. Saturnal. cap. 7. quod Henric. Stephanus notat:

Maxima pars Graium Saturno, & maxime Athenæ
Conficiunt ſacra.

D. Auſon. eclogario de menſibus:

Aurea nunc revocet Saturni feſta December,
Nunc tibi cum domino ludere verna licet.

Plura infra l. 4. cap. 16. ærarium in ejus templo publicaque pecunia & tabularia populi Romani, ut docebo infra l. 7. c. 31. Illi ſacrum aperto fiebat capite, cum aliis diis tecto. Fulgent. l. 1. Mytholog. *Velato vero capite ideo fingitur*, (Saturnus) *quod omnes fructus foliorum obnupti tegantur umbraculo.* Feſt. Pompeius l. 17. *Saturnia, Italia, & mons qui nunc eſt Capitolinus, Saturnius appellabatur, quod in tutela Saturni eſſe exiſtimantur. Saturnii quoque dicebantur, qui caſtrum in imo clivo Capitolino incolebant, ubi ara dicata ei deo ante bellum Troianum videtur, quia apud eam ſupplicant apertis capitibus. Nam Italici authore Ænea velant capita, quod is cum rem divinam faceret, in littore Laurentis agri Veneri matri, ne ab Vlyſſe cognitus interrumperet ſacrificium, caput adoperuit, atque ita conſpectum hoſtis evitavit.* Et poſt: *Saturno ſacrificium fit aperto capite.* Idem lib. 10. *lucem facere dicuntur Saturno ſacrificantes, id eſt, capita detegere.* Scio, illud & in Herculis ſacrificio factitatum, ut notatum aliis ex Aurelio Macrob. lib. 3. Saturnal. cap. 6. ſed illud de hujus dei cæremoniis debere intelligi, facile eſt & obvium ex Servio Honorato argumentum, qui ad lib. 3. Æneid. *Sane ſciendum*, inquit, *ſacrificantes diis omnibus caput velare conſuetos, ob hoc ne ſe inter religionem vagis aliquid offerret obtutibus, excepto tantum Saturno, ne numinis imitatio eſſe videretur, quia Saturno capite velato incenditur.* Emendavit doctiſſimus Meurſius Exercit. part. 2. c. 21. *quia Saturno capite velato ibi cernitur*, & ipſe Virgilius loco laudato:

Et poſitis aris jam vota in littore ſolves,
Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter ſanctos ignes in honore deorum
Hoſtilis facies occurrat & omnia turbet.

PARALIPOMENA.

De Cybeles Sacris, Archigallis, Tympanis, buxo, cymbalis.

De *Cybele*, *Rhea*, aut *Berecynthia*, ſeu *magna deorum matre*, omnia vulgata; & quod ejus nomine intelligatur *terra*, communis omnium mater, docuerunt abunde naturalis hiſtoriæ ſcriptores.

Hinc & T. Lucret. lib. 2. de Nat. rer.

Muralique caput ſummum cinxere corona,
Eximiis munita locis quod ſuſtinet urbes.

Multa Dionyſ. Lambinus ibi. Serv. ad verſ. 113. lib. 3. Æneid. *Quod autem turritam geſtat coronam, oſtendit ſuperpoſitas terræ eſſe civitates, quas inſignitas turribus conſtat.* Idem ad l. 10. Æneid. verſ. 254. *Civitates turritæ, quas terra gerit, unde cum turrita corona mater Deûm pingitur.* Et ipſe Virgilius:

Alma parens Idæa deûm, cui Dindyma cordi,
Turrigeræque urbes.

Nec plures in re obvia citabo: unus Claudianus ſatis erit. Is lib. 1. de Raptu:

Non buxus, non æra ſonant, blandique leones
Submiſere jubas, adytis gaviſa Cybelle
Exilit, & pronas intendit ad oſcula turres.

Et lib. 1. in Eutropium:

Aurea ſanctarum decus immortale comarum
Defluxit capiti turris, ſummoque volutus
Vertice, crinalis violatur pulvere murus.
Obſtupuere truces omen Corybantes.

Et lib. 3. de laud. Stilich.

——— *Huc orgia ſecum*
Tranſtulit, & Phrygios genitrix turrita leones.

Interim ſupplendus Fulgentius Mythologicon lib. 3. cujus codici inhæſit hactenus mendum: *Ideo turrita pingitur, quod omnis potentiæ elatio ſit in capite, ideo leonum currui præſidens, quia omnis potentia regno ornata ſit.* Qui locus mancus eſt procul dubio, nec ſenſus completi; itaque ſupplendus ex MS. hoc pacto: *Ideo leonum currui præſidens, quia omnis potentia etiam virtuti dominatur, ideo multiplici veſte, quod omnis potentia ornata ſit.*

Cybelem eandem etiam eſſe cum *dea Syria* docuit Philippus Beroaldus in Annotation. in var. author. nominis etymologia Feſto l. 3. traditur ſic: *Cybele mater quam dicebant magnam, ita appellabatur, quod ageret homines in furorem, quod Græci κίβιβον dicunt. Cybele vero eadem dicta à loco, qui eſt in Phrygia.* Malim à luco; nam lucum pineum ei ſacrum fuiſſe, docebo paulo infra. Et pro κίβιβον, malim κύβηλον. At Fulgentius ſupra *Cybele, quaſi κύβος βαλειὸν, firmitas gloriæ.* Serv. proxime citatus, ἀπὸ τοῦ κυβιστᾶν τὴν κεφαλήν. *à capitis rotatione, quod proprium eſt ejus ſacerdotum.* L. Apul. lib. 8. Mileſiar. *Diuque capite demiſſo, cervices lubricis intorquentes motibus, crineſque pendulos rotantes, in circulum, & nonnunquam ſuos incurſantes muſculos, ad poſtremum ancipiti ferro, quod gerebant, ſua quiſque brachia diſſecant.* Aut ut in MS. melius, *diſſicant*. Sidon. Apollinar. Carm. 5.

——— *Fortique lacerto*
Diſſicit ancipiti miſerabile ſynciput enſe.

Martian. Capell. lib. 2.

Aurora primo convenuſtans habitu,
Surgens feneſtras diſſicarit lumine.

Sil. Italic. lib. 3. Punicor.

Impactum pelagus laceratæ viſcera terræ
Diſſicit.

Paul. Silentiar. lib. 7. Anthol. epigr. 46.

Certe igitur *caput torquere, crinem rotare, totumque corpus circumagere* ſolebant *Corybantes*, aut ut loquitur Nonius Marcellus, cap. 4. jactare, id eſt, excutere, movere. Varro Terentius apud Nonium in Caſtum:

Nam quæ venuſtas hic adeſt Gallantibus,
Quæ caſta veſtis?

Gallantes ſunt inſani, furioſi, à Gallis matris deûm. Turneb. lib. 29. cap. 20. Eudæmonib. vel ut in aliis, in Eumenidib.

——— *Tibi nunc ſemiviri teretem comam*
Volantes jactant Galli.

C. Tacit. libr. 11. Annal. *Ipſa crine fluxo, thyrſum quatiens, juxtaque Silius hedera vinctus, gerere cothurnos, jacere caput.* Vlpian. IC. lib. 1. *ad Edictum curulium: Apud Vivianum quæritur, ſi ſervus inter fanaticos non ſemper caput jactaret, & aliqua præfatus eſſet, an nihilominus ſanus videretur.* Plutarch. l. 1. Sympoſiac. cap. 6. & Guillel. Budæus ad legem dictam in an-

 notatio-

notationibus doctiſſimis ad Pandectas. Æl. Lamprid. in Heliog. *jactavit autem caput inter præciſos fanaticos.* Claudian. l. 1. in Ruffinum:

Iam regale tumens, & principe celſior ibat,]
Collaque fœmineo jactabat mollia geſtu.

Idem lib. 2. in Eutrop.

Quis melius vibrata puer vertigine molli
Membra rotet.

M. Lucan. lib. 1. v. 565. Pharſaliæ:

——— *Cecinere deos, crinemque rotantes*
Sanguineum, populis cecinerunt triſtia Galli.

Ærea tympana & *buxus* in hujus ſacris locum habebant. Lib. 3. Æneid.

——— *Corybantiaque æra.*

Et Claudianus lib. 1. de raptu ſupra citatus:

Non buxus, non æra ſonant.

Sic Sil. Ital. lib. 17.

Circum arguta cavis tinnitibus æra ſimulque
Certabant rauco reſonantia tympana pulſu,
Semivirique chori.

Ovid. lib. 3. Faſtor.

——— *Ida ſonat tinnitibus æris acuti,*
Tutus ut infanti vagiat ore puer.

Et lib. 5. Faſtor.

——— *Tinnitus æra repulſa dabant.*

Vbi æra puteni non tympana tantum ſignificari, *ærea*, aut *ferrea*, licet ſciam Dactylos Idæos ferrum inveniſſe, quod multi prodiderunt. Freculph. Chron. tom. 1. libro 2. capite 10. ſed etiam & nolas. Stat. libro 1. Achill.

——— *Paulumque exercita pulſu*
Æra tacent.

Auſon. Epiſt. 25. qui locus elegans:

Cymbala dant flictu ſonitum, dant pulpita ſaltu
Icta pedum, tentis reboant cava tympana tergis,
Iſiacos agitant Mareotica ſiſtra tumultus,
Nec Dodonæi ceſſat tinnitus aheni,
In numerum quoties radiis ferientibus icta,
Reſpondent dociles moderato verbere pelves.

Campanarum igitur ſeu nolarum uſus in ſacris Cybeles, aut matris deûm receptus, ut ex variis authoribus probat Hadrianus Iunius libr. 3. Animadverſor. cap. 11. erant & in oſtiis, ad pulſum ciendum, quo Ianitores evocarentur. Viri docti ad C. Sueton. in Auguſto cap. 91. *Cum dedicatam in capitolio ædem Tonanti Iovi aſſiduè frequentaret, ſomniavit queri Capitolinum Iovem ſibi cultores abduci, ſeſeque reſpondiſſe, Tonantem pro Ianitore ei appoſitum, ideoque mox tintinabulis faſtigium ædis redimivit, quod ea fere januis dependebant.* Præterea apud Græcos vigiles in cuſtodiendis civitatum muris, tintinabulis mutabantur, Thucydid. libr. 4. ad finem. Illud quoque à doctis animadverſum eſt, ante triumphantis currum nolam geri ſolitam: Zonaras Monachus Drungarius Tom. 2. Annal. in Camilli triumpho. pag. 32. Cujus rei ea ratio, *ne triumphator ſuperbiret ſupra quam par eſſet, ſed ut ſciret ſe legibus ſubditum, & poſſe vel extremo affici ſupplicio, aut nolam ſontibus appendi ſolitam geſtare*; quod ob id factum, *ne civis, aut carnifici aut damnato occurrens pollueretur.* M. Accius Plautus Pſeudolo Act. 1. ſc. 3.

——— *Lanios inde arceſſam duos cum tintinabulis,*
Eadem duo greges virgarum inde ulmearum adegero
Vt hodie ad litationem huic ſuppetat ſatias Iovi.
In malam crucem iſtic ibit Iupiter lenonius.

Sed ad *Curetas* aut *Corybantes* magnæ matris Sacerdotes redeo, qui & *Idæi Dactyli* dicti. Solin. Polyhiſt. cap. 17. & *lares.* Iul. Hygin. Fabular. cap. 139. his qui præerat, *Archigallus* nominabatur. Flor. Tertullian. lib. de Reſurrect. carn. *Et tamen calicem non dico Venerium, in quem mors aliqua ructaret, ſed fictricis, vel Archigalli, vel gladiatoris, aut carnificis, ſpiritu infectum, quæro an minus damnes quam oſcula ipſorum?* Vbi quid per *fictricem* intelligat, ego ingenue fateor me hactenus ignoraſſe, itaque puto legendum, *Frictricis.* Nam impudicæ, lamiæ, balneatrices, aut quadrantariæ fœminæ, ut eſt apud Quintilianum, frictu pruriginem concitabant. Sed nimium in re tam obſcæna velitatum. Ita Laurentius de la Barre legit. alii *Archithrecis*, ut ſit gladiatoris nomen, Guiliel. Canter. Novar. lection. l. 4. c. 12. Sed cum gladiatoris mentio à Tertulliano deinceps habeatur, puto priorem lectionem meliorem. Huic in omnes Gallos ſeu Cybeles Sacerdotes erat ſummum imperium. Idem Tertullian. Apologet. cont. gent. cap. 24. *Archigallus ille ſanctiſſimus, die 19. Calend. Apriles, quo ſanguinem impurum lacertos quoque caſtrando libabat, pro ſalute Imperatoris Marci jam interempti, ſolita æque imperia mandavit.* Hic primus Cymbala prælata in illis ſacris pulſabat. D. Iuvenal. Sat. 9. v. 62.

Cymbala pulſantis legatum fiet amici.

Vetus Scholiaſtes: *Archigalli cymbala percutientes, ac per hoc Gallo, inquit, legetur, id eſt, legatario donabitur.* Ita intelligo Claudianum lib. 1. in Eutrop.

Vel ſi ſacra placent habeas pro Marte Cybellen
Rauca Celæneos ad tympana diſce furores:
Cymbala ferre licet, pectuſque illidere pinu,
Inguinis & reliquum Phrygiis abſcindere cultris.

Cymbala ferre, recte dictum, ad officium Archigalli deſignandum. M. Varro ὄν⊛ λύρα. *Non vidiſti ſimulachrum leonis ad Idam è loco, ubi quondam eum quum vidiſſent quadrupedem Galli tympanis adeo ferunt manſuetum, ut tractarent manibus.* T. Lucret. lib. 2.

Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum
Concava.

Atque inde quoſcumque effæminatos, tympana vel cymbala geſtare dicebant. M. Plaut. Trucul. ſc. Ite.

Mœchum malacum, cincinnatum, umbraticolam, tympanotribam
Amas? hominem non nauci?

Quod ſcilicet enervatiſſimi molliſſimique & eſſent, & haberentur hi Galli, qui Matri magnæ, cum tympanis, operabantur. Virgilius l. 4. Georg. v. 64.

Matris quate cymbala circum.

Ariſtænet. libr. 1. epiſtol. 10. & τυμπανισμὸς Florenti Chriſtano vertitur, *ſonus tympani.* in Lyſiſtrata Ariſtophanis, pagin. 860. P. Ovid. Epiſt. Phædræ Hippolyto:

Quæque ſub Idæo tympana colle ſonant.

Nec tantum in Cybeles ſacris uſus Cymbalorum & tympanorum, ſed etiam in Bacchi orgiis. Sidon. Apollinar. Carm. 5. verſ. 496.

——— *Rotat enthea thyrſum*
Baſſaris, & maculis Erythrea Nebridos horrens,
Excitat Odryſios ad marcida tympana myſtas.

Valer. Flac. Argonautic. l. 7. de Penthei cæde:

Tympanaque & mollem ſubito prior accipit haſtam.

Et lib. 8. in fine:

——— *Qualem Ogygias cum tollit in arces*
Bacchus, & Aoniis illidit tympana truncis.

Secundus vetus poëta in Anthologia lib. 4. cap. 12. Epigr. 63.

Τύμπανα καὶ θύρσον βρομίου ζηνὸς ἢ κεραυνόν.
Tympana & thyrſum Bacchi, & Iovis fulmen.

Pinus ei dicata, propter *Atym* puerum formoſum, ſibique dilectum, ſub illa arbore jacentem. Servii narratio eſt fuſa lib. 9. Æneid. verſ. 116. *vel in eam Atys fuit mutatus*, ut eſt in Ovid. lib. 10. Metamorphoſ. ut alios omittam, eleganter deſcripſit Q. Catullus Epigr. 61. ubi formæ elegantiæ præclarum encomium, ſolemniſque ritus ſacrificiorum deſcribitur. Omnia ſunt pulcherrima, ſed tollendum tamen inde mendum, ſic ergo ipſe Atys;

Ego mulier, ego adoleſcens, ego ephebus,
Ego puer,
Ego gymnaſii fui flos, ego eram decus olei.

Quid? Atys mulier? fortean effæminatorum uſibus applicandus, at non ille in eum deæ amor. Lege igitur:

Ego inuber, ego adoleſcens.

Inuberes enim oſtreas A. Gellius, libr. 20. cap. 7. *inuberes macraque eſſent. Inuberes infantes* Feſtus Pompeius dixit. Luctat. Placid. ad libr. 10. Thebaid. v. 146. *Pinus quæ colitur in ſacris Matris deûm, ſub quo jacuit Atys Matri deûm dilectus.* Et ipſe Statius:

Sis

Sic Phryga terrificis genitrix Idæa cruentum
Elicit ex adytis, conſumptaque brachia ferro
Scire vetat, quatit ille ſacras in pectora pinus,
Sanguineoſque rotat crines.

Accius in Bacchis apud Nonium cap. 10. n. 12.

Lætum in Parnaſſo inter pinos tripudiantem,
In circulis, ludo, atque tædis fulgere.

Virgilius inducit Cybelen Iovem alloquentem l. 9. Æneid.

Pinea ſylva mihi multos dilecta per annos,
Lucus in arce fuit ſumma.

Serv. Maurus ibi. *Pinus in tutela Matris deûm eſt.* & ad v. 116. ejuſdem libri. *Mater magna inſtituit, ut quotannis in ſacris ſuis plangeretur, pinumque arborem ſub qua jacuerat, tutelæ ſuæ adſcripſit, & effecit ut cultores ſui viriles partes ſibi amputarent, qui Archigalli appellantur.* Arnob. l. 5. cont. Gen. *Quid ſibi vult illa pinus, quam ſemper ſtatis diebus in deûm matris intermittitis ſanctuario? nonne illius ſimilitudo eſt arboris, ſub qua ſibi furens manus & infælix adoleſcentulus intulit, & genitrix divûm in ſolatium ſui vulneris conſecravit?* Et eodem libro ad finem: *Pinus illa ſolenniter quæ in matris infertur ſanctum deæ, nonne illius imago eſt arboris, ſub qua ſibi Atys virum demeſſis genitalibus abſtulit? & quam memorant divam in ſolatium ſui conſecraviſſe mœroris?* Claud. l. 1. in Eutrop. ſupra laudatus, & lib. 1. De Raptu:

Hic ſedes auguſta deæ, templique colendi
Religioſa ſilex, quam pinus obumbrat
Frondibus.

Sed novam rationem allatam audiamus ex Aurelio Prudentio in Romano Martyre:

An ad Cybelles ibo lucum pineum?
Puer ſed obſtat Gallus ob libidinem,
Per triſte vulnus, perque ſectum dedecus,
Ab impudicæ tutus amplexu deæ.

Per multa matri ſacra plorandus ſpado.

Audiendus & Iul. Firmicus de errore profanar. Relig. *In ſacris Phrygiis, quæ matris deûm dicunt, per annos ſingulos arbor pinea cæditur, & in media arbore ſimulachrum juvenis ſubligatur.* Denique & in ejus tutela buxum reponunt, quod ex illa arbore fiſtulæ fierent. Luctat. Placid. libr. 8. Thebaid. Stat. verſ. 222. libr. 9. Æneid. *biforem dat tibea cantum.* Et de modo Phrygio ſeu lugubri, alibi dicendi eſt locus. poëtas tantum advocabo. Claudian. l. 1. de raptu:

Non buxus, non æra ſonant.

P. Virgil. in Ceiri, v. 166.

Sæpe velut gelidis Ciconum Biſtonis in oris,
Ictave barbarico Cybeles antiſtita buxo
Infælix virgo tota bacchatur in urbe.

Valer. Flacc. Argonautic. l. 2.

——— *Sacris hinc ignibus Ida*
Vibrat, & horriſonæ reſpondent Gargara buxo.

Sidon. Apollinar. Carm. 9. v. 202.

Non hic Dyndyma, nec crepante buxo
Curetas Berecynthiam ſonantes.

Papin. Surcul. Stat. lib. 2. Thebaid. v. 663.

——— *Celenæa committere prælia buxo.*

Et lib. 5. v. 94.

——— *Cum ſacra vocant, Idææque ſuadet*
Buxus.

Et lib. 8. v. 221.

——— *Gemina æra ſonant, Idææque terga,*
Et moderata ſonum vario ſpiramine buxus.

Nec tantum in ſacris Berecynthiæ, ſed etiam & Bacchi uſus erat *buxeæ fiſtulæ*, forte quod *immortalitas deorum majeſtati conveniret, & hæc arbor cariem nunquam patiatur*; ut ex rerum naturalium ſcriptoribus proditum eſt, & in ſacris Liberi patris buxum receptam loquitur Statius idem, & Luctatius exponit tibiam ad v. 480. l. 9. Thebaid.

Fœmineis experte choris, cum bacchica mugit
Buxus, & inſanæ maculant trieterida matres.

Niſi forte placet ratio ab Andrea Alciato eruditiſſimo IC. Emblem. 207. quæ mire amoribus Cybeles quadrat:

Deliciis apta eſt, teneris & amantibus arbor:
Pallor ineſt illi, pallet & omnis amans.

Illud autem obliviſcendum non duxi, hujus tibiæ inventores eſſe Phryges in honorem hujus deæ. Iul. Pollux Onomaſt. l. 4. cap. 10. Num. 1. & tibiæ quidem materia ponitur ab eodem, κάλαμ⊛, ὁ χαλκὸς, ὁ λωτὸς, ἡ πύξ⊛, ὁ κέρας, *arundo, æs, lotus, buxus, cornu.* eodem libro cap. 9. Num. 6.

Porro quum tam multa de his ſacris, & tam varia plerique tradiderint, mirum venationem non commemoratam ipſius deæ, & Atyos, quum multis Catullus epigr. 62. eam proſequatur. Ego locum ex Iulio Firmico, eleganti mehercule de errore profanarum religionum libro, producam. *Tauribolium vel Criobolium ſcelerata te ſanguinis labe perfundit.* Antea male legebatur: *Tauribolium, vel Oriobolium.* Scio in Suida legi ταυροπόλαν Dianam dici, quod *omnia, ut taurus, circuit.* Et eadem *quod proſternat feras*, ταυροβόλ⊛ appellata eſt eodem authore. Heſychius Grammaticus ταυροπόλη, ἡ ἄρτεμις. *Tauropola, Diana.* At non Dianæ hæc cognomina ſoli convenire, ſed etiam Magnæ matri, loquuntur duæ inſcriptiones vetuſtæ, quas à Ioanne à Wouver ſubminiſtratas hic apponam.

M. D. M. I. ET. ATTINIS.

L. CORNELIVS. SCIPIO. OREITVS.
V. C. AVGVR. TAVROBOLIVM.
SIVE. CRIOBOLIVM. FECIT.
TVSCO. ET AMVLLINO. COSS.

Alterius Inſcriptionis hæc ſunt verba:

DIs. MAGNIS.

MATRI. DEVM. ET. ATTIDI. SEXTILIVS. AGESILAVS.
ÆDISIVS. V. C. CAVSARVM. NON. IGNOBILIS.
AFRICANI. TRIBVNALIS. ORATOR. TAVRIBOLIO.
CRIOBOLIOQVE. IN ÆTERNVM. RENATVS.
ARAM. SACRAVIT. DD. NN. VALENTE. V.
ET VALENTINIANO. IVNIOR. AVGG. COSS.

Quando illa in urbem recepta fuerint ſacra, Peſſinuntemque miſſi, qui deam arceſſerent, quid attinet dicere? cum ex Strabone Amaſeno lib. Geograph. 10. peti poſſint, & hiſtoricis, T. Livio 3. Decad. l. 9. C. Sueton. in Tiber. c. 2. Sil. Italic. 17. Punicor. in principio, & aliis.

CAP. V.

De Iove.

HISTORIAM Deorum incipi à *Iove*, æquum erat, ſi communem veterum opinionem, qui eum pro ſummo & principe Deorum habuerunt, ſequi voluiſſem: ſed plus apud me valuit ordinis ratio, quæ parentes filio præponi ſuadebat. Cum igitur de *Iano*, qui *Deus Deorum* in Carminibus Saliaribus dictus fuit, tum de *Saturno* & *Rhea*, ſive *Ope* hactenus dixerim, ſequitur jam *Iupiter* de quo hoc cap. agemus.

IVPITER ſecundum *Agellium*, *Macrobium*, & alios, dicitur quaſi *juvans pater.* Cicero ipſe,

Iupiter,

Iupiter, id est, *juvans pater*, quem conversis casibus appellamus à juvando *Iovem*, à Poëtis *Pater divúmque hominumque* dicitur. Sunt qui *Iovis* nomen ab Hebraico יהוה *Iehova* ortum esse velint, quod à veritate non videtur usque adeò esse alienum. *Ioves*, inquit Cic. tres numerant illi, qui Theologi nominantur: ex quibus primum & secundum natos in Arcadia, alterum patre *Æthere*, ex quo etiam *Proserpinam* natam ferunt & *Liberum*: alterum patre *Cœlo*, qui genuisse *Minervam* dicitur, quam principem & inventricem belli ferunt. Tertium Cretensem Saturni filium: cujus in illa insula sepulchrum ostenditur. *Varro* alicubi scribit, se ex varia lectione *Ioves* CCC. invenisse, qui hinc inde in terrarum orbe fuerint culti. Sed nos de *Cretensi Iove* dicemus, qui *Saturni & Rheæ* sive *Opis* filius fuit: de quo, quis fuerit, & quibus de causis divini honores ipsi sint exhibiti, hæc tradit *Diodorus Siculus*: De *Iovis* genere, atque imperio dubitatur: nam quibusdam placet, postquam *Saturnus* ad Deos transiit, suscepisse regnum, non vi patrem expulisse, justeque & legitimè regno potitum. Alii *Saturno* volunt in ortu filii responsum, fore ut ab *Iove* vi regno pelleretur. Quæ res *Saturnum* impulerit, ut filios sæpius perimeret. Id ægrè ferens *Opis*, cum viri animus placari non posset, *Iovem* in Ida ab se editum, clam nutriendum *Curetibus*, juxta Idæ montem habitantibus dedit. Hi in antrum ad Nymphas, commendata illis infantis cura, detulerunt. Lacte capræ, quæ *Amalthea* dicta est, melleque educatus est. In Ida antrum, ubi nutritus dicitur, sacrum est, & circa illud, prata manent intacta. *Capræ*, quæ eum nutriit, & alii sunt honores impensi; & locus ejus est *Ægiochus* vocatus. Adolescentiam egressus, in Ida ubi genitus est, civitatem condidit, cujus postmodum destructæ etiamnum extant reliquiæ. Excessit hic Deus fortitudine, & cæteris virtutibus omnes: accepto enim post *Saturnum* regno maxima, plurimaque contulit ad hominum vitam. Primus omnium justitiam docuit mutuo servari inter mortales, omni vi atque injuria remotis. Lites ac contentiones judicio auferens, singula, quæ ad bene vivendum ac pacem pertinerent, summa ope procuravit. Bonos ad virtutem exhortatus est: improbos timore coërcuit ac pœna: omnem pepus & *Gigantes* ab eo sublatos ajunt: in Creta quidem *Milinum*, in Phrygia *Typhonem*. Ante pugnam quæ cum Gigantibus in Creta habita est, *Iovem* sacrificasse dicunt, *Soli*, cœlo, ac terræ bovem. Quæ sacra *Iovem* fore superiorem portendentia, primum vires, & ab hostibus defectionem, tum finem belli futurum monstrârunt. *Musæus* quippe ab eis descivit, obque id ei honores tributi: à Diis autem omnes hostes cæsi sunt. Sed & alios quoque Diis præsidium belli tulisse adversus *Gigantes* constat. Macedones quidam circa Pallenam, in campo quem olim à loci conflagratione *Phlegræum*, postmodum *Cymæum* cognominarunt; animadversum esse ab Iove in Gigantes ob eam causam dicunt, quod magnitudine ac robore corporis confisi, adversique legibus & multa egerint in homines injusta, & propinquas gentes in servitutem redegerint, bellumque his intulerint, qui ob singularia in omnes nationes beneficia *Dii* sint existimati. Feruntur ab *Iove* non solum impii, nefariique deleti, sed etiam Diis, heroibusque ac hominibus benemeritis honores impensi. Propter ejus beneficentiam, imperiique magnitudinem, omnium consensu & regnum perpetuum tributum est, & habitatio in Olympo. *Sacrificia* insuper illi super cæteros statuta. Posteà verò quam in cœlum delatus est, memoria nominis ejus animis hominum, in quos beneficia contulit, adeò infixa permansit, ut omnium, quæ in cœlo fierent, velut imbrium, tonitruum ac fulminum, cæterorumque ejusmodi potens existimaretur. Itaque quod vitæ causa hominibus esse videretur, cum fructus terræ ad maturitatem perduceret, *Iovem* dixêre. Patrem verò, tum quia singulorum susceperit summa cum benevolentia curam; tum quia tanquam Dux hominibus extiterit rectè vivendi imperator ac Rex, ob imperii amplitudinem: consultor ac providus, propter consulendi prudentiam appellatus est. Hactenus *Diodorus*: unde discimus, quæ prima origo colendi Iovis fuerit. Simulachrum ejus pro diversa illi potestate attributa, variè fuit effictum. Pingebatur, ut ait *Albricus*, in throno eburneo in sua majestatis sede sedens: *sceptrum regium* in manu sinistra tenens: altera verò *fulmina* ad inferos mittens, & *Gigantes* repressos fulmine, tenens sub pedibus, & conculcans. Iuxta eum verò quædam *aquila*, quæ volans inter pedes suos quendam pulcherrimum juvenem, scilicet *Ganymedem*, raptum portabat, habentem in manu *craterem*, ut Iovi poculum propinaret. Hæc in genere de Iove ex traditione *Diod. Siculi*, cum quo etiam sentiunt *Apollodorus*, *Servius* Grammaticus & alii. Iam verò etiam de cognominibus, quæ Iovi à Romanis indita, & de templis, quæ in honorem ejus constructa fuerunt, agamus. Prima appellatio, quæ in Romana historia occurrit, est *Iovis indigetis*, qua consecratus fuit *Æneas*. Cùm enim post prælium cum Rutulis & Mezentio gestum, non amplius appareret, & alii eum ad Deos discessisse, alii necatum in flumine apud quod pugnaverant, conjectarent, Latini sacellum ipsi dicaverunt cum inscriptione hac: PATRI DEO INDIGETI, QVI NVMICI AMNIS VNDAS TEMPERAT. *Dionysius*: qui tamen addit, esse, qui id sacellum *Æneam* dicasse *Anchisæ* defuncto ante hoc bellum anno proximo scribant: & esse tumulum non magnum, & circùm dignas spectatu in ordinem digestas arbores. *Livius* apertè testatur, Æneam *Iovem Indigetem* nuncupatum fuisse; cum quo *Festus* & alii. Aliàs *indigetes Dii* dicti fuerunt ii, qui ex hominibus inter Deos sunt relati, quòd scilicet nullius rei egeant; vel quòd in Diis agerent, qui ex hominibus ad divinitatem pervenissent. Aliorum derivationes prudens omitto. *Æneæ indigetis* etiam *Ovidius* lib. 14. Metam. & *Tibullus* lib. 2. meminerunt.

IOVIS INVENTORIS appellatio ab Hercule originem traxit: cum enim *Hercules* cum bobus Geryonis in agrum Palantinum pervenisset, & ibi boni pabuli nactus copiam, armenta per pascua dimisisset; ipse autem labore fessus procubuisset, somnoque se dedisset, latro quidam ejus loci, *Cacus* nomine, paucas aliquot, Hercule dormiente, abegit, & in propinquam speluncam, ubi degebat, abdidit; quas aversas unam post aliam, caudis eò traxerat, ut quærentem indicium falleret, vestigiis in contrariam partem ducentibus. *Hercules* somno excitus: cum recensuisset numerum, & aliquot boves sensisset deesse, ad speluncam *Caci* contendit, & *Caco* devicto atque ad terram prostrato, boves suas recepit, & eduxit, speluncam etiam diruit: cumque cædem expiasset aqua fluminis: in proximo aram *Iovi inventori* posuit, quæ est Romæ prope portam geminam, & ob inventas boves Deo juvencum unum sacrificavit. Hæc sacra, inquit *Dionysius*, etiam ætate mea Romani Græco ritu faciunt, quemadmodum ab illo instituta sunt. Meminit hujus historiæ *Ovid.* lib. Fast. *Virg.* lib. 8. Æneid. *Livius* lib. 1. *Aræ Iovis inventoris* mentio fit à *P. Victore* & *Onuphrio Panvinio* in regione Vrbis XI. quæ dicitur *Circus maximus*.

IVPITER FERETRIVS à *ferendo* vel *feriendo* hostem dictus, à Romulo consecratus est, testibus *Livio*, *Dionysio*, *Plutarcho* & aliis. *Sext. Pompon. Festus*: *Feretrius Iupiter* dictus à *ferendo*, quod pacem ferre putaretur. De templo *Iovis Feretrii*, quod Romulus condidit in monte Capitolino, quodque in IIX. Vrbis Regione à *P. Victore* collocatur, sic scribit *Livius*: Romulus duce hostium occiso, Vrbem primo impetu capit, inde exercitu victore reducto, ipse cum factis vir magnificus, tum factorum ostentator haud minor, spolia ducis hostium cæsi suspensa, fabricato ad id aptè ferculo, gerens in Capitolium ascendit: ibique ea cum ad quercum pastoribus sacram deposuisset, simul cum dono designavit templo *Iovis*, fines, cognomenque addidit *Deo*. *Iupiter Feretri*, inquit, *hæc tibi Victor Romulus Rex regia arma fero, templumque iis regionibus, quas modo animo metatus sum, dedico sedem opimis spoliis, quæ Regibus, ducibusque hostium cæsis me auctorem sequentes posteri ferent.* Hæc templi est origo, quod primum omnium Romæ sacratum est. Hactenus *Livius*. Cum quo *Dionysius*. *Romulus*, inquit, in Capitolino vertice *Iovi Feretrio* templi spatium designavit, non magnum. Adhuc enim servatur vetus ejus vestigium vix XV. pedum longitudine, quo infert opima de Cæninensium Rege spolia. Tecta hujus templi ob vetustatem, & Romanorum negligentiam collapsa, restituit Aug. *Cornel. Nepos* in vita Attici. Ex hoc templo sumebant Romani *sceptrum*, per quod jurarent, & *lapidem silicem*, quo fœdus ferirent. De *Iove Feretrio* extat elegia *Propertii* lectu dignissima, quam sic concludit:

——— *Causa Feretri,*
Omine quod certo dux ferit ante ducem.
Seu quia victa suis humeris hæc arma ferebant,
Hinc Feretri dicta est ara superba Iovis.

IVPITER STATOR, à *sistendo* dictus est, eique Romæ templum dicatum hac de causa. Cum Sabini ad ulciscendam injuriam sibi in raptu filiarum à Romanis illatam, arma adversum eos movissent, & quidem arcem Tarpejam jam cepissent, Romanos etiam in fugam vertissent, *Romulus*, qui & ipse fugientium turba agebatur, manus ad cœlum attollens, fere his verbis *Dei* opem imploravit, & votum de ædificando ei templo fecit: *Iupiter* tuis jussus avibus hic in Palatino prima Vrbi fundamenta jeci, arcem jam scelere emptam Sabini habent, inde huc armati superata media valle tendunt. *At tu pater Deûm hominumque, hinc saltem arce hostes, deme terrorem Romanis, fugamque fœdam siste. Hic ego tibi templum Statori Iovi, quod monimentum sit posteris tua præsenti ope servatam esse Vrbem, voveo, &c.* Hæc ferè *Livius*, cui consentit *Plutarchus*. Et *Dionysius* scribit, *Iovem Statorem* dictum, quod exercitum Romuli fugientem post preces stare fecisset, & uti viribus. Alii à *stando* nomen eum habere volunt. *Seneca* contra historiæ fidem, sed tamen non male, *Statorem* dictum ait, quòd ejus beneficio stent omnia. In antiquis nummis conspicitur ejus simulachrum, forma nuda, dextra hasta nitens, sinistra fulmen habens. Templum quod ei à Romulo extructum est, situm fuit in Palatii radice, uti *Cicero* testatur, quanquam sint qui non templum, sed delubrum à Romulo ædificatum esse velint in Circo Flaminio. Templum autem hoc à *M. Attilio Regulo* Consule in bello Samnitico votum, & posteà extructum: qua de re *Livii* verba adscribere libet. *Inter hæc*, inquit, *(de prælio cum Samnitibus loquens) Consul manus ad prælium attollens, voce clara, ita ut exaudiretur, templum Iovi Statori vovet, si constitisset à fuga Romana acies, redintegratoque prælio cecidisset, vicissetque legiones Samnitium.* Et paulò post: Fabium ait scribere bellum à Samnitibus in Etruriam translatum, & ad Luceriam pugnatum: in qua pugna *Iovis Statoris* ædes vota sit, ut Romulus antè voverit: sed fanum tantum, id est, locum templo effatum, jam sacratum fuisse. Cæterum hoc demum anno, ut ædem etiam fieri Senatus juberet, bis ejusdem voti damnatam Rempubl. in religionem venisse. Hæc ille. *A P. Victore* delubrum collocatur in regione IX. quæ dicitur *Circus Flaminius*. Templum in regione X. cui nomen *Palatium*. Marlianus scribit, quod tempore Neronis hoc templum exustum, nunquam fuerit restitutum. Delubrum *Iovis Statoris* etiam *Terentius Varro*, citante *Macrobio*, in Circo Flaminio fuisse scribit, quod *Vitruvius* prope Porticum Metelli fuisse dicit. Et hoc fortasse à *M. Attilio Regulo* Cos. votum est. In templo *Iovis Statoris* Senatus nonnunquam habebatur, & Senatusconsulta fiebant, uti ex *Cicerone* discimus.

IVPITER ELICIVS ab eliciendo dictus, teste *Varrone*, & *Ovid.* qui in 3. Fastor.

Eliciunt cœlo te Iupiter, unde minores
Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant.

Aram ei in Aventino extruxit, & dicavit *Numa Pompilius* Rex II. de quo sic *Livius: Pontificem deinde Numam Martium M. F. ex patribus legit, eique sacra omnia exscripta, exsignataque attribuit.* Et post pauca: *Quæque prodigia fulminibus, aliove quo viso missa susciperentur, atque curarentur docuit, ad ea elicienda ex mentibus divinis, Iovi Elicio aram in Aventino dicavit, Deumque consuluit Auguriis, quæ suscipienda essent.* Iuvat hic adscribere fabulam de Numa, quo pacto artem Iovis eliciendi edoctus fuerit, quam *Arnobius* sic recitat: Numam, inquit, Regem, cum procurandi fulminis scientiam non haberet, esseque illi cupido noscendi, *Ægeriæ* monitu castos XII. juvenes apud aquam celasse cum vinculis, ut cum *Faunus* & *Martius Picus* ad id locorum venissent, haustum (nam illis aquandi solenne iter huc fuit) invaderent, constringerent, colligarent. Sed quo res fieri expeditius posset; Regem pocula non parvi numeri vino, mulsoque complesse, circaque accessus fontis insidiosam venturis opposuisse fallaciam: illos de more solito bibendi appetitione correptos ad hospitia nota venisse: sed cum liquoribus odoratis offendissent fragrantia pocula, vetustioribus antepositisse res novas, invasisse aviditer, dulcedine potionis captos: hausisse plus nimio, obdormivisse, factos graves: tamen tum bis senos incubuisse sopitis, injecisse madidatis vincula, expergitosque illos statim perdocuisse Regem, quibus ad terras modis Iupiter possit sacrificiis elici, & accepta Regem scientia, rem in Aventino fecisse divinam, elexisse ad terras Iovem, ab eoque quæsisse ritum procurationis, Iovem diu cunctatum: *Expiabit*, dixisse, *capite fulgurita.* Regem respondisse, *Capitio?* Iovem rursus: *Humano.* Retulisse *Regem*, Sed *capillo.* Deum contra, *animali.* subjecisse Pompilium, *piscis.* Tunc ambiguis Iovem propositionibus captum, extulisse hanc vocem: *Decepisti me Numa:* nam ego humanis capitibus procurari constitueram fulgurita, Numa capillo cæpitio. quoniam me tamen tua circumvenit astutia, quem voluisti, habeto morem, & his rebus quas pactus es, procurationem semper suscipies fulguritorum. Hactenus *Arnobius.* Eadem habet *Plutarchus* in Numa. Huic Deo cum non rite sacrum fecisset *Tul. Hostilius*, fulmine ictus cum tota domo conflagravit. *Livius* lib. I.

IVPITER CAPITOLINVS, qui & OPT. MAX. dictus est, quod velit & possit omnibus prodesse & optimus quidem ante quam maximus: quia majus sit, gratiusque prodesse, quam magnas opes habere, teste *Cicerone*, qui etiam alibi scribit, Iovem à pop. Rom. propter beneficia, *Opt.* propter vim *Maximum* appellatum fuisse. *Capitolini* nomen habuit à monte *Capitolino*, in quo templum ei conditum, & cultus divinus institutus fuit: de quo templo à quo primum extructum sit, quomodo conflagraverit, & à quibus restauratum sit, audiemus *Tacitum.* Is vero sic scribit: Voverat hoc templum *Tarq. Priscus* Rex bello Sabino, jeceratque fundamenta spe magis futuræ magnitudinis; quam quo modicæ adhuc populi Rom. res sufficerent. Mox *Ser. Tull.* sociorum studio, deinde *Tarq. Superb.* capta Suessa Pometia, hostium spoliis extruxere. Sed gloria operis libertati reservata. Pulsis Regibus *Horatius Pulvillus* iterum Cos. dedicavit ea magnificentia, quam immensæ postea pop. Rom. opes ornarent potius, quam augerent. Iisdem rursus vestigiis situm est, postquam interjecto CDXV. annorum spacio, *L. Scipione*, *C. Norbano* Coss. flagraverat. Curam *Victor Sylla* suscepit, neque tamen dedicavit: hoc solum felicitati ejus negatum, *Lutatii Catuli* nomen inter tanta Cæsarum opera, usque ad *Vitellium* mansit. Hactenus *Tacitus*, cum quo facit etiam *Plutarchus.* Sed & hoc templum ut idem cum Tacito prodit, in Vitellii seditionibus eversum ac dirutum est. Quod iterum à *Vespasiano* de integro refectum, una cum ipsius interitu inflammatum, atque incensum est. Tandem à *Domitiano* quartum restauratum est, columnis ejus ex Pentelesio lapide excisis, & ad deaurationem ipsius XII. millibus talentorum impensis. Idem scribit, *Tarquinium* in fundamenta ejus templi, quod primum conditum fuit, XI. millia argenti librarum impendisse. Memorabile est, quod de hoc templo *Dionysius*, *Livius*, *Servius*, & alii scribunt cum id à *Tarq. Prisco* jam votum *Superbus* ædificare vellet, & auguriis Deum voluntatem exploraret, qui mons huic templo esset aptissimus, in omnibus autem *Tarpejus* esset inventus, in quo erant multa diversorum numinum sacella; factum esse, ut exinde ad alia templa numina evocarentur sacrificiis, quo posset libere, & sine piaculo templum Iovis ædificare. Cum omnes Dii libenter migrassent, *Terminum* solum abscedere noluisse, sed illic remansisse; tunc de hoc ipso sacrificatum & deprehensum, quod *Terminus* cum *Iove* remanens æternum ibi imperium cum religione significaret. Vnde in Capitolio primam partem tecti patere, quæ lapidem ipsum *Deum* spectet. Sed & *Iuventutem* abscedere noluisse, aliqui notant. De magnificentiis ejus *Dionysius* hæc tradit, situm fuisse, & fundatum in alta crepidine, IIX. jugerum ambitu, CC. ferme pedibus patens, per latera singula pari propemodum longitudine, atque latitudine, vix XV. pedum differentia frontem ejus *Meridiem* spectantem, habuisse porticum cum triplici columnarum ordine; in lateribus autem duplici ordine: tresque ædes pares communibus contentas fuisse lateribus, mediam fuisse *Iovis*, à dextra *Minervæ*, à sinistra *Iunonis.* Et quia *Minervæ* numerorum inventio à veteribus tribuebatur; lex erat scripta, ut qui Maximus Prætor esset, clavum juxta ejusdem simulachrum pangeret, unde annorum numerus cognosceretur. *Livius:* In vestigio hujus templi erat fictilis *Summanus Deus*, cujus caput de cœlo tactum decidit in Tyberim.

Habe-

Habebat hoc templum cellam, quam ingredi prophano non concedebatur. In qua cella coronæ aureæ erant duæ: alteram Galli *Iovi Optimo Maximo* consecrarunt: alteram Carthaginenses, ob partæ victoriæ in Samnites congratulationem Romam miserunt. In sacello vel delubro Iunonis, quod in hoc templo erat, *anseres sacri* alebantur, & in arca lapidea servabantur *libri Sibyllini.* In hoc etiam templo erat *aurea Victoria* vel statua aureæ Victoriæ. *P. Victor.* Ante cellam Minervæ erant tria signa *Deorum Nixiorum*, de quibus alibi.

Anno CXLVI. *L. Volumnio*, *App. Claudio* Coss. ex bonis fœneratorum in publicum redactis, *Cn.* & *Q. Ogulnii*, Ædiles Curules, ænea in Capitolio limina, & trium mensarum argentea vasa in cella Iovis, *Iovemque* ipsum in culmine cum quadrigis posuerunt, *Livius* anno IDLXXI. *M. Tuccius* & *P. Iunius Brutus*, Ædiles Curules de mulcta damnatorum fœneratorum quadrigas inauratas in Capitolio posuerunt in cella Iovis, supra fastigium ædiculæ, & XII. clypea inaurata, qualia etiam paulo ante ex multatitia pecuariorum pecunia in fastigio ædis Iovis posita fuerunt. *Livius:* Iovis simulachri facies diebus festis minio illini solebat. *Servius* in 10. Eclogam. & *Plinius:* qui etiam scribit Turianum à Fregellis Romam fuisse accitum, cui locarit Tarquinius Priscus effigiem Iovis in Capitolio dicandam. Fictilem eam fuisse, & ideo mirari solere. Fictiles etiam in fastigio templi ejus quadrigas. Fuit in hoc templo etiam signum *Iovis Imperatoris.* Ad hoc templum victimas gratulationis causa mactabant. In hoc templo Consules eo die, quo Magistratum inibant, singuli singulos boves immolabant, & ex eo togam sumebant. In hoc templo Imperatores ad bellum ituri vota nuncupabant, & postea reversi, triumphali pompa, in id deducebantur, *Iovi* in eo sacrum faciebant, & convivium celebrabant. In hoc etiam templo Senatus nonnunquam habebatur. In hoc homines religionis causa incubabant. *Plautus* in Curculione. Sed quis omnia enumeret!

Præter hoc templum etiam aliæ duæ ædes *Iovis* in Capitolio fuerunt, votæ à *L. Furio Purpureone*, una ab ipso Prætore bello Gallico, altera ab ipso Consule, dedicatæ à *Q. Marcio Ralla* Duumviro, anno ab Vrbe condita IDLXI. *Livius.*

LATIALIS IVPITER à *Latio* dictus fuit, quod eum Latini populi communiter cum Romanis colerent, consecratus à Tarquinio Superbo Rege. Cum enim *Turnus Herdonius* insidiis Tarquinii neci datus esset, ipse verò Princeps populorum Latinorum declaratus, Volsci etiam atque Hernici in societatem recepti essent, *Tarquinius*, quemadmodum *Dionysius* scribit, ut id fœdus sempiternum maneret, proposuit designare commune fanum *Romanorum*, *Latinorum*, *Hernicorum*, *Volscorum* eorum duntaxat, qui in societatem recepti erant, quo ad Mercatum convenientes quotannis una epularentur fruerenturque sacris communibus. Gratum id fuit omnibus: locus conventui præstitutus est in meditullio fermè harum gentium, mons altus Albanis imminens, ubi singulis annis feriæ celebrarentur, & eo temporis spacio, propter loci religionem, legemque de hoc latam, ab omni vi temperarent omnes, sacraque communiter *Iovi Latiali* facerent, & vacarent epulis, constituto prius quantum quisque populus in ea sacra præbere, quantamve portionem recipere debeat, &c. Hæc *Dionysius.* De feriis Latinis post dicemus.

IVPITER SPONSOR etiam à *Tarquinio Superbo* consecratus, templumque ei conditum est, quod postea *Sp. Posthumius Consul* anno CCXXCVIII. dedicavit. Sic enim *Dionysius* libro 9. in Vrbe ædem *Iovis Fidei Sponsoris* (sic *Lapus* vertit, Gelenius, *Dii filii*, puto non rectè) *Sp. Posthumius Consul* alter Nonis Iuniis, dedicavit, in luco *Bellonæ*, locatam ab ultimo Regum *Tarquinio*, non tamen ab illo consecratam, sed tum demum ex S. C. id fecit *Posthumius* ut testatur ejus ædis inscriptio. Hæc ille. *Lilius Gyraldus* putat eumdem hunc esse cum *Dio Fidio*, de quo alibi. Collocatur hæc ædes à *P. Victore* in VIII. Vrbis regione.

IVPITER IMPERATOR ab *imperando*, quod omnibus imperet, dictus: à Prænestinis cultus est, cujus simulachrum *T. Quintius* Præneste in deditionem accepto, Romam devectum in Capitolium tulit, dedicavitque inter cellam *Iovis*, & *Minervæ* tabula sub eo fixa, quæ esset monumentum rerum gestarum. Tabulæ inscriptio hæc fere erat: *Iupiter atque Divi omnes hoc dederunt, ut Titus Quinctius Dictator opida novem caperet, &c. Livius* in Historia Anni CCCLXXVI. *Onuphrius* ædem quoque ei in Capitolio extructam fuisse putat cum fragmenta illa in tabulis Capitolinis ACTVS EST ET T. DEDICAVIT. sic legenda arbitratur: Ædem *Iovi imperatori*, qui Prænestè Romam actus est in Capitolio: T. Quinctius T. FIL. *N. Cincinnatus* Imp. dedicavit. Fuit & alibi Iupiter hoc nomine cultus, verùm id huc non pertinet, de quo *Cicero* in 6. Verrina.

IVPITER PISTOR à *pinsendo* dictus, cujus ara in Capitolio fuit, de quo sic *Lactantius:* Quo tempore Galli Capitolium obsidebant, *Iovi Pistori* ara posita fuit, quod Romanos Deus in quiete monuisset, ut ex omni frumento, quod haberent, panem facerent, & in hostium castra jactarent, eoque facto, soluta est obsidio, desperantibus Gallis, inopia subigi posse Romanos. Meminerunt hujus historiæ *Livius*, *Frontinus*, & alii. Vide etiam *Plutarchum.*

IVPITER VICTOR cognominatus quod omnia *vincere* putaretur. Huic ædem vovit *L. Papyrius Cursor* bello Samnitico, ut *Livius* eodem libro docet. *Quintus Fabius* bello cum Samnitibus & Gallis, & construxit postea in monte Palatino, teste *Livio*, & *P. Victore.* Huic Deo vovit, si legiones

hostium

hostium fudisset, pauxillum mulsi priusquam temetum biberet sese facturum, idque votum Deis cordi fuisse.

IVPITER LVCETIVS, ut scribit *Servius*, lingua Osca dictus à *luce*, quam præstare hominibus dicitur: ipse est enim nostra lingua *Diespiter*. Agellius: Lucetius, inquit dictus *Iupiter*, quòd nos die & luce quasi vita ipsa afficeret, & juvaret. *Festus*. *Lucetium Iovem* appellabant, quòd eum lucis esse causam credebant.

Idem est DIESPITER, id est, *diei & lucis pater*, & DIIOVIS ut *Servius* & *Agellius* tradunt. Ædes *Dijovis* à *P. Victore* in x. collocatur Vrbis regione, à quo sit extructa, ignoratur.

VEIOVIS, qui & *Vejupiter*, & *Vedius* à Martiano appellatur, unde dictus sit, *Agellius* his verbis docet: Eum Deum, qui non juvandi potestatem, sed vim nocendi haberet (nam Deos quosdam ut prodessent, celebrabant, quosdam ne obessent, placabant) *Vejovem* appellarunt, dempta, atque detracta juvandi facultate. Particula enim *ve*, privandi habet hoc loco significationem. Ædes *Vejovis* inter arcem & Capitolium fuit, in qua etiam simulachrum Dei, sagittas tenens, quæ paratæ sint ad nocendum; huic simulachro astitit figmentum capræ. Ea enim solet ipsi immolari. Addit *Agellius*, putare quosdam hunc Deum esse *Apollinem*. Martianus *Plutonem* putat. Caput ei cornutum fuisse scribit *Alexander*.

IVPITER LAPIS, secundum *Festum*, dicebatur à lapide silice, quem in sanciendis fœderibus juraturi tenebant, ea verba dicentes: *Si sciens fallam ita me Diespiter, salva Vrbe, arceque, bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem*. Sunt qui *Iovem Lapidem* dictum esse velint, ab ipso lapide *Iove* vocato, qui Saturno oblatus fuisse ab Ope, & ab ea devoratus fingitur.

IVPITER TONANS, à *tonando* dictus. Hunc *Octavius Augustus* consecravit, ædemque ei in Capitolio extruxit, liberatus periculo, cum in expeditione Cantabrica per nocturnum iter secticam ejus fulgor præstrinxisset, servumque prælucentem exanimasset. *Suetonius*. De hac æde sic *Dionysius* scribit: *Iovis* etiam *Tonantis* templum dedicavit: de qua re duo hæc commemorantur, & in ipso tunc sacrificio tonitrua accidisse, & somnium deinde Augusto tale oblatum. Cum propter nominis ac formæ ejus Iovis novitatem, & quod ab Augusto is consecratus esset, maximè autem quòd ascendentes in Capitolium, ad eum primo perveniebant, *Iupiter Tonans* ab omnibus frequentaretur, & coleretur, imaginatus est in somnis Augustus, *Iovem Capitolinum* secum expostulare, quòd secundo jam ipse loco haberetur: seque respondisse, excubitorem hunc *Tonantem* ei Capitolino à se esse positum: ideoque orta die tintinnabulum *Iovi Tonanti* appendit somnii confirmandi causa. His enim tintinnabulis janitores nocturni utuntur, ut si quid usus sit significari possit. Hactenus ille ab Auguribus etiam ante hanc consecrationem *Iupiter Tonans* & *fulgens* appellabatur, ut testis est *Cicero*, quia tonitrua & fulgura ipsi tribuebantur. Hinc in veteribus nummis simulacrum semper fingitur, *fulmen trisulcum* manibus tenens. Fulmina figuræ in antiquis nummis tales reperiuntur.

IVPITER VLTOR dictus, quòd sceleratorum impia facta ulciscetur. Huic *Agrippa* ædem, quam *Pantheon* appellavit, consecravit quæ etiam *Panthoon* dictum, quasi ἅ πάντων θεῶν, hodie *Mariæ rotundæ*, & *omnium Sanctorum* dicitur. Aliquando *Cybeli* sacrum fuit, cujus Deæ caput antiqui operis & saxi, cum duobus piscibus muro templi inclusum adhuc cernitur. De eo sic *Dionysius* & *Plinius*. Iuvat etiam addere ea, quæ *Fabricius* in sua Roma de hoc templo retulit. Altum, inquit, est hoc templum pedes CXLIV. totidem latum. Contignationes æneis trabibus canalium modo compactæ, pedum XL. ut testatur *Baptista Leo*. Valvæ ingentes, item trabes ex ære Corinthio, & inauratæ, lithostrotum varii marmoris, aræ duæ marmoreæ, sex marmoratæ. Interstitia sex columnarum spacio distantia. Testudo templi laqueata vacuis circumquaque spaciis relictis, ne nimio pondere ædificium premeretur. Nulla fenestra penitus inest, nisi in medio foramen sphæricum, æneis inauratisque trabibus fultum, quod lumen præbet, eique in pavimento subjectum ad imbres excipiendos impluvium. Ad foramen illud in tecto quadraginta gradibus plumbeis ascenditur: ad quod tectum antequam perveniatur, bini ambitus sunt, ad quorum primum ex imo templi per centum quinquaginta gradus est eundum. *Marcellinus* libro decimosexto, *Pantheum*, regionem teretem spacioſa celsitudine *fornicatam* nominat. In tecto nunc sunt plumbeæ laminæ, quæ olim argenteæ fuerunt, quas *Constans* Imperator, Constantini junioris filius, detraxit. Gradus ænei ante templum sublati, & saxeis permutati sunt. Ascensum ad templum fuit per gradus duodecim, nunc per totidem descenditur: ex quo intelligitur, quàm altè sit ex ruinis solum exaggeratum. Parietes nunc latericii sunt, olim marmoribus incrustati fuerunt. Inter omnia igitur Vrbis opera, nullum admirabilius, sive molem, sive artem, sive impensam consideres, nullum etiam ex antiquissimis integrius: nam nec injectis ignibus Gothi corrumpere, aut frangere potuerunt. Hæc ille. Paulò antè dicit. Hoc templum *Bonifacium* III. Pontificem à *Phoca* Imperatore, qui rem Pontificiam auxit, atque extulit, acceptum beatæ Virgini, & omnibus Sanctis dicasse: fuisseque primum dictum *Virginem ad Martyres*: sicuti nunc à circulari forma, *Sancta Maria rotunda*. Dionysius. *Pantheum* quoque perfecit Agrippa: id sic dicitur fortassis, quòd in simulachris *Martis* & *Veneris* multas Deûm imagines acciperet: ut verò mihi videtur, inde id nominis habet, quòd forma convexa fastigiatum, cœli similitudinem ostenderet. Voluit *Agrippa* in eo Augusti quoque statuam collocare, nomen-

que

que operis ei ascribere: neutrum autem eo accipiente, in *Pantheo* ipso Cæsaris superioris statuam suam & Augusti in vestibulo posuit. Et *Plinius*, Agrippæ Pantheum decoravit *Diogenes* Athenienſis, & *Caryatides* in columnis templi ejus probantur, inter pauca operum sicut in fastigio posita signa, sed propter altitudinem loci minus celebrata. In honore est & in templo illo *Hercules*, ad quem Pœni omnibus annis humana sacrificaverunt victima, humi stans ante aditum porticus agnationes sitæ.

IVPITER CONSERVATOR à *conservando* dictus, à *Domitiano* consecratus est, quod ipsum in seditione Vitelliana à furore hostium conservasset: de quo sic *Tacitus* lib. 3. Histor. 3. *Domitianus* prima irruptione apud ædituum occultatus solertia liberti lineo amictum turbæ sacricolarum immixtus, ignarusque apud Cornelium primum paternum clientem, juxta Velabrum delituit. Ac potiente rerum patre, disjecto æditui contubernio, modicum sacellum IOVI CONSERVATORI, aramque posuit, casusque suos in marmore expressit. Mox imperium adeptus, IOVI CVSTODI templum ingens, seque in sinu Dei sacravit, &c. Hujus templi, quod in Capitolio extructum fuit, meminit etiam *Suetonius* in Domitiano, cap. 5. Extant etiam nummi veteres *Iovis Conservatoris* simulachrum & nomen continentes, qualis etiam hic est *Maximiani*, notat. C. D. Vt videre est in fronte Libri 2.

IVPITER SOL, vel Sol HELIAGABALVS, unde dictus alibi explicabitur.

FAGVTALIS IVPITER à *fagu* dictus, quæ Iovi sacra habebatur: inde ejus sacellum *Fagutal*. Festus. *Fagutal* sacellum Iovis, in quo fuit *fagus* arbor, quæ Iovi sacra habebatur. Meminit ejus & *Varro*, & *Plinius* lib. 16. cap. 6. qui etiam addit, non procul ab eo sacello & lucum *fageum* esse. Collocatur in regione decima, à quo extructum fuerit, incertum.

VIMINEVS IVPITER à *viminibus* dictus: unde etiam *Collis Viminalis*. Varro. *Viminalis* à Iove *Viminio*, quod ibi aræ sunt ejus, aut quod ibi vimineta fuerunt. *Festus*: Viminalis porta & collis appellabantur, quod ibi viminum sylva fuisse videtur, ubi est & ara *Iovi Viminio* consecrata.

ARBITRATORIS IOVIS templum in decima Vrbis regione ponitur à *Victore*: & appellatur *Pentapylon*, quasi quinque portarum.

PRÆDATOR IVPITER à *præda* appellatus, quod ei è præda aliquid deberetur. *Servius* 3. Æneid. Romanis, inquit, moris fuit, ut bella gesturi, de parte prædæ aliquid numinibus pollicerentur, adeo ut Romæ fuerit unum templum *Iovis Prædatoris*, non quod prædæ præest, sed quod ei aliquid ex præda debeatur. Locus hujus templi, & à quo fuerit consecratum, ignoratur.

MARIANVS IVPITER à *Mario* dictus est, qui cum cæteris monumentis templum ei condidit. In hoc Senatusconsultum factum est de revocando *Cicerone* ab exilio, quod ipsi erat per somnium significatum, ut scribit *Valerius*.

POMPEIANVS IVPITER, Colossus fuit Iovis, eximiæ magnitudinis, sic dictus à *Theatro Pompeii*, cujus vicinus fuit. *Plin.* lib. 34. cap. 7. Moles, inquit, excogitatas videmus statuarum, quas *Colossos* vocant, turribus similes. Talis in Campo Martio, Iupiter à *Claudio Cæsare* dicatus, qui ideò vocatur *Pompejanus*, à vicinitate Theatri.

IOVIS PROPVGNATORIS ædes in Palatio fuit, cujus mentio fit in antiquo Epigrammate:

P. MARCIVS. VERVS.
IMP. COMMODO, VI. ET PETRO-
NIO SEPTIMIANO. COS.
A N. P. R. C. DCCCCXLI. K. DEC.
IN PALATIO. IN. ÆDE. IOVIS.
PROPVGNATORIS.
IN LOCVM P. VERI.
L. ATILIVS. CORNELIANVS.
COOPTATVS.

PVGNANTIS IOVIS templum ubi fuerit, & à quo extructum cognitum est. Fuerunt & alia cognomina quibus *Iupiter* fuit à veteribus insignitus, & cultus: quorum quædam ex *Varrone* recitantur ab *Aurelio Augustino* lib. 7. de Civitate Dei, cap. 12. Dixerunt, inquit, eum *victorem*, *invictum*, *opitulum*, *impulsorem*, *statorem*, *centumpedam*, *supinalem*, *tigillum*, *almum*, *ruminum*, & alia, quæ persequi longum est. Hæc omnia cognomina imposuerunt uni Deo propter causas, potestatesque diversas: non tamen propter tot res, etiam tot Deos eum esse coegerunt: quod omnia *vinceret*, quod à nemine vinceretur, quod opem indigentibus ferret, quod habeat *impellendi*, *statuendi*, *stabiliendi*, *resupinandi* potestatem, quod tanquam *tigillus* mundum contineret, ac sustineret, quod aleret omnia, quod *ruma*, id est, mamma aleret animalia, &c. ad quem locum videndus etiam *Ioan. Ludovicus Vives*. Iovis Opitulatoris etiam *Festus* meminit his verbis: *Opitulus Iupiter*, & *Opitulator* dictus est, quasi *Opis lator*. Adulto Iovi in nuptiis sacrificabatur, de quo post. *Dapalis Iovis* Cato libro de Re rustica meminit: fortasse sic dictus fuit, quod ei sacra dapali epulo fierent. Sed satis hæc sint de *Iove*, in cujus historia prolixior fui, cum ipse etiam pro Principe, & patre Deûm hominumque sit habitus. Progrediamur nunc ad alias.

AD CAP. V. PARALIPOMENA.

De Iove, & variis ejus cognominibus.

De Iove post tot Mythologos differere superfluum: pauca tamen remota ut puto subtexenda, ac primum à cognominibus, in quorum multiplicia vocabula invehitur Arnob. l. 7. *Tot monstra quot Iovis nomina. Herceus Iupiter dicebatur, cui aræ intra curiam seu aulam domus alicujus privatæ structæ erant, & quicunque Herceum Iovem habebant, jus civitatis etiam habebant*, Suidas in voce ἑρκεῖος ζεύς. *Hercæus Iupiter*. Hanc aram religiose admodum coluit Priamus, & ante eam à Pyrrho tandem Troja capta fuit interfectus. Ovid. in Ibim:

Cui nihil Hercæi profuit ara Iovis.

Eurip. in Troadib. Bassus Lollius vetus poëta, Antholog. l. 1. cap. 70. τῷ φρυγὶ πὰρ βωμῷ τῷ Πριάμου θυσίην.

Phrygiam ad aram Priami victimam.

Trium oculorum erat hic Iupiter, ut *terna regnandi potestas* significaretur, in *cælo*, *aquis*, *terra*. Cæl. Rhodigin. lib. 21. Antiq. lection. cap. 1. L. Scoppa lib. Collectaneor. cap. 9. Meminit & L. Seneca in Agamem. Act. 3. sc. 1.

Sparsum cruore regis Hercæum Iovem.

Incertus poëta, sed elegans, apud Tullium l. 3. Tusc. quæstion. *Hæc omnia vidi inflammari, Priamo vi vitam evitari, Iovis aram sanguine turpari.* Hic est ille, quem *Durateum* vocant, & quem Sthenelus Capanei filius abstulit à Neoptolemo. Pausan. Corinthiac.

Dictus & *Genetæus Iupiter*, à templo ei in monte *Genete* structo. Est enim & montis & fluvii montem alluentis nomen, & portus expeditione Argonautarum celeberrimi, Scholiast. Apollonii Rhodii. Strabo l. 16. ut appareat portubus etiam Iovem præfectum. Locus est apud Valerium Flaccum varie legendus, lib. 5.

Indigena æterni rupem Iovis, hic tibi Mavors
Dant virides post terga manus.

Primus, ut puto, Angelus Politianus restituerat:

Inde Genetæi rupem Iovis, Tibarenum,
Dant virides post terga manus.

Rectissimè proculdubio. Nam Tybareni Chalybes populos attingunt, Pompon. Mela l. 21. Sigismundus Gelenius, & Hermolaus Barbarus in C. Plinium l. 6. c. 1. Et Lud. Carrionis MS. præferebat aliam lectionem:

Inde Genetæi rupem Iovis, inde Timanos.

Eundem *Hospitalem* dici vult Scholiastes Apollonii, quod cognomentum Romanis usitatissimum. Serv. Honorat. ad lib. 1. Æneidos v. 735. *Lycaon cum hospites susceptos necaret, à suscepto Iove, postquam ei epulas humanas apposuit, versus in lupum, ostendit hospitii jura esse non violanda. Græci τὸν ξένιον δία appellant, id est, Iovem Hospitalem.* Et penè paria Suidas in voce ξένιος ζεὺς, *hospitalis Iupiter*, quod nempe *hospitum curam habeat*, provideatque ne iis injuria inferatur. Et ξένιοι θεοὶ, *hospitales dii*. Iul. Pollux l. 1. Onomast. cap. 1. num. 23. Plutarch. lib. de Exilio, ξενίου διὸς πολλαὶ τιμαὶ καὶ μεγάλαι. *Iovis hospitalis multi honores & magni.* Et in Erotico: ξένων καὶ ἱκετῶν ἀδικίας ὁ ξένιος ὑπακούει Κολαστὴς ζεύς. *Hospitum & supplicum injurias hospitalis Iupiter audit vindex.* M. Cicero l. 4. de finib. bonor. & malor. *Iovem cum optimum & maximum dicimus, cumque eundem salutarem, hospitalem, statorem, hoc intelligi volumus, salutem hominum in ejus esse tutela.* In MS. tamen est, *Salutarem, Hospitalem, Sospitatorem.* Eustat. in Homerum l. 9. Odyss. v. 270.

Ζεὺς δ' ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε ξείνων τε
Ξείνιος ὃς ξείνοισιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.

Iupiter ultor est supplicumque hospitumque hospitalis, qui hospitibus simul verecundis opitulatur. Notissimus est ille Virgilii l. 1. Æneid. ad finem versus:

Iupiter, hospitibus nam te dare jura loquuntur,
Hunc lætum Tyriisque diem, Trojaque profectis
Esse velis.

Valer. Flacc. l. 3. Argonautic. in principio:

——— cur talia passus
Arma, quid hospitiis cunctas concurrere dextras
Iupiter? unde tubæ nocturnaque movit Erynnis?

SABADIVS Iupiter, vel ut alii SEBADIVS, aut ut nonnullis visum SEBASIVS. Ludov. Carrio l. 2. Emendation. cap. ult. vide de Bacchi sacris *Sebasiis* infra c. 11. Iul. Firmic. Matern. lib. de errore profan. Religion. *Sebazium colentes Iovem, anguem cum imitantur per sinus ducunt.* Aurel. Macrob. l. 1. Saturnal. cap. 18. *Item eundem in Thracia haberi Solem atque Liberum accipimus, quem illi Sebadium nuncupantes magnifica religione celebrant.* Meminere vetustæ inscriptiones:

IOVI SEBASIO. Q. NVNNIVS. ALEXANDER. V. S. L. M.

Et altera:

Q. NVNNIVS. ALEXANDER. DONVM. DEDIT. IOVI. SABAZIO.

Isti quidem Iovis cognomen volunt fuisse, at alii contra Bacchi proprium, cui loca consecrata *Sabi* appellabantur, ut & sacerdotes ejusdem. Suid. in voce Σαβάζιος & Mnaseas Patarensis non Liberum ipsum, sed filium ejus sic vocatum contendit, apud eundem Suidam, consentiente Scholiaste Aristophanis in Lysistratam p. 861. & eodem Avibus, pag. 583. & in Vespis, pag. 432. M. Tull. l. 2. de legib. *Novos vero deos, & in his colendis nocturnas pervigilationes sic Aristophanes, facetissimus poëta veteris comœdiæ, vexat, ut apud eum Sabazius, & quidam alii dii peregrini judicati è civitate ejiciantur.* Quod autem Aristophanem citat, petendum ex iis, quas jam memoravi comœdiis, in Vespis in principio:

——— ἀλλ' ὕπνος μ' ἔχει τις ἐκ Σαβαζίου.

Vertit Christianus Florens.

Sopor me incessit ex Sabazio.

Et in avibus:

Καὶ φρυγίλῳ Σαβαζίῳ,
Καὶ στρουθῷ μεγάλῃ
Μητρὶ θεῶν καὶ ἀνθρώπων.

Vertit Andreas Dinus:

Et Phrygilo Sabazio,
Et passeri magnæ
Matri deorum & hominum.

Idem in Lysistrata:

Χ' ὁ τυμπανισμὸς, χ' οἱ πυκνοὶ Σαβάζιοι.
Sonusque tympani, & frequens bacchatio.

Adeundi Diodor. Sicul. l. 4. Harpocration, Hesychius in Σαβάζιος & alii. Quod autem supra de angue dixerat Firmicus, intelligi potest ex Arnobio l. 5. in hæc verba; *Ipsa sacra, & ritus imitationis ipsius, quibus Sebadiis nomen est, testimonio esse poterunt veritati, in quibus aureus coluber in sinum demittitur consecratis, & eximitur rursus ab inferioribus partibus.* Certè mihi persuasum hac sola ratione Iovis esse cognomentum, non autem Bacchi, quod consecrandis serpentes immitterentur. Nam Iovem in anguem mutatum reperio, ut posset Proserpinæ commisceri, quæ à serpentibus custodiebatur. Quod eo lubentius notandum duxi, quod à nullo animadversum intelligerem. Nonnus Panopolitan. Dionysiacῶν l. 6. v. 158.

Νυμφίος ἱμερόεντι δράκων κυκλούμενος ὁλκῷ
Εἰς μυχὸν ὀρφναίοιο διέστιχε παρθενεῶνος.

Sponsus desiderabili draco circumactus tractu, impenetrabile caliginosi pertransiit virginalis loci. Dixerat enim paucis ante interjectis:

Ἀλλὰ δρακοντείοισιν ἐνυμφεύθης ὑμεναίοις.
Sed draconteis sponsa es nuptiis.

Et lib. 9. v. 325. ut Semelæ concumbat, eandem Iupiter formam capit. quod non sum ignarus de aliis quoque diis dici, ut antea annotabam in *Serapide*. & de *Apolline* C. Sueton. in Augusto cap. 94. ex Asclepiade Mendete: *Acciam, cum ad solemne Apollinis sacrum media nocte venisset, posita in templo lectica, dum cæteræ matronæ obdormirent, obdormisse, Draconemque repente irrepsisse ad eam, pauloque post egressum, illamque expergefactam, quasi à concubitu mariti purificasse se, & statim in corpore ejus extitisse maculam, velut depicti draconis, nec potuisse unquam eximi, adeo ut mox publicis balneis perpetuo abstinuerit, Augustum*

natum mense decimo, & ob hoc Apollinis filium existimatum. Vt Accia, ab Apolline serpentis formam gerente, gravida facta est, ita Olympias à Iove eandem figuram gerente, Alexandrum Magnum concepit. de utroque Sidon. Apollinar. Carm. 2. v. 121.

Magnus Alexander necnon Augustus, habentur
Concepti serpente Deo, Phœbumque Iovemque
Divisere sibi, namque horum quæsiit unus
Cynisia sub syrte patrem, maculis genitricis,
Alter Phœbigenam sese gaudebat haberi.

De Augusto solus Suetonius, quod sciam inter historicos prodidit, quod & de P. Scipione traditum apud A. Gellium lib. 7. noct. Atticar. cap. 1. at de Alexandro idem A. Gellius l. 13. c. 4. *Opinionem ille ingentibus victoriis, & adulantium blandimentis, & rebus supra fidem prosperis imbiberat, genitum esse sese de Iove ob id puto.* Corinthii, statuam ei Iovis habitu erexerunt. Pausan. Corinthiac. & apertius narrat M. Iunianus Iustinus lib. 11. *Namque mater ejus* (Alexandri) *Olympias confessa viro suo Philippo fuerat, Alexandrum non ex eo, sed ex serpente ingentis magnitudinis concepisse.* P. Victor. in Galerio Armentario: *Insolenter affirmare ausus est, matrem more Olympiadis Alexandri Magni creatricis, compressam dracone semet concepisse.* Serv. ad v. 321. l. 7. Æneid. *Multi ad gloriam nominis simulant se numinum filios, ut Romulus ex Marte, Alexander ex Iove Ammone.* Ælian. lib. 1. var. hist. cap. 25. Ἀλέξανδρος, ὁ τοῦ φιλίππου, εἰ δὲ τῷ δοκεῖ ὁ τοῦ διός. *Alexander Philippi filius, sive si quis mavult, Iovis.* Idem Sidon. Apollinar. eodem carm. v. 80.

Quæque Draconigenæ portas non clauserat hosti,
Tum demum Babylon nimis est sibi visa patere.

Notat eruditus Ioan. Savaro. & carm. 9. v. 46. idem Sidonius:

Non prolem Garamantici tonantis,
Regnis principibusque principantem.

Vnde *Ammon* sive *Hammon* Iupiter vocatus, *ab arena*, nam Græci ἄμμον *arenam* dicunt. Historicos, quorum nullus penè est, qui non meminerit, silebo. Iustin. l. 1. *Ad Hammonis nobilissimum templum expugnandum exercitum mittit.* Æmil. Prob. Lysandro: *Vota suscepisse, quæ Iovi Ammoni solveret.* Poëtas tantum laudaturus. A. Gell. l. 3. c. 3. *Ex qua duos hos versus exscripsimus, ut historiam quæreremus Oraculi Arietini. nunc illud est, quod Arietini responsum magnis ludis dicitur.*

Peribo si non fecero,
Si faxo, vapulabo.

Vbi *Arietinum*, vocabulo à forma Iovis desumpto, *oraculum* est *Hammonis*, quod exploratæ indubitatæque fidei habebatur. Is autem specie arietis colebatur. Hadrian. Turneb. lib. Advers. 3. cap. 3. P. Ovid. l. 3. de Arte in fine. Lucan. l. 9. v. 514.

Ventum erat ad templum, Libycis quod gentibus unum
Inculti Garamantes habent, stat corniger illic
Iupiter, ut perhibent, sed non aut fulmina vibrans,
Aut nostro similis, sed tortis cornibus Ammon.

Sil. Italic. lib. 9. Punicor.

Ac patrius flexis per tempora cornibus Ammon.

Idem forte corrigendus l. 3. in principio:

Inter anhelantes Garamantas corniger Ammon
Fatidico pandit venientia secula luco;
Hinc omen cœptis, & causas scire futuras
Ante diem, bellique vices novisse petebat.
Exin clavigeri veneratus numinis aras
Captivis onerat donis.

Critici vexarunt hunc locum, ego puto tamen retinendam priorem hanc lectionem, vult enim Hannibalem, antequam ad Ammonis oraculum Bostar mitteretur, *Herculem*, quem *clavigerum* Deum appellat, donis seu prædæ parte oblata honorasse, si tamen de Bostare in Libyam jam profecto, ac non de Hannibale in Hispaniis agente sumendus esset locus, censerem legendum cum Fr. Modio Novantiquar. lection. epist. 34. ex MS.

Exin corniger veneratus numinis aram,
Captivis onerat donis.

Decimas Apollini in pace, Herculi in bello, dicam infra hoc opere votas.

Sed eodem libro ad finem, indubie vitiosa lectio habetur; ita enim scribitur:

Lanigeri capitis media inter cornua perstans,
Marmaricis ales populis responsa canebat.

Vbi *ales* monstri instar est, nam si de columbis Dodonæum oraculum dantibus loqueretur poëta, eleganter diceretur *alitem responsa canere*, quod non sum ignarus à Lactantio Placidio traditum ad v. 105. l. 3. Thebaid. & aliis passim, nunc quum de Arietino oraculo fiat narratio, censeo rescribas:

Marmaricis aries populis responsa canebat.

Ad cujus imitationem Claudian. l. in Eutrop.

Marmaricus claris violatur cædibus Ammon.

Et de 4. Honor. consul.

——— tibi corniger Ammon,
Et dudum taciti rupere silentia Delphi.

Et l. 1. de *laudib. Stilich.* Nasamonibus conterminum id templum facit.

Et velox Garamas, nec quamvis tristibus Ammon
Responsis, alacrem potuit Nasamona morari.

Scholiast. Pindari ad oden 4. Pythior. & vet. Scholiast. Iuvenalis ad Sat. 6. v. 552. Lactant. seu Luctat. Placid. ad lib. 3. Thebaid. v. 475. ad lib. 8. Thebaid. v. 201.

Quin & corniger vatis nemus.

Sidon. Apollinar. Carm. 5. v. 264.

——— doctis balatibus Ammon
Si sanctum sub Syrte gemit.

Erant & histriones in hujus tutela; M. Accius Plaut. Amphitr. in prologo:

Nunc profiteatur Iovem facere Histrionem,
Etiam in histriones cum anno in proscœnio hic Iovem invocarunt.

Sunt & infinita alia, quæ dici possent de Iove, ut, quod *Hecalus* vocetur, sed docte disseruit Angelus Politianus Miscellaneor. cap. 24. & *Supremus*, quod præoccupatum à Baptista Pio Annotation. posterior. cap. 3. & *Munichius*, quod diligenter ab eodem discussum ejusdem operis cap. 74. *Olympius* Iosephus Castalio, Var. cap. 9.

CAPVT VI.

De Iunone.

Cvm præcedens caput de Iove præter opinionem nimium excreverit, ideo de *Iunone* seorsum dicam, quam quidem cum *Iove* conjuncturus erat, ut puto, cujus & soror & uxor fuisse fertur. Fuit hæc Saturni & Opis filia sic dicta, quemadmodum *Varro* scribit, quod una cum Iove juvat. *Cic.* lib. 2. de Nat. deor. *Aër*, ut Stoici disputant, interjectus inter Mare & Cœlum, *Iunonis* nomine consecratur: quæ est soror & conjunx Iovis, quod ei similitudo est ætheris, & cum eo summa conjunctio. Effœminarunt autem eum, *Iunonique* tribuerunt, quod nihil est eo mollius. Sed *Iunonem* à juvando credo nominatam. *Macrobius* etiam in Somnium Scipionis: *Iuno*, inquit, & soror Iovis & conjux vocatur. Est autem *Iuno* aër: & dicitur soror, quia iisdem seminibus, quibus cœlum, etiam aër est procreatus: *conjunx*, quia aër subjectus est cœlo. Libet hîc referre fabulam de *Iunone*, qua ratione *Iovi* matrimonio juncta sit,

quam *Lilius Gyraldus* ex Commentariis in Theocritum affert, est autem hæc: Iupiter cum insidiaretur Iunoni, ut cum ea jaceret, eam conspexit procul à cæteris Diis, mutatus in *Cuculum* in monte consedit, qui prius *Thronax* dicebatur. Postea ex re *Coccyx* dictus est. *Cuculus* ergo Iupiter tempestatem simul commovit: ubi cum sola in monte *Iuno* esset ea parte qua postea constructa est *Teliæ Iunonis* ædes, *Cuculus* Iupiter ob tempestatis horrorem in virginis Iunonis gremium devolavit, quem *Iuno* miserata veste contexit. Tum vero *Iupiter* suam indutus formam, *Iunonem* est amplexatus. Illa matris metu abnuebat, donec pollicitus connubium obtinuit. Hactenus ille. *Iunonis* passim apud Scriptores Ethnicos fit mentio, cujus historiam vel fabulam potius integram, ut recitemus, non est necesse.

Tantum de simulacro ejus & cognominibus quibus Romæ culta fuit, quædam dicemus. Simulacrum ejus ita figurabatur: Erat fœmina, inquit *Albricus*, in throno sedens, sceptrum regium tenens in dextra, ejus caput nubes tenebant opertum super diadema, quod capite gestabat, cui & *Iris* sociata erat, quæ ipsam per circuitum cingebat: nunciamque *Iunonis Iridem* populi appellabant. Ideo juxta illam *Iridem* ancillam paratam ad obsequium Dominæ figurabant. *Pavones* autem ante pedes ejus à dextris & sinistris stabant, *avesque Iunonis* specialiter vocabantur, &c. Hujus varia apud Romanos fuerunt, pro diversis ejus officiis, & muneribus, nomina. Prima quæ occurrit appellatio est, quod dicitur *Iuno Curis* ab hasta. Nam hastam *Curim* Sabini appellabant. *Cato* in Originibus (si quæ leguntur, fragmenta, legitima sunt.) *Quirinalis* collis, à Iunone Sabinorum dea, quam illi *curitim*, id est, *hastatam Iunonem* vocant. Idem tradit *Festus*. Huic deæ Romæ in omnibus Curiis mensas posuit *Titus Tatius* Sabinorum Rex, quas suo etiam tempore Romæ fuisse, *Dionysius* testatur.

SORORIA IVNO dicta est à sorore Horatii. Huic in expiationem cædis sororis suæ aram Horatius consecravit. *Festus*.

REGINA IVNO à Latinis cognominata, quod & conjux Iovis, deorum atque hominum Regis esset. Hæc à *Camillo Dictatore* Vejis transvecta, in Aventinum, & celebri die, summo matronarum studio dedicata est. Collocatur à *P. Victore* in XIII. Vrbis regione. *Livii* verba de ea Romam transducta adscribam: Cum jam humanæ opes egestæ à Vejis essent, amoliri tum Deûm dona, ipsosque Deos, sed colentium magis, quam rapientium modo cepere. Namque delecti ex omni exercitu juvenes, pure lautis corporibus, candida veste, quibus deportanda Romam *Regina Iuno* assignata erat, venerabundi templum iniere, primo religiose admoventes manus, quod id signum more vetusto, nisi certæ gentis Sacerdos attrectare non esset solitus: deinde cum quidam seu spiritu divino tactus, seu juvenili joco *visne Romam ire Iuno*, dixisset? *annuisse*: cæteri *Romam conclamarunt*: inde fabulæ adjectum est, vocem quoque dicentis, VELLE, auditam: motum certe sede sua, parvi molimenti adminiculis, sequentis modo accepimus, levem ac facilem translatu fuisse, integramque in Aventinum, æternam sedem suam, quo vota Romani Dictatoris vocaverant perlatam, ubi templum ei postea idem, qui voverat *Camillus*, dedicavit. Hæc *Livius*. Eadem *Plutarchus* habet, & prolixius quidem. Fuit aliud *Reginæ Iunonis* templum in Capitolio, quod, *Livio* teste, à Cn. Flaminio bello adversus Ligures votum est. Meminit ejus & *Cicero* in oratione ad Equites, antequam in exilium iret.

CAPROTINA IVNO unde nomen acceperit, *Plutarchus* docet in Romulo de Camillo, & *Macrobius*, cujus hæc sunt verba: Post Vrbem captam, cùm sedatus esset Gallicus motus, res verò publica esset ad tenue deducta, finitimi opportunitatem invadendi Romani nominis aucupati, præfecerunt sibi *Posthumium Livium* Fidenatium Dictatorem. Qui mandatis ad Senatum missis, postulavit, ut si vellent reliquias suæ civitatis manere, matresfamiliæ sibi, & virgines dederentur. Cumque Patres essent in anxiti deliberatione suspensi, ancilla nomine *Tutela* seu *Philotis*, pollicita est, se cum cæteris ancillis sub nomine dominarum ad hostes iturum, habituque matrumfamilias & virginum sumpto, hostibus cum prosequentium lachrymis ad fidem doloris ingestæ sunt. Quæ cùm à *Livio* in castris distributæ fuissent, viros plurimo vino provocaverunt, diem festum apud se esse simulantes. Quibus soporatis, ex arbore Caprifico, quæ castris erat proxima, signum Romanis dederunt: qui cùm repentina incursione superassent, memor beneficii Senatus, omnes ancillas manu jussit emitti, dotemque eis ex publico fecit, & ornatum, quo tunc erant usæ, gestare concessit, diemque ipsum *Nonas Caprotinas* nuncupavit, ab illa *Caprifico*, ex qua signum victoriæ ceperunt, sacrificiumque statuit annua solennitate celebrandum, cui lac, quod ex caprifico manat, propter memoriam facti præcedentis adhibetur. Hactenus ille.

IVNO MONETA à *monendo* dicta: cùm enim non multò ante Vrbem captam à Gallis terræ motus factus esset, ferunt vocem extitisse è Iunonis templo, quod erat in arce, ut de sue plena fieret procuratio. *T. Livius* scribit, *L. Furium* creatum dictatorem contra Aurunco s, quod bellum ab repentina populatione cœptum erat, inter ipsam dimicationem ædem *Iunoni Monetæ* vovisse, cujus voti, cùm damnatus victor fuisset, Senatum ædem faciendam jussisse, locumque in arce destinatum, quæ area ædium *M. Manlii Capitolini* fuerat, anno postquam ædes vota erat, *Monetæ* dedicatam fuisse. *Macrobius* Calendis Iunii hoc factum fuisse scribit. Servabantur in *æde Monetæ Iunonis* libri lintei, qui dicebantur, in quibus Imperii Romani fata continebantur. Non est verosimile, quod de *Iunone Monetæ* Suidas scribit, cùm Romani pecunia indigerent in bello contra Pyrrhum & Tarentinos, eos Iunonem invocasse: quæ ipsos monuerit, si justitiæ armis uterentur, pecuniam eis non defuturam; cumque id Romanis rectè conti-

contigisset, *Monetam Iunonem* veneratos esse, ejusque rei signum fuisse, quod nomisma, id est, *moneta* inscripta in ejus templo asservaretur.

IVNO SOSPITA, à Græco σώζω, quod *servare* significat, antiquis etiam *Sospes* appellata est, teste *Festo*. Hæc in primis Lanuvii colebatur magno cultu, ut docet *Livius*. Simulacrum ejus fingebatur cum pelle caprina & hasta, & scutulo, & cum calceolis repandis. *Cicero*. Hanc Iunonem cujus Lanuvii ædes erat, Romani etiam colebant: sic enim *Livius*: Lanuvinis, inquit, civitas data, sacraque sua reddita, cum eo, ut ædes, lucusque *Sospitæ Iunonis* communis Lanuvinis municipibus cum populo Romano esset. Quare sæpe apud Livium & alios legimus, misisse Romanos Lanuvium, qui sacrificio facto *Iunonem Sospitam* placarent. Posteà verò & Romæ in foro Olitorio eidem ædes fuit extructa à *C. Cornelio*. Sic enim *Livius* lib. 32. Consul principio pugnæ ædem vovit *Sospitæ Iunoni*, si eo die hostes fusi fugatique essent. Item lib. 34. Ædes eo anno aliquot dedicatæ sunt: una *Iunonis Sospitæ* in foro Olitorio, vota, locataque quadriennio ante à *C. Cornelio Consule* Gallico bello, Censor idem dedicavit. Huic Consules magistratum ineuntes sacrificare solebant. *Cicero* pro Muræna.

IVNO LVCINA inde nomen habet, quod *lucem* nascentibus dare crederetur: unde etiam *Lucetia*. Varr. de lingua Latina lib. 4. Ideò videtur à Latinis *Iuno Lucina* dicta, vel quòd terra, ut Physici dicunt, juvat, & lucet: vel quòd ab luce ejus, qua quis conceptus est, una vivat, donec mensibus actis produxit in lucem. Facta igitur à *juvando* & *luce*, *Iuno Lucina*: à quo parientes eam invocant. Vnde illud Glycerii apud *Terentium*:

Iuno Lucina fer opem, serva me obsecro.

Plinius verò eam sic dictam ait, à *luco*, ubi ejus ædes condita fuerit, ubi lotos fuerit miræ vetustatis, quam opinionem etiam *Ovidius* in Fastis recitat. Hujus templum in v. regione Vrbis à *P. Victore* recensetur, ubi & lucus ei dicatus fuit. Ædicula ipsi in v. regione extructa & dedicata fuit, teste eodem. Scribit *Dionys.* Servium Tullium Regem ærarium *Iunoni Lucinæ* instituisse, in quod pro singulis nascentibus parentes, sive cognati certi pretii nummum inferrent.

IVGA IVNO appellata, vel quòd *Iuges*, ut ait Pompejus. sunt enim ejusdem jugi pares, unde & *conjuges*: vel, uti scribit *Servius*, propter jugum quod imponebant matrimonio conjungendis. *Iugæ Iunonis* ara fuit Romæ in vico, qui ideò *Iugarius* dictus erat, ut *Festus* ait. Scribunt alii quod ad hanc aram veteri ritu nubentes vinculis juncti fuerint, in omen futuræ concordiæ.

Fuit & IVNONIS IVLIÆ ædicula in regione v. & templum *Iunonis Martialis* in regione IIX. Horum verò cognominum mentio extat in nummis C. Vibii Trebonii Galli Imperatoris.

Præter hæc, quæ hactenus recitavimus, etiam *Iunonialia* fuerunt indita cognomina: *Interduca*, *Domiduca*, *Vnxia*, *Cinxia*, in nuptiis invocabatur, de quibus infra.

Calendaris Iuno vocabatur ab antiquis, quoniam omnes *Calendas* ipsi attributas existimabant: in primis *Laurentes* patriis religionibus suis servabant, qui & hoc cognomen *Calendaris Iunonis* cæremoniis addiderunt, & omnibus Calendis huic Deæ supplicabant. Sed & Romæ Pontifex minor in Curia Calabra *Iunoni* rem sacram faciebat, & *Regis uxor*, id est, Regina sacrorum, porcam, vel agnam in regia Iunoni immolabat.

NOVELLA IVNO calabatur à Pontificibus: id est, vocabatur in mensium Calendis. *Varro*.

FEBRVATA, vel FEBRVALIS dicebatur à *Februario*, quod ipse eo mense sacra fiebant. *Festus*.

FLVONIAM IVNONEM mulieres colebant, quòd eam sanguinis fluorem in conceptu retinere putabant. *Festus*.

OPIGENAM etiam IVNONEM matronæ colebant, quòd ferre eam opem in partu laborantibus credebant. *Idem*.

POPVLONA, seu POPVLONEA IVNO etiam cognominata, quam populus seu plebs precabatur, ut innuit *Martianus*. Sed de IVNONE hactenus.

AD CAP. VI. PARALIPOMENA.

De Iunone.

Vt viris singulis sui *Genii* vitæ præsides, actuumque arbitri adesse credebantur, ita fœminis *Iunones* semper præsto erant. quomodo Iunius Philargyrius interpretatur illud Virgilii Eclog. 4. in fine.

Nec Deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est,

Deus, id est, Genius, seu vitæ præses, cui mensam antiquitas sacravit, Dea, id est, Iuno, in cujus tutela lecti genialis, puerperia muliebria, & partus jam nati. Quod Angelo Politiano acceptum referre debemus, qui primus, ut existimo, hunc ritum annotavit Miscellaneor. cap. 89. C. Plin. l. 2. nat. hist. c. 7. *Major cœlitum populus etiam quam hominum intelligi potest, cum singuli quoque ex semetipsis totidem deos faciant, Iunones Geniosque adoptando sibi.* in MS. Codice Iacobi Dalecampii, qui optime non de Plinio modo, sed & de aliis multis authoribus meritus est, legebatur, *adaptando sibi*. In Fuxiensi *adoptantes sibi*. Plaut. in Mercatore:

I hac mecum, ut videas simul tuam

Alcmenam pellicem, Iuno eam.

L. Sen. epist. 110. *Ita tamen hoc seponas, volo, ut memineris majores nostros, qui crediderunt hoc, Stoicos fuisse, singulis enim & Genium & Iunonem dederunt.* Sed quum virorum sint *Genii*, fœminarum *Iunones*, malim legere cum disjunctione, *singulis enim aut Genium aut Iunonem dederunt.* Licet & virorum Iunonem fuisse præsidem videri possit ex Iuvenale Sat. 2. v. 98.

Et per Iunonem domini jurante ministro.

At Satyricus de molli effœminatoque loquitur, ideo rectè quod mulieri conveniebat, ei attribuit. Vet. Scholiast. *non per Iovem*,

Iovem, sed per Iunonem, ita inquit servi jurant, quomodo solebant ancillæ Neronis, adulantes per Iunonem tuam. Albius Tibull. lib. 4.

Natalis Iuno sanctos cape thuris acervos,
Quos tibi dat tenera docta tenere manu.
Tota tibi est hodie, tibi se lætissima compsit,
Staret ut ante tuos conspicienda focos.

Tertius versus, nisi fallor non caret mendo, itaque censebam legendum:

Tota tua est hodie.

At diserte in MS.

Lota tibi est hodie.

Et recte quidem meo judicio, nam ornatrices seu psecades dicebantur *Speculum Iunoni tenere*, quod illa munditiei & ornatus curam habeat: quare & ejus statuæ crines addebant, eosque curiosa superstitione disponebant. D. August. de Civit. Dei l. 6. ex L. Senecæ libro *de superstitione*, qui intercidit: *Sunt quæ Iunoni & Minervæ. capillos disponant, longe à templo, non tantum simulachro, stantes, digitos movent, ornantium modo, sunt quæ speculum teneant.* Idem Epist. 95. *Vetemus lintea & strigiles Iovi ferre, Iunoni speculum tenere.* Prudent. lib. 2. in Symmach. de Victoria:

——— *non pexo crine virago,*
Aut nudo suspensa pede.

Huc refert I. Lipsius illud Tertulliani lib. 1. de Iejuniis. *Qui in idolis comendis & ornandis, & ad singulas horas salutandis adulantur, curationem facere dicuntur.* Vnde defluxit consuetudo loquendi vulgata, ut mulieres *Iunonem suam* appellarent C. Petronius Satyrico pag. 19. *Minor est ista, quam ego sui, cum primum virum passa sum, Iunonem meam iratam habeam, si unquam me meminerim virginem fuisse.* Alb. Tibull. l. 3. eleg. ult.

Et si perque suos fallax juravit ocellos,
Iunonemque suam, perque suam Venerem.

Idem lib. 4. ad finem:

Hæc per sancta tua Iunonis numina juro,
Quæ sola ante alias est tibi magna deas.

Hæc Vestæ & Cereris soror habita. D. Auson. Eidyllio 4. in Grypho Ternarii:

Vesta, Ceres, Iuno, sexus muliebre, sorores.

Ita Vineti editio habet, ita & Silvius in Veneta repererat, & habet hæc lectio patronos suos, nam *sexus* in neutro genere dicitur: notat Priscianus Cæsariensis l. 5. Sisenna hist. lib. 4. *Tum in muro virile, ac muliebre sexus populi multitudine omni collocata.* Salust. l. 2. hist. *At Metellus in ulteriorem Hispaniam post annum regressus, magna gloria concurrentium undique virile ac muliebre sexus, per vias & tecta omnium visebantur.* At Mariangelus in Iulium Solinum legit:

Vesta, Ceres, & Iuno, decus muliebre, sorores.

Vulgata enim dicendi forma Virgil. Eclog. 4. & alii passim:

Tuque adeo decus hoc avi.

Et Ecloga 5.

Tu decus omne tuis.

Invaluit tamen Criticorum opinio, ut legeretur:

Vesta, Ceres, & Iuno, secus muliebre, sororum.

Quod Sosipatri Charisii authoritate idem sit *secus* neutri generis ac *sexus*. Iosephus Scaliger lib. 1. Auson. lect. cap. 16. citat locum ex Eidyllio 5. seu Technopægnio, sed Elia Vineto indicante:

Nota Caledoniis nuribus muliebre secus strix.

Licet editiones vulgatæ habeant:

Nota & parvorum cunis muliebre secus strix.

Quæ lectio nihil habet cur placeat, meo judicio. Et ut *Iupiter Stygius* de Plutone apud poëtas, ita & *Iuno infera*, seu *infernа* pro Proserpina, usurpatur. *Quia inferius terræ hemisphærium per illam ab antiquis Physicis significatum.* Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 21. Inde poëtæ, Claudian. lib. 1. de Raptu in principio:

——— *caligantesque profundæ*
Iunonis Thalamos.

Sil. Italic. lib. 13. Punicor.

——— *conjux Iunonis Avernæ.*

Stat. lib. 5. silv. 3.

——— *umbrarum reges Ætnæaque Iuno.*

Et lib. 4. Thebaid. v. 524.

Funestorum operum Eumenides, Stygiæque severos
Iunonis thalamos, ac mæsta cubilia cerno.

Luctat. Placid. *Pythagoras dicit duo esse hemisphæria, quibus proprios deos assignat, & facit superioris regem Iovem, & reginam Iunonem, inferioris Ditem Iovem esse infernum, Proserpinam Iunonem infernam, & duas Veneres, unam supernam, & alteram Libitinam, & alios deos binos constituit, Hecaten, sicut & Ditem Iovem, ita & hanc Stygiam Iunonem & Iunonem infernam* interpretatur Proserpinam Servius ad illud lib. 6. Æneid.

Aureus & foliis, & lento vimine ramus,
Iunoni infernæ dictus sacer.

Præposita erat & sacris nuptialibus, neque legitimæ celebrari poterant nuptiæ sine illius interventu, quæ & matronalis reverentiæ seu majestatis, & ornatus seu munditiei muliebris præses credebatur. Dicam lib. 5. cap. 37. Eam autem nomine illo pro aëre cultam ab Assyriis & Afris docet Iul. Firm. lib. de errore prof. Rel. & ante illum Pausan. Attic. Plutarch. Crasso, & omnibus prior Herod. l. 1. Probus in Eclog. 6. Virgilii. Cic. lib. 2. Nat. deor. *aër interjectus inter mare & cœlum Iunonis nomine consecratur.*

CAP. VII.

De Apolline & Diana.

Sequuntur inter Selectos Deos, Apollo, & Diana.

APOLLO à plerisque putatur idem esse qui *Sol*, quidam diversum ab eo faciunt. *Cotta* apud *Ciceronem* varios esse *Apollines* dicit, & ex iis quatuor recenset. *Apollinum*, inquit, antiquissimus is, quem paulo antè ex Vulcano natum esse dixi, custodem Athenarum. *Alter Corybantis* filius, natus in Creta: cujus de illa insula cum Iove ipso certamen fuisse traditur. *Tertius Iove* tertio natus, & Latona, quem ex Hyperboreis Delphos ferunt advenisse. *Quartus* in Arcadia, quem Arcades *Nomionem* appellant, quòd ab eo se leges ferunt accepisse. Ex his quatuor tertium potissimum à Romanis cultum fuisse suspicari licet. Is enim celebratissimus apud eos fuit. *Dianæ* frater, de quo sic *Manilius* vel *Manlius* apud Varronem: *Latona* parit casto complexu Iovi Deli deos geminos, id est, Apollinem & Dianam: ut interpretatur *Varro* idem: *O sancte Apollo, qui umbilicum certum terrarum obtines.* Vnde nomen *Apollo* habeat, variant Scriptores. *Macrobius* aliquot diversas sententias & cognomina recenset lib. 1. Saturn. cap. 17. Hunc quatuor artibus antiqui præfecerunt. Nam primum *Citharœdum*, ac *Citharœdorum Deum*: deinde *Medicinæ inventorem*, pòst *Iaculatorem* & *Sagittarium*, tum *Vatem* & *vaticinii Deum* constituerunt. Fabulam ejus prolixè recitare nolo. Pingebatur in specie impuberis juvenis, modò facie puerili, modò

modò juvenili, semper imberbis: interdum autem cana diversitate apparentis: licèt verò tali facie esset formatus. Is super caput portabat tripodem aureum. In dextra verò manu habebat sagittas, arcum & phaeretram: in sinistra autem citharam tenebat. *Albricus*, item *Macrobius* & alii. Nonnunquam etiam ita figurabatur, ut manu dextra Gratias gestaret: arcum cum sagittis sinistra: qua de re multa habet *Macrob.* lib. 1. Saturn. cap. 17. Religiose hic fuit à Romanis cultus, ac multa est consecutus templa, ædes, aras, multaque cognomina. Dictus est enim *Cœlispex*, *Medicus*, *Palatinus*, *Sandaliarius*, *Sosianus*, *Thuscanicus*, *Tortor*.

COELISPEX fortasse dictus, quòd ita figuratum sit ejus simulacrum, ut cœlum aspexerit. Vt videre est in fronte lib. 2. nota E.

MEDICVS dictus, quòd medicinæ fuerit inventor. Huic ædem extruxit *M. Fulvius Nobilior* Censor anno IOLXXIV. Coss. *L. Manlio Acidino*, *Q. Fulvio Flacco*. Liv. lib. 40.

PALATINVS, qui & ACTIACVS & NAVALIS, & PARÆTONIVS, dictus fuit Apollo à templo, quod ipsi in monte Palatino Augustus, Antonio & Cleopatra devictis, ex marmore (ut *Servius* testatur) Lunensi fecit. Templum hoc fuit donis opulentissimum, siquidem *Augustus* aureas argenteasque statuas sibi positas ei donavit, fuit etiam opere magnificentissimum. Valvæ erant eburneæ, auro picturisque ornatæ, de quibus detracta hostibus spolia suspensa erant. Describit hoc templum elegantissimè *Propertius*, cujus versus aliquot ex castigatione *Iosephi Scaligeri* adscribam: sunt autem hi:

Tum medium claris surgebat marmore templum,
Et patria Phœbo charius Ortygia.
Auro Solis erat supra fastigia currus,
Et valvæ Libyci nobile dentis opus.
Altera dejectos Parnassi vertice Gallos,
Altera mœrebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem Deus ipse, interque sororem
Pythius in longa carmina veste sonat.
Illic aspicias scopulis hærere sorores,
Et canere antiqui dulcia furta Iovis.
Vt Semele est combustus, ut est deperditus Io:
Denique ut à Troia tecta volarit avis, &c.

Fuit hoc templum etiam porticu circumdatum, quæ templi *Apollinis Palatini* appellata, uti ex eodem Propertio liquet, dicente:

Quæris cur veniam tibi tardior? aurea Phœbi
Porticus à magno Cæsare aperta fuit.
Tota erat in species Pœnis digesta columnis:
Inter quas Danaï fœmina turba senis.
Hic equidem Phœbo visus mihi pulchrior ipso
Marmoreus tacita carmen hiare lyra.
Atque aram circum steterant armenta Myronis,
Quattuor artificis vivida signa boves, &c.

Fuit & ibidem *Area Apollini Palatino* consecrata. Hodie ne vestigia quidem illius templi relicta sunt: diruto etiam *S. Luciæ* sacello, in quod Apollinis illud conversum fuerat.

SANDALIARIVS APOLLO, simulacrum fuit Apollinis, quod Augustus Cæsar ex strena, quam ipsi Equites Kalendis Ianuariis in Capitolio præbebant, mercatus est, & in vico quodam regionis Quartæ dedicavit, unde vicus ipse *Sandaliarii* nomen accepit. *Onuphrius Panvinius* & *Sext. Rufus*. Dictus autem est *Sandaliarius*, ut quidam volunt, à *Sandalio*, quod simulacrum istud *Sandaliis* fuerit ornatum. Quod ferè probat *Theodorus Pulmannus*, qui annotat, in antiquis duobus Suetonii exemplaribus, pro eo, quod in excusis est, *Apollinem Sandaliarium*, fuisse *Apollinem Sandaliatum*. Est autem *Sandalium* genus calceamenti, quod Germanicè *pantoffelen* dicimus. *Antonius* tamen *Sabellicus* non vicum ab Apolline, sed Apollinem à vico *Sandaliarium* appellatum fuisse vult, quod in eo vico, in quo hæc Apollinis effigies dedicata fuerit, plurimi *Sandaliarii* opifices habitârint, cum quo etiam facit *Lævinus Torrentius*.

SOSIANVS etiam APOLLO; simulacrum fuit Apollinis cedrinum è Seleucia Romam advectum, & in æde ejus collocatum. Meminit hujus *Plinius* lib. 13. cap. 5.

TORTORIS quoque APOLLINIS simulachrum fuit Romæ, de quo *Suetonius* scribit, Apollinem hoc nomine in quadam parte Vrbis cultum fuisse. *Antonius Sabellicus* putat, eum *Tortorem* dictum fuisse à vico in quo venalia tortorum flagella pependerint, vel quem *tortores* incoluerint. Idem probat *Lævinus Torrentius*.

THVSCANICVS APOLLO Romæ fuit in Bibliotheca templi Augusti, quinquaginta pedum à Pollice, de quo *Plin.* lib. 34. cap. 7. dubium esse dicit ære mirabilior sit an pulchritudine.

APOLLINEM DIADEMATVM, ejus denique colossum, cubitorum triginta centum & quadraginta talentis in eo sumptis, *Lucullus* ex Apollonia Ponti in Capitolium transtulit. *Plinius*. Reperiuntur & alia Apollinis cognomina in vetustis monumentis & nummis, quæ libens prætereo.

DIANA.

Apollinis soror DIANA fuit, sic dicta, ab *Iana*, si *Macrobio* credimus, *d* litera addita: *Iana* enim *Luna* est. Alii à διὸς appellatam eam volunt: hoc est, à *Iove*, quasi *Ioviana*, Iovis enim est filia. Quidam quasi *Devianam*, quoniam venantes per devia, & sylvas deviare solent captantes feras. Alii *Devianam*. Dianas tres *Cicero* connumerat lib. 3. de Natura Deorum: *Primam* Iovis & Proserpinæ filiam, quæ pennatum Cupidinem

Pidinem genuisse dicitur: *secundam* notiorem ait, quæ Iove tertio & Latona nata sit: *tertiæ* patrem *Vpin* fuisse dicit, matrem Glaucem, quam sæpe Græci *Vpin* paterno nomine appellant. Ex iis secunda celebratissima fuit, à Græcis, & posteà à Romanis culta. Simulacrum ejus tale erat: Pingebatur specie fœminæ coma dissoluta, quæ arcum tenebat & sagittam, cervos quoque cornutos in venatione insequi videbatur, sicuti adhuc in nummis antiquis cernitur.

Primum DIANÆ templum Romæ in Aventino monte extructum fuit à populis Latinis, *Servio Tullio* regnante. Cùm enim, ut *Dionysius* scribit, cupido Servium Regem invasisset ex populis Latinis, quasi unum corpus constituere, ne à se invicem dissentientes, mutuis cædibus ruerent, convocatis Latinorum optimatibus, suasit eis ut templum cum inviolabili refugio communi sumptu Romæ construerent, quo convenientes civitates, quotannis privatim simul & publicè sacra facerent, exercerentque forum rerum venalium certis temporibus: & si qua offensa populis incideret, inter sacra Deorum conciliarentur ex aliorum populorum arbitrio. Hæc & alia multa commoda proponens, quæ consequerentur, & communi concilio, omnibus persuasit, qui tum aderant. Collatis deinde oppidatim pecuniis, *Dianæ* templum ædificavit in Aventino eminentissimo urbis tumulo, & fœderis leges conscripsit civitatibus, ritusque celebrandi festi, atque fori constituit. Et ne ulla injuria temporum aboleretur, in ærea columna incidit decreta concilii & civitates ejus conventus participes. Ea columna permansit usque ad nostram ætatem in *Dianæ* templo dedicata, inscripta literarum characteribus Græcanicis. Hactenus *Dionysius*. Huic templo boum cornua erant affixa, cùm reliquis *Dianæ* fanis cervorum cornua affigerentur, cujus rei causam hanc recitat *Plutarch.* esse id monimento antiqui casus. Fuisse quendam in Sabinis, *Autronem Coratium*, qui vaccam habuerit & magnitudine & forma reliquis præstantem, monitumque à vate quodam ei, qui in Aventino bovem hanc *Dianæ* immolasset, fata summam potestatem deferre, Vrbemque ipsius Italiæ totius regno potituram, Romam se contulisse bovis ibi mactandæ gratia. Servum autem Regi Servio clam id vaticinium, Regemque Cornelio Pontifici indicasse. Tum *Cornelium Autroni* mandasse, ut ante sacrificium aqua Tiberis profluente sese ablueret: sic enim legibus præscriptum esse litaturo: ita hunc lotum abiisse. Interim *Servium* occasionem immolandæ vaccæ in honorem Dianæ præcepisse, mactatæque cornua templo affixisse. Hactenus *Plutarchus*. Eandem fabulam & *Livius* recitat.

Fuit ædes DIANÆ in Cœliolo, quæ hodie est templum *S. Ioannis* Euangelistæ, ante portam Latinam, minimam & nullorum plane ornamentorum. Idem in Subura, unde nomen DIANÆ *Suburanæ*.

Ædicula quoque DIANÆ VALERIANÆ in regione Vrbis VI. fuit. Item in vico Patricio ædes *Dianæ* fuit, quam non intrârunt viri, cùm ab aliis non arcerentur. ejus rei hanc causam *Plutarchus* quæst. 3. affert, fieri id ob sermonem vulgatum. Mulierem enim quandam Deæ ibi cultum exhibentem à quodam vi fuisse compressam, eumque à canibus discerptum: unde superstitio nata sit, ne viri eo intrarent.

AD CAP. VII. PARALIPOMENA.

Apollinis cognomina & Oracula celebria.

Locus Fulgentii lib. 3. Mythol. cap. 9. ubi agit de Apolline & Marsya, mire corruptus, quem fide MS. codicis restituit Fr. Modius. *Quem Apollo cum non rectè judicasset asininis auribus depravavit, ille criminis sui notam tonsori tamen ostendit, præcipiens ei, ut si crimen ejus cælaret, eum participem regni efficere, ille secretum domini sui in terram fodit, & in defosso terra duxit & operuit, in eodem loco calamus natus est.* Legendum, *tonsori tantum ostendit, promittens ei, ut si crimen ejus celaret, participem regni efficere, ille in terra fodit, & secretum domini sui in terra dixit, & terra operuit.* Sequitur deinde, *quæ cum percutiebatur, dicebat, Mida Rex aures asinales habet*, lege *asininas.*

Variis hic cognominibus compellatus, pro diversis seu regionibus, seu cultibus, aut populorum ritu. Primum igitur, ut inde ordiar *Deliacus*, à Delo Insula, ubi est natus, dictus est, θεὸν ἤνεσε πρώτη, *Deum celebravit prima.* Callimach. Hymno in Delum. v. 5. non ergo tantum quod ibi natus sit, ut ex Pindari Scholiaste putant, & sexcentis aliis, sed quod primus à Deliacis Apollini sit exhibitus cultus, primaque sacrificia. Vnde *sex mensibus æstivis Deli dabat responsa.* Serv. ad v. 144. lib. 4. Æneid. ut abunde narrat Plutarchus in Pelopida. Idem etiam & *Genitor.* Diogen. Laërt. l. 8. Βωμὸν προσκυνῆσαι μόνον ἐν Δήλῳ τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Γενέτορος, ὅς ἐστιν ὄπισθεν τοῦ Κερατίνου. *Adorasse modo Apollinis Genitoris aram in Delo, quæ retro corneam est posita.* De Pythagora Macrob. l. 3. Saturnal. cap. 6. *Multa de hoc cognomento disquirit Cloatius Verus Ordinatorum lib. 2. Deli ara est Apollinis Γενέτορος, in qua nullum animal sacrificatur, quam Pythagoram, velut inviolatam adorasse produnt.* Meminit & M. Cato libr. *de liberis educandis*, in Fragmentis historicor. pag. 14. *Nutrix hæc omnia faciebat in verbenis, ac tubis, sine hostia, ut Deli ad Apollinis Genitivi aram.* & allusit Valer. Flacc. Setinus lib. 5. Argonautic.

Cum comes orsa loqui, Phœbi Genitoris ad aram
Ventum, ait.

Ara hæc *cornea*, seu, ut aliis placet, *cornuta* erat, id est, è cornibus compacta, Angelus Politian. Miscellaneor. cap. 52. Theodorus Marcilius Regius eloquentiæ professor ad Epigr. 1. Amphitheatri Martialis. P. Ovid. Epist. 20. Cydippes Acontio.

Miror & innumeris structam de cornibus aram,
Et de qua pariens arbore nixa dea est.

Callimachus Cyrenæus in Hymno Apollinis vers. 62. eam depingit:

——— ὁ δ᾽ ἔπλεκε βωμὸν Ἀπόλλων.
Δείματο μὲν κεράεσσιν ἐδέθλια, πῆξε δὲ βωμὸν
Ἐκ κεράων, κεραοὺς δὲ πέριξ ὑπεβάλλετο τοίχους.

Id est ad verbum. *ipse vero compingebat aram, Apollo construxit quidem cornibus fundamenta, compegit vero altare ex cornibus, cornua item circum parietes posuit.* Metricis legibus elegantissime inclusit Bonaventura Vulcanius:

——— *aram texebat Apollo,*
Cornea sternebat fundamina, cornibus ara
Surgebat, cornu murum quoque duxit in orbem.

Atque ista quidem inter mundi miracula habebatur. Martial. loco citato:

Dissimuletque Deum cornibus ara frequens.

Abunde, ut solet, nec minus curiose, Plutarch. lib. de Solertia Animal. ex veteri poëta quodam:

Δήλῳ

Δήλῳ δή ποτε τοῖον Ἀπόλλωνος παρὰ ναῷ
Τὸν κεράτινον βωμὸν εἶδον, ἐν τοῖς ἑπτὰ καλουμένοις θεάμασιν ὑμνούμενον, ὅτι μήτε κόλλης δεόμενος, μήτε τινὸς ἄλλου δεσμοῦ διὰ μόνων τῶν δεξιῶν συμπέπηγε καὶ συνήρμοσται κεράτων. Vertit Guil. Xylander.

Tale quid in Delo, & Phœbi me cernere templo.

Nempe aram ceratinam sive cornutam (*melius* reddidisset, *corneam*) *quæ inter septem mundi miracula celebratur, quod neque glutine ullo, neque aliis vinculis cohærens, è solis dextris cornibus compacta est.*

Isto quidem apud Græcos cognomento colebatur. At apud Romanos, *Palatinus*, seu *Actiacus*, sive quia Augustus videri volebat se Apollinis esse filium, ut Suetonius refert cap. 94. sive quod navali prælio victor, Antonio profligato, ad Actium promontorium fanum ei erexerit, ut narrat Dio Coccejanus in actis Anni 724. lib. 51. in principio. à similitudine autem ludorum ibi exhibitorum, alios Romæ post triumphum dedit, & Apollinem, cujus ut credebatur, beneficio, victoriam fuerat adeptus, templo structo deveneratus est: quod quia in Palatio structum fuit, Apollo Palatinus inde cognominatus. Suetonius in Aug. cap. 29. *Extruxit forum cum æde Martis Vltoris, templum Apollinis in Palatio, ædem Tonantis Iovis in Capitolio.* Et cap. 52. *ex quibus aureas Cortinas Apollini Palatino dedicavit.* In hoc templo Bibliotheca Latina & Græca erat, ut ex Suetonio c. 29. laudato constat meminere vetusti marmoris fragmenta.

OSSA.

VIBIÆ. SVCCESSÆ. LIVIÆ. AVG. SER. AB. ARGENTO.
POTORIO. ITEM. A. VESTE. L. VIRIVS. AVG. SER.
PAMPHILVS. SCRIBA. LIB. ET. A. BIBLIOTHECA.
LATINA. APOLLINIS. CONIVGI. FIDELISSIMÆ. ET. PIISSIMÆ.

B. D. S. M.

Est & alia inscriptio, cujus hæc sunt verba.

SVLPICIÆ THALLVSSÆ.

ANTIOCHVS. TI. CLAVDI. CÆSARIS. BIBLIOTHECA. LATINA. APOLLINIS. CONIVGI. SVÆ. BENE. MERITÆ.

Istæ quidem inscriptiones meminerunt bibliothecæ Latinæ. Est quoque Græcæ mentio in ista.

DIS. MANIBVS.

C. IVLIVS. FELIX. A. BIBLIOTHECA. GRÆCA. PALAT.

Frequenter eam laudant poëtæ ejus ævi. Plin. l. 34. Nat. histor. cap. 3. in fine. Et l. 36. cap. 5. Virgil. l. 6. Æneid. post principium:

Tum Phœbo & Triviæ solido de marmore templa
Instituam, festosque dies de nomine Phœbi.

Servius Maurus, *ut solet, miscet historiam; nam hoc templum in Palatio ab Augusto factum est.* D. Iuvenal. Satyr. 7. v. 38.

Musarum & Apollinis æde relicta.

Martial. lib. 12. epigr. 3.

Iure tuo veneranda novi pete limina templi;
Reddita Pierio sunt ubi templa choro.

Sext. Propert. lib. 2. eleg. 31. Et lib. 4. eleg. 6.

Musa Palatini referamus Apollinis ædem.

Helenius acron, Porphyrion, aliique Horatii interpretes ad illud lib. 1. Satyr. 9.

——— *sic me servavit Apollo.*

Et lib. 1. epist. 3.

Privatas ut quærat opes, & tangere vitet
Scripta Palatinus quæcunque recepit Apollo.

De bibliotheca Græca, Latinaque nulli dubium esse possit; adde & Ovidium l. 3. Trist. eleg. 1.

Quæque viri docto veteres fecêre, novique
Pectore, lecturis inspicienda patent.

Illud certe non æque obvium, aut cuiquam hactenus animadversum, juxta illud templum convenire solitos Iurisconsultos, de litibus ambiguis disceptaturos. Vetus Scholiastes Iuvenalis ad v. 128. Sat. 1. *Aut quia juxta Apollinis templum Iurisperiti sedebant, & tractabant, aut quia bibliothecam juris civilis, & liberalium studiorum in templo Apollinis Palatini dedicavit Augustus: nam hic est Apollo, cujus meminit Horatius.* Pseudocornutus ad Sat. 2. A. Persii v. 56. *In porticu Apollinis Palatini fuerunt Danaidum effigies, & contra eas subdio totidem equestres filiorum Ægysthi.* Ob eam certe causam totum *Palatium*, & totus *mons Palatinus* in tutela erat Apollinis. P. Ovid. lib. 3. de Arte:

Quæ nunc sub Phœbo ducibusque palatia fulgent,
Quid nisi araturis pascua bobus erant?

Et eodem libro deinde:

Visite laurifero sacrata palatia Phœbo,
Ille Parætonias mersit in alta rates.

Habuere etiam & barbari suum Apollinem, quem quod ab Hyperboreis, Scythiæ ultra Aquilonem populis, ut exponit Luctatius Placidius ad lib. 5. Thebaidos Statianæ v. 390. religiose coleretur, *Hyperboreum* appellaverunt. Serv. Honorat. ad v. 114. lib. 4. Æneid. *Agathyrsi populi sunt Scythiæ, colentes Apollinem Hyperboreum, cujus elogia, id est, responsa feruntur.* At historici Geographicarumque rerum scriptores fabulosa omnia de hac gente existimant, Eratosthenes apud Strabonem libro Geograph. 1. qui idem Strabo nusquam illum populum existere docet contra commenta Pitheæ Massiliensis lib. 7. pag. 335. Fest. lib. 8. *Vltra Aquilonis flatum habitantes*, Herodotus *nullos* omnino esse asserit, Possidonius *Alpibus conterminos* locat. Raphaël Volaterran. Geographiæ lib. 7. pag. 221. Sunt qui *ultra Scythas Isedonas* esse tradant, quibus conterminos *Arimaspos*, atque his adjacere *Riphæos* montes, quorum juga incolant *Hyperborei.* Sed omnia esse ficta, qui regiones illas lustravit, prodidit Adamus Matthæus à Michanu. tamen usque adeo antiqui fidem adhibuerunt, ut *Abaris Scytha, Senthæ filius, oracula scripserit, quæ Scythica vocabantur, nuptias Hebri fluvii, lustrationes, deorum origines soluta oratione, Apollinis adventum ad Hyperboreos, versu.* Fertur & oraculum hujus celebre, laborantibus peste Græcis, oportere à populo Atheniensi vota fieri pro omnibus. Suidas in voce Ἄβαρις authoritate magni Basilii. Iamblic. lib. de vita Pythagoræ cap. 19. ἦλθε μὲν Ἄβαρις ἀπὸ ὑπερβορέων ἱερεὺς τοῦ Ἀπόλλωνος. *Venit Abaris ab Hyperboreis sacerdos Apollinis.* Scholiast. Pindari Olymp. ode 3. in principio:

Δᾶμον ὑπερβορέων πείσαις Ἀπόλλωνος θεράποντα.

Populo Hyperboreorum quum persuasisset Apollinis cultori. Meminit & Pythior. ode 10. Ælian. Var. hist. l. 2. cap. 26. Ἀριστοτέλης λέγει ὑπὸ τῶν Κροτωνιατῶν τὸν Πυθαγόραν Ἀπόλλωνα ὑπερβόρειον προσαγορεύεσθαι. *Aristoteles dicit à Crotoniatis Pythagoram Apollinem Hyperboreum cognominari.* Qui locus in scriptis Aristotelis non habetur. Claudian. de 6. Hon. consul.

Auget spes Italas, & certius omnia surgunt
Victrici concepta solo, quum pulcher Apollo
Lustrat Hyperboreas Delphis cessantibus aras.

Primus versus corruptus: lege:

——— *& certius omina surgunt.*

Idem lib. 3. de laud. Stilichon.

——— *Hyperboreis Delos prælata pruinis.*

Multa dona à Græcis ad hos Apollinis cultores mittebantur, Diodor. Sicul. lib. biblioth. 2. apud Desiderium Heraldum lib. ad Iamblichum cap. 7. Animadversor. Callimach. Hymno in Delum v. 281. *Decimas inquit tibi obtulerunt, qui ad Auroram, Vesperam & meridiem.*

——— καὶ οἱ καθύπερθε Βορῆος
οἰκία θινὸς ἔχουσι, πολυχρονιώτατον αἷμα.

Et quia supra Boreæ domicilia littus habent, valde longævum genus. Sed & illi *per virgines probatissimas primitias frugum Apollini Delio missitabant.* C. Iul. Solin. Polyhist. cap. 21. Sequitur autem in Claudiano:

 At

At ſi Phœbus adeſt, & frænis grypha jugalem
Ryphæo tripodas repetens detorſit ab axe.

Gryphes ergo *Hyperboreo Apollini* dicatos inſinuat, ut puto, *propter ſagacitatem*, miramque in proſpiciendis futuris providentiam, quos collocat L. Apul. l. 11. Mileſiar. in myſteriis Iſidis. *Hinc Dracones Indici, inde Gryphes Hyperborei, quos in ſpeciem pinnatæ alitis generat mundus alter.* Serv. ad Eclog. 8. *Gryphes genus ferarum in Hyperboreis naſcitur montibus, omni parte leones ſunt, equis vehementer infeſti, Apollini conſecrati.* Mira certe earum ferarum natura; quæ auri aſpectu adeo delectentur, ut *homines ne tangere illud quidem excubantes permittant.* Pompon. Mela l. 3. de ſitu orbis cap. 1. *Gryphi ſævum, & pertinax ferarum genus, aurum terra penitus egeſtum mire amant, mireque cuſtodiunt, & ſunt in feſti attingentibus.* Et lib. 3. cap. 7. paria Iul. Solin. Polyhiſt. cap. 20. *Cum auro & gemmis affluant, gryphes tenent univerſa alites ferociſſimæ, & ultra omnem rabiem ſævientes, quarum immanitate obſiſtente, aditus advenis difficilis eſt, ac rarus, quippe viſos diſcerpunt, veluti genitæ ad plectendam avaritiæ temeritatem.* Aurel. Caſſiod. l. 9. epiſt. 3. *Gryphes aurum jugiter leguntur effodere, atque hujus metalli inſpectione gaudere.* Claudian. epiſt. ad Serenam:

Caucaſeo cryſtalla ferunt de vertice lynces,
Gryphes Hyperborei pondera fulva ſoli.

Fatidicus vates, augur, ſortilegus, & cortinipotens idem hic Apollo nominabatur, *quod oraculis præeſſet*: quæ quo magis ambigua, & perplexa, eo laudatiora. Non. cap. 1. num. 45. *Crepera res proprie dicitur dubia, M. Varro in Myſteriis, primum horrida ſilent oracula, priſca, crepera in nemoribus.* Martian. Capella l. 1. de Nuptiis: *Ipſe pedibus talaria vertit aurea, & nunc in fanis, quibus aut vaticinia obliquis fundebantur ambagibus, aut denuntiata pecudum cæde, fiſſulatis extorum proſiciis viſcera loquebantur.* Vnde & veteribus quibuſdam poëtis affectata ex induſtria obſcuritas, & ſub imagine ænigmatum propoſita veritas. Scholiaſt. Æſchyli in Prometheo vincto, οἱ παλαιοὶ τὰ ποιήματα αὐτῶν πρῶτον μὲν αἰνίγμασι γεγράφασι. *Antiqui poemata ſua primum ænigmatis ſcribebant.* Et Scholiaſt. Iuvenal. ad Sat. 1. v. 128. *Sive quod Cicero domum Scævolæ oraculum dixit, ſive quod tam de via Iuriſconſultorum reſponſa ſint, quam Apollinis.* Luctat. Placid. ad v. 509. lib. 1. Thebaid. *oraculi fidem latentem* vocat Statius ipſe:

Salve priſca fides tripodum, obſcurique receſſus.

Idem l. 3. Thebaid. v. 614.

Exſpectare queam, dum pallida virgo tremendas
Nuntiet ambages.

Adſcribam celebrium aliquot poëtarum loca, qui oraculorum ambiguitatem egregie expreſſerunt. Si prius oraculorum præſidem Apollinem ab iſta obſcuritate nomen deduxiſſe id ipſum ſignificans, dixero. λόξιας enim à λόξοις, *ab incurvis & obliquis exiſtentibus oraculis*, ut Iodocus Velareus interpres Phornuti, Latine reddidit. Scholiaſt. Sophoclis. Synæſ. lib. de ſomniis. Tacit. l. 2. Annal. *Ferebatur Germanico, ut mos eſt, per ambages oraculum, maturum exitium ceciniſſe.* Chryſippus apud Tullium l. 2. de Divinat. *Flexiloqua & obſcura vocat oracula.* Lucan. libro 1. v. 639.

——— Flexa ſic omnia Thuſcus
Involvens, multaque tegens ambage canebat.

Et lib. 5. v. 225.

Terreat ambiguis fruſtratum ſortibus.

Lib. 6. v. 772.

——— tripodes vateſque deorum
Sors obſcura tenet.

Valer. Flacc. lib. 1. Argonautic.

Iam dudum longa Minyas ambage, ducemque
Terrificat.

Et lib. 4.

——— Dedit tacitis iterum reſponſa tenebris.

Sil. Italic. lib. 9. Punicor.

Iamque alter tibi, nec perplexo carmine, coram
Fata cano vates.

L. Seneca in Oedipo Act. 2. ſc. 1.

Reſponſa dubia ſorte perplexa latent.

Sequitur deinde ibidem:

Ambage nexa Delphico mos eſt Deo
Arcana legere.

Legendum ex MS.

Ambage flexa Delphico mos eſt Deo.

Claudian. lib. 2. in Ruffin.

Has canit ambages, occulto fallitur ille
Omine.

Et lib. de Bello Getico:

O ſemper tacitas ſortes ambage maligna,
Eventuque potens, & noxia vatibus ipſis
Vere ſacra fides.

Vnde quia ICti res maxime controverſas ſorti committebant, ideo & *oracula ſortis* nomine audiunt. Cicer. lib. 1. de divinat. poſt principium; *Quæ eſt autem gens, quæ civitas, quæ non aut extis pecudum, aut monſtra, aut fulgura interpretantium, aut augurum, aut aſtrologorum, aut ſortium, ea enim fere artis ſunt, prædictione non moneatur?* Et poſt eodem libro; *Cujus generis oracula etiam habenda ſunt, non ea quæ æquatis ſortibus ducuntur.* Et ibidem poſt; *Si ſors contemnenda non eſt, ſi auctoritatem habet vetuſtatis.* Horatius de Arte poëtica, *dictæ per carmina ſortes.* Helenius Acron *reſponſa Apollinis* interpretatur; & *Oraculi Geryonis ſortes.* C. Sueton. in Tiber. c. 14. T. Livius 1. Decad. l. 1. *Delphos ad maxime inclytum in terris oraculum mittere ſtatuit, neque reſponſa ſortium ulli alteri committere auſus.* L. Apul. 5. Mileſiar. *Ducite me, & cui Scopulo ſors addixit, ſiſtite.* de Apolline Mileſio C. Iul. Hygin. Fab. cap. 69. *Adraſtus memor ſortium ſuarum*, id eſt, *oraculi.* Et cap. 101. *Petit ſortem ab Apolline, quod eſſet remedium.* Ammian. Marcell. l. 14. in fine. *Vrnam ſortium temperat, accidentium vices alternans.* Virgilius paſſim, l. 7. Æneid. *non patrio ex adyto ſortes.* Serv. *ſortes abuſive pro oraculis.* Alb. Tibullus l. 1. eleg. 3. eleg. 8. l. 2. eleg. 5. Sidon. Apoll. Carm. 5. v. 263.

Si Lyciæ ſapiunt ſortes.

Et Carm. 9. v. 187. & eruditiſſimus Savaro:

Non ſortes Lyciaſque Caritumque.

Terentian. Maurus lib. de Metris:

Fatidicas ſortes ducuit deponere Pæan.

Q. Ennius in Annalib.

Vt ſe edoceret, obſecrans Apollinem,
Quo ſeſe vertant tantæ ſortes.

Corrigendus interea ex Ovidio locus l. 15. Metamorph. Fab. 2.

Palanteſque homines paſſim, ac rationis egentes
Deſpectare procul trepidoſque, obituſque timentes.
Sic exhortari, ſortemque evolvere fati.

Hercules Ciofanius Sulmonenſis, qui optime de hoc poëta eſt meritus, conferens cum viginti tribus codicibus MSS. putavit ex illis eſſe legendum, forte non male:

Sic exhortari, ſeriemque evolvere fati.

Ita tamen ut non quælibet *ſortes*, *oracula* eſſent; nam quædam vaticinia per ſortes agebantur, id eſt, talis conjectis in menſam, cujus rei forma hujuſmodi præſcripta eſt apud Pindari Scholiaſten ad oden 4. Pythior. ἐὰν βάλλοντος μου τόδε ἀγαθὸν, ἀποτελεσθήσεται τόδε εἰ δὲ μὴ οὐκ ἀποτελεσθήσεται. *Si me jaciente, hoc ceciderit, eveniet, ſin minus, non eveniet.* Notavit Ioan. Hartungus Decuriæ ex optimis authoribus 3. cap. 8. num. 4. Deinde certum eſt quaſdam *ſortes* eſſe *Apollineas*; ut loquitur Servius ad verſ. 376. lib. 4. Æneid. aleas ab antiquitate *Mercurio dicatas*: erudite, ut ſolet, probat Adrianus Iunius libr. 2. Animadverſ. cap. 4. Denique quum omne oraculum aut in templis, aut in antris edi ſoleret, ſortes etiam in profundum aliquem fontem jactari, divinandi gratia, notum eſt. C. Sueton. Tiber. cap. 14. *Cum juxta Patavium adiſſet Geryonis oraculum, ſorte tracta, qua monebantur, ut de conſultationibus in Aponi fontem talos aureos jaceret, evenit ut ſummum numerum jacti ab eo oſtenderent, hodieque ſub aqua viſuntur hi tali.* Quod Iſaacus Caſaubonus, vir doctiſſimus, in Græcorum conſuetudine moribuſque fuiſſe oſtendit ex Sozomeno libr. 5. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 19. allato etiam exemplo *Inus fontis*, ex Pauſania in Laconic. & alluſit Claudianus de 6. Honor. Conſul.

——— Cumque omnibus una
Sit natura vadis, ſimiles ut corporis umbras
Oſtendant, hæc ſola novam jactantia ſortem,
Humanos properant imitari flumina mores.

Et ob id in fontes, dona quædam, ceu accepti beneficii præmia conjiciebant, percepta ſorte diſceſſuri, non minus quam illi qui oracula conſulebant, donaria votiva templorum ſeu tholis, ſeu parietibus affigebant. C. Plin. l. 8. epiſt. 8. *Hunc ſubter fons exit & exprimitur pluribus venis, ſed imparibus, eluctatuſque facit gurgitem, qui lato gremio pateſcit, purus & vitreus, ut numerare jactas ſtipes, & relucentes calculos poſſis.* Stipes quidem apparet in fundum jactas, ſed & alia donaria juxta affigebantur. Claudian. in celebratiſſimo illo de Apono fonte elegidio:

Tunc omnem liquidi vallem mirabere fundi,
Tunc veteres haſtæ regia dona micant.

Sed quia oraculorum incidit memoratio, dicam obiter quædam de conſenſu veterum ſcriptorum etiam ethnicorum, quia, ſalvatore humani generis nato, perpetuo illa ſilentio damnata obticuiſſe prodiderunt, ſuper qua re & Plutarchus elegantem conſcripſit libellum, *ſive quod dæmones oraculis præpoſiti moriantur aut ſeneſcant, ſeu quod ætas illa ſapientibus abundabat, quorum reſponſa inſtar oraculi eſſe poterant.* Hæc fere Plutarchus. ſed vera cenſa, *aſſertoris noſtri nativitas.* Suid. in Auguſto. Et *diu ante ſua tempora Iovem Ammonem ſiluiſſe.* Strabo dixit l. 17. qui ſub Tiberio principe vixit. nec impietatis aſſertor negare id auſus Q. Symmachus l. 4. cap. 33. *Non vides oracula olim locuta deſiiſſe, nec ullas in antro Cumano literas legi, nec Dodonam loqui frondibus, nec de ſpiraculis Delphicis ullum carmen audiri?* Et Appius, ut eſt apud M. Lucanum l. 5. Pharſaliæ v. 67.

Sollicitat ſuperos, multoſque obducta per annos
Delphica fatidici reſerat penetralia Phœbi.

Cicer. l. 2. de Divinat. & ex eo Arnob. lib. cont. gent. 8. *De Pyrrho Ennius Apollinis Pythii reſponſa confinxit, cum jam Apollo verſus facere deſiiſſet, cujus tunc cautum illud & ambiguum defecit oraculum, cum & politiores homines, & minus creduli eſſe cœperunt: & Demoſthenes, quod ſciret reſponſa ſimulata, φιλιππίζειν Pythiam querebatur.* Ioannes Britannicus ad v. 554. Sat. 6. Iuvenalis: & vetus Scholiaſt. ibidem: *Tanquam ſit à Iove ipſo Ammone dictum: Apollo nam indignos homines putat, quibus futura reſpondeat, nam magis ſic intelligitur, quod Alexander damnavit templum Apollinis in Delphis ne ſint homines futurorum præſcii.* Quod neſcio an ab ullo ſit ſcriptum, certe & poſt Alexandrum Macedonem præcipuus honor Delphico oraculo habitus, ut appareat illud ab eo non fuiſſe damnatum, neque puto id verum eſſe. De defectu ipſe Iuvenalis loco proxime laudato:

Dixerit aſtrologus, credent à fonte relatum
Ammonis, quoniam Delphis oracula ceſſant.

Ambitioſe, ut pene ſolet, Papin. Stat. l. 8. Thebaid. v. 194.

——— Mutiſque diu plorabere Delphis,
Hic Tenedon, Cyrrhamque dies partuque ligatam
Delon, & intonſi claudet penetralia Branchi,
Nec Clarias hac luce fores, Didymæaque quiſquam
Limina, nec Lyciam ſupplex conſultor adibit
Quin & cornigeri vatis nemus, atque Moloſſi
Quercus anhela Iovis, Trojanaque Thymbra tacebit.

Quæ eo lubentius appoſui, quo ſcirem apud nullum authorem tot oraculis celebria loca ſimul recenſeri. Aurel. Prudent. in Apotheoſi:

——— Ex quo hominis deus induit artus,
Delphica damnatis tacuerunt ſortibus antra,
Non tripodes cortina tegit, non ſpumat anhelus
Fata Sibyllinis fanaticus edita libris,
Perdidit inſanos mendax Dodona vapores,
Nec reſponſa refert Libycis in ſyrtibus Ammon.

Diana ad Proſerpinam à Dite raptam apud Claudianum l. 2. de Raptu:

——— Mœſtoque diu lugebere Cyntho,
Delphica quinetiam fratris delubra tacebunt.

Idem poëtica, ut puto, levitate, aut adulandi ſtudio, reſerata vult fuiſſe naſcente Honorio principe oracula, de 4. ejuſdem conſulatu:

Quis vatum diſcurſus erat, tibi corniger Ammon,
Et dudum taciti rupere ſilentia Delphi.

Sandaliarium Apollinem notarunt alii cognominatum, ſed aptam, quantum intelligere ex ſcriptis eorum potui, nemo cauſam edocuit: nam quod *à vico Sandaliario* denominatum contendant, falſo id creditum, cum *vicus* potius à *deo* nomen acceperit. ejus mentio in lapide antiquo.

GERMANICO. CÆSARE.
C. FONTEIO. CAPITONE. COS. KAL. IVN.
SEIÆ. FORTVNÆ. AVG. SACR. SEX. FONTEIVS. L. TROPHIMVS. CN. POMPEIVS. CN.
L. NICEPHORVS. MAG. VICI. SANDALIARI.
REG. IV. ANNI. XVIII. D. D.

Exiſtimo ab effœminato cultu ſic dictum Apollinem, quod ſcilicet *ſandaliis calceis muliebribus indutus eſſet.* Id autem vituperio fœminis ceſſiſſe, & mollitiei argumentum teſtatur Ælianus l. 1. var. hiſt. c. 18. πῶς δὲ οὐ διέρρεον ὑπὸ τρυφῆς αἱ πολλαὶ τῶν γυναικῶν; ἐπὶ μὲν γὰρ τῆς κεφαλῆς στεφάνην ἐπετίθεντο ὑψηλὴν, τοῖς δὲ πόδας σανδάλοις ὑπεδοῦντο. *Nunquid vero pleræque mulierum luxu defluxere? ſublimem capiti imponebant coronam, pedes vero ſandaliis induebant.* Lucianus Samoſatenſis lib. de ſcribenda hiſtoria, de Hercule jam mancipato, καὶ παιόμενον ὑπὸ τῆς ὀμφάλης σανδάλῳ, *& vapulantem ab Omphale Sandalio*, Turneb. l. 29. adverſarior. cap. 8. Mira feſtivitate Gnato ille Terentianus Eunucho Act. 5. ſc. 7.

TH. Qui minus quam Hercules ſervivit Omphalæ?
GN. exemplum placet.
Vtinam tibi commitigari videam ſandalio caput.

Ælius Donatus, ſi modo is eſt, *ſandalio, mire calceamento caput verberari.* Eugraphius item vetus Grammaticus; *Omphalem dicitur Hercules amaſſe vehementer, ita ut indutus muliebri habitu, opera quoque fœminea faceret, & habitum ſuum amicæ eidem daret.* Et deinde, *Sandalium genus calceamenti eſt.* Vet. gloſſ. σανδάλιον, *gallicula.* Sic Rufinus expoſuit locum è Ioſepho l. 4. Antiquitat. Iudaicar. c. 8. ὑπολύουσα ἡ γυνὴ μετ' ἀδελφοῦ τὰ σάνδαλα, καὶ πτύουσα αὐτοῦ εἰς τὸ πρόσωπον, *ſolvens mulier fratris galliculas, & expuens in faciem.* Aliumque ejuſdem ſcriptoris textum reſtituit è l. 5. cap. 11. Fr. Lindenbruchius in obſervationibus ſuis ad Terentium. quod in aruſpicina uſque adeo obſervatum, ut *de ſandaliis ſomnianti, uxor portendatur.* Achmes Seirem cap. oneiroc. 229. Turpilius Comicus in Lindia apud Nonium cap. 4. num. 293. & recitavit vir acerrimi judicii Petr. Victorius l. 14. variar. lection. cap. 15.

Miſero mihi mitigabat ſandalio caput.

Quod autem uſus ejus non tantum Romanis, ſed etiam Græcis fuerit, teſtantur Menander, Cratinus in legibus, & Eupolis in aurea ætate, referente Iulio Polluce l. 7. Onomaſt. cap. 22. quibus addendus Cephiſodorus in Trophonio:

Σανδάλια τε τῶν λεπτοσχιδῶν,
Ἐφ' οἷς τὰ χρυσᾶ ταυτ' ἔπεστιν ἄνθεα.
Sandalia vero tenuiter diviſorum,
Quibus aurei inſunt flores.

Neque prætererim Nabathæos alio calceamenti genere non uſos. Strabo Amaſenus Geograph. l. 16.

PARALIPOMENA.

De Diana & venationibus.

De *Diana* poſt Apollinem dicendum, ſive quod iiſdem orti parentibus, quod fabularum præferunt deliramenta. C. Iul. Hygin. Fab. 53. Serv. ad v. 6. l. 3. Georg. & ſexcenti alii, & *prior nata Diana, poſterior Apollo*, idem Serv. ad v. 73. lib. 3. Æneid. ſive quod una eadem fierent utrique Deo ſacra, & juncti colerentur. unde apud Topographos urbis Romæ in Reg. 19. *Ponitur arcus Octavii patris Auguſti, cum ſignis Apollinis & Dianæ, ex uno lapide, opus Phidiæ, quadriga & curru. ſive denique*

quod

quod una educatos celebret vetustas. Ambitiose, ut alios omittam, describit Claudian. l. 2. de Latona:

Invalidum dextro portat Titana lacerto,
Nondum luce gravem, nec pubescentibus alte
Cristatum radiis, primo clementior ævo
Pingitur, & tenerum vagitu despuit ignem,
Læva parte soror vitrei libamina potat
Vberis, & parvo signantur tempora cornu.

Ejus quam varia nomina, quam multiplex potestas, pete ex Mythologis, Phornuto, Albrico, Palæphato, Fulgentio, & aliis. Ego quædam interim apponam, & vide infra in tractatibus de *Luna, Hecate, Proserpina, Trivia*, & *Lucina*. Nam idem est cum omnibus illis numen.

Primum *parturientibus erat præposita.* Abdias Babyloniæ primus Episcopus l. 3. histor. Apostolicæ, si modo is author est libri, qui à Iulio Africano Latinitate donatus ejus nomine circumfertur. Ibi ergo in hæc verba scribitur: *Contigit ut mulier Caliopa nomine quæ homicida conjuncta, conceptum susceperat illicitum, magnis in partu doloribus arctaretur, nec partum proferre posset: hæc ad sororem suam inquit, vade quæso, & invoca Dianam, deam nostram, ut misereatur mei, ipsa enim habet patrocinium obstetricandi.* Nonnus Panopolita. Dionysiac. lib. 36. v. 59. ubi Iuno Dianam vulneratam alloquitur:

Παρθενικὴ φυγόδεμνε, μογοστόκε, ποθὲ μὸν ἐρώτων
Κεστὸν ἔχειν ὤφελλες ἀοσσητῆρα λοχείης.

Virgo lectos fugiens, labores suscipiens, trajectum amorum Cestum habere debuisses adjutorem partus. Idem lib. Dionysiac. 42. vers. 412.

Ἀχνυμένην κούρην ἢ μογοστόκον ἔλλαχε Λητώ,
Ἄρτεμιν εἰλείθυιαν, ἀρηγόνα θηλυτεράων.

Dolentem puellam ægre partu editam sortita est Latona, Dianam Ilithyiam, auxiliatricem fœminarum. Quare puerperæ statim doloribus defunctæ, Iunoni quidem sacrificium instruebant, vestimenta Dianæ consecrabant. quæ & λοχία, *lochia, à levando seu curando partu.* Plut. l. 3. Symposiac. cap. ult. Scholiast. Callimachi in Hymnum Iovis, quare & χιτώνη dicebatur, ac si tunicatam appelles. Vetus marmor meminit:

CHITONI. VIRGINI. SACRVM.

Et ipse Callimachus loco laudato, v. 78.

Τεύχεσταὶ δ' Ἄρηος, ἐπακτῆρας δὲ χιτώνης
Ἀρτέμιδος.

Milites Martis, venatores vero Chitones Dianæ. Et de sacrificandi ritu post partum, M. Plaut. in Truculento, sc. Puero isti. Vbi sic Phronesium meretrix:

Eumque gero ornatum, ut ægra quasi puerperio cubem.
Date mihi huc stactam, atque ignem in aram, ut venerem Lucinam meam,
Hic apponite atque abite ab oculis, ô Pithæcium,
Face ut accumbam, adjutare sic decet puerperam,
Vbi est Astaphium! fer huc verbenam mihi, thus, & bellaria,
Soleas mihi date, pallium in me huc injice Archilis,
Date aquam manibus.

Venatoribus præposita: Q. Symmach. l. 9. Epist. 28. C. Plin. Iunior l. 1. Epist. 6. unde *Venatricis* cognomentum illi impositum, ut pulcherrime descripsit Nonnus Dionysiac. lib. 22. v. 50. Vnde quod *venatorum continuus sit motus, neque unquam uno in loco consistant, circulatores, & errones in ejus sunt tutela.* Suidas in voce ἡ περγαία ἄρτεμις, *Pergæa Diana.* Artemidor. l. 2. Oneirocrit. cap. 35. Ἄρτεμις ἀγροτέρα καὶ ἐλαφηβόλος, *Diana Agrotera aut agrestis & cervos persequens.* Minutius Felix in Octavio, *Diana interim est alte succincta venatrix.* Arnob. lib. adversus gentes 4. *Sunt in sidereis montibus lustra, sylvæ sunt nemora, ut venationum præpotens habeatur in expeditionibus Dianæ.* Ab Orpheo poëtarum antiquissimo κυνηγέτις, *canum actrix*, & à Callimacho θηρήτειρα, *ferarum vastatrix aut interfectrix* appellatur. Oppian. Cilix, qui Severi principis tempore vixit, l. 2. in limine ejus operis, quod cultissimum de venatione scripsit:

Νῦν δ' ἄγε μοι Ζηνὸς θύγατερ καλλίσφυρε Φοίβη
Σῆς ἀπὸ χειρὸς ἄειρε μεγακλέα δήνεα θήρης.

Nunc age mihi ô Iovis filia pulchris pedibus Diana, quis tua de manu acceperit illustres artes venationis? Ideo omnem lucum dedicarunt ei. Luctat. Placid. lib. 4. Thebaid. vers. 425. *Omnis lucus Dianæ est consecratus, sicut quercus Iovi.* Et ipse Statius loco citato:

Nec caret umbra deo, nemori Latonia cultrix
Additur.

Horat. de Arte poët. in principio:

——— *Cum lucus & ara Dianæ.*

Serv. ad v. 117. l. 6. Æneid. *Solam Proserpinam dicere non potuit propter lucos qui Dianæ sunt.* Q. Catull. in carmine sæculari:

Montium domina ut fores,
Sylvarumque virentium,
Saltuumque reconditorum,
Amniumque sonantium.

Paulus Silentiarius insignis poëta in Anthologia lib. 1. cap. 60. Epigr. 5.

Ἤ τάχα πῦ τριμάκαιρα φιλαργέτις ὄρνιν ἀοιδὸν
Ἄρτεμις ὀμόλπε λῦσεν ἄνακτι λύρης.

Forte ter beata venatrix avem cantatorem Diana bene sonantis solvit regi lyræ. Vnicum tantum poetam Claudianum producam l. 2. de raptu:

Nec quæ Parthenium canibus scrutatur odoris
Aspernata choros.

Et de 4. Honorii consul.

——— *Tibi sæpe Diana*
Mænalios arcus venatricesque pharetras
Suspendit puerile decus.

Et de consul. Olyb. & Prob.

Illa feros saltus, & desolata relinquens
Mænala, lassato Cretam venatibus arcu.

Est & egregius ritus indicatus ab eruditissimo Ioanne Brodæo in Anthologiam, ex Scholiaste Pindari; *Creditum ab antiquis Dianam Idibus Augusti venatu abstinere, ideoque nec venari tunc, cessante dea licuisse, sed coronari consuetos canes, facesque accendi spicatas, juxtaque suspendi quicquid erat venatoriorum instrumentorum.* Notavit etiam Adrianus Turnebus l. 7. Adversar. cap. ult. Gratianus in Cynegetico suo:

Spicatasque faces sacrum ad nemorale Dianæ
Sistimus, & solito catuli velantur honore,
Ipsaque per flores, medio in discrimine luci,
Stra vere arma sacris.

Papin. Surculus l. 3. syl. 1. v. 54.

Iamque dies aderat, profugis cum regibus aptum
Fumat Aricinum Triviæ nemus, & face multa
Conscius Hippolyti splendet lacus, ipsa coronat
Emeritos Diana canes, & spicula tergit,
Et tutas sinit ire feras, omnisque pudicis
Itala terra focis, Hecateias excolit Idus.

Vocabatur etiam *propter venandi studium Dictynna*, Plutarch. l. 3. Symposiac. cap. ult. & lib. *de solertia animal.* in fine. *à retibus scilicet venatoriis quæ græce* δίκτυα *nominantur*, inquit Luctatius Placidius ad v. 632. l. 9. Thebaid. Statianæ & pars prædæ captæ ei suspendebatur, ut facete admodum Lucillius poëta, Marcum dicat non prædam, sed canes ipsos suspendisse in Antholog. l. 2. cap. 28. τὰς κύνας ἐκρέμασεν, *canes suspendit ipsos.* Q. Symmach. l. 5. epist. 66. *Honori numinum datur cornua sacrare cervorum, & aprinos dentes liminibus affigere.* Ergo & Dianæ statuis addita retia, tanquam necessaria venatus instrumenta, ut & *venabula, lineæ versicolores, canes catenati*, de quibus suo loco dicam ordine sigillatim.

Ac primum de cassibus seu retibus, quid operæ pretium quicquam dicere? Iul. Pollux lib. Onomast. 5. cap. 4. ἄρκυες καὶ δίκτυα, καὶ ἐνόδια, τὸ μὲν λίνον αὐτῶν αἰγύπτιον, ἢ φασιανικὸν ἢ καρχηδόνιον, ἢ σαρδιανὸν εἶναι δεῖ. *Retia, laquei, & casses horum quidem linum Ægyptium, Phasianicum seu Colchicum, Carthaginense, aut Sardium esse oportet.* Subdit deinde omnia quæ plicari possunt, retia seu δίκτυα dici, vel ἕρκη, *septa*, ex authoritate Pherecratis. Virgil. l. 4. Æneid.

Retia rara, plagæ, lato venabula ferro.

L. Se-

L. Seneca in Hippolyto Act. 1. sc. 1.

——— *Alius raras*
Cervice gravi portare plagas.

Et de lino, quod Pollux dixit, transtulit, ut puto, ex Gratio, qui in Cyneg. & magnitudinem retis, & linum, ex quo confici debeant, præscribit:

Et bis vicenos spatium prætendere passus
Rete velim, plenisque decem consurgere nodis,
Optima Cyniphiæ, ne quid cunctere, paludes
Lina dabunt.

Erat & aliquis, qui inter venandum retibus præpositus sedebat, seu verius stabat. C. Plin. l. 1. epist. 6. *Apros tres, & quidem pulcherrimos cepi. ipse? inquis; ipse, non tamen ut omnino ab inertia mea & quiete discederem, ad retia sedebam, erant in proximo non venabulum aut lancea, sed stylus, & pugillaris, & Clusor statarius qui ad retia sedet.* Sidon. Apollinar. l. 2. epist. 2. *subsessorem* Seneca vocat in Hippolyto in initio ἀρκυώρων, *retium custodem*, Xenophon lib. de venatione pag. 983. 984. 986. Auson. epist. 5. *subsidiisque fero?* Servius ad v. 268. l. 11. Æneid. Paulus IC. l. 3. sententiar. *Retia apraria, & cætera venationis instrumenta continebuntur.* Et de eorundem confectione est Nemesiani Carthaginensis poëtæ luculentissimi præceptum in Cyneg.

Necnon & casses iidem venatibus aptos,
Atque plagas, longoque meantia retia tractu,
Addiscant raris semper contexere nodis.

Aprina retia IC. posuit, & *cervina.* Ovid. epist. 4. Phædræ Hippolyto:

Iam mihi prima dea est, cornu præsignis obunco
Delia, judicium subsequor ipsa tuum.
In nemus ire lubet, pressisque in retia cervis
Hortari celeres per juga summa canes.

Erycius poëta in Antholog. l. 4. cap. 12. epigr. 83.

Οἴτε λινοῖς βαίνοιτε πεποιθότες, οἴτε σιδήρῳ,
Οἴτε καὶ ἰξευτᾷ λαθροβόλῳ δόνακι.

Quique linis confidentes inceditis, quique ferro, & qui viscatorio aucupatorio calamo.

Venabulum hasta erat oblongior, qua feræ incurrentes excipiebantur, Plinius proxime supra citatus. Græci ob id προβόλιον *quod feris objiciatur*, appellant, notavit Æmilius Portus. Xenoph. lib. de venat. passim. pag. 991. πρὸς δὲ τὸν ἄγριον κάπριον κτᾶσθαι κύνας Ἰνδικὰς, Κρητικὰς, Λοκρίδας, Λακαίνας, ἄρκυς, ἀκόντια, προβόλια, ποδοστράβας. Vertit Gulielm. Xylander; *At in aprum sylvestrem canes comparet Indicas, Creticas, Locrenses, Lacænas, casses, jacula, venabula, tendiculas.* Serv. ad v. 131. l. 4. Æneid. *Venabula ob hoc dicta, quod sint apta venatui, quasi excipiabula.* Isidor. lib. 18. Etymolog. cap. 7. *Venabula, quasi venatui habilia.* Nonius Marcell. cap. 18. Num. 23. *Venantium telum latissimum à cæteris aciei longissimæ.* M. Varro ὄνος λύρας:

——— *Nempe sues sylvaticos*
In montibus sectaris venabulo aut cervos.

Interpretatus est L. Seneca in Hippolyto Act. 1. sc. 1.

Tu grave dextra lævaque simul
Robur lato dirige ferro.

Sidon. Apollinar. Carm. 7. v. 199.

——— *Colluctantique lacerto*
Vasta per adversas venabula cogere prædas.

M. Lucan. l. 1. v. 212.

——— *Torta levis si lancea Mauri*
Hæreat, aut latum subeant venabula pectus.

Stat. l. 2. syl. 5. de Leone:

Non formidato supra venabula saltu
Incitus.

Gratius Cyneget. formam describit:

Ille etiam valido primus venabula dente
Induit, & proni moderatus vulneris iram.

Linea versicolor ad concludendas saltubus feras, vel ad terrendos apros, vulpes, lupos, ursos, & præcipue cervos. In ea alternus plumarum contextus, sed vulturis & cygni præcipue laudatur, sed & interdum sandyce fucabatur. Adrian. Turnebus l. 5. Adversarior. cap. 5. Cæl. Rhodigin. l. 16. Antiquar. lect. cap. 11. M. Aurel. Olympius Nemesian. Cynegetico:

Linea quinetiam magnos circundare saltus
Quæ possit, volucresque metu concludere prædas,
Duxerit innexas non una ex alite pinnas.

Est post eodem opere:

Linique vetat conscendere septum.

Colorum diversitas ex avium diversarum plumis. Oppian. Cilix l. 1. Cyneg. v. 156.

Φάσγανα, βουπλῆγάς τε, λαγωοφόνον τε τρίαιναν,
Ἀγκυλίδας σκολιὰς, μολιβοσφίγγεας τε κορύνας,
Σπαρτόδετον μήρινθον.

Vertit Conradus Ritershusius Brunsvicensis, vir meo judicio, variæ doctrinæ, & multiplicis lectionis: *Gladios, securesque & leporicidam tridentem, uncinos incurvos, plumboque præfixas clavas, e sparto tortam formidinem.* Communior tamen color his lineis purpureus erat, Valer. Pierius l. 7. Hieroglyph. *Cervus prætenta penna purpurea pavorem significat.* D. Hieronym. in dialogo Luciferiani & Orthodoxi. *Pavidorum more cervorum, dum vanos evitatis pinnarum volatus, fortissimis retibus implicamini.* Q. Symmach. l. 1. epist. 53. *Vnde est hæc in epistolis tuis sensuum novitas, verborum vetustas,* (malim legere, *verborum venustas*, licet non male *novitati* opponi possit *vetustas*) *si tantum nodosa retia, vel pinnarum formidines, & sagaces canes, omnemque rem venaticam meliorum oblitus affectas?* Parum apposite Servius Honoratus ad v. 750. l. 12. Æneid. *Insidiis, pinnarum scilicet, instrumentum quoddam in fune ad terrendas bestias factum.* Ipse Virgilius loco eodem:

Inclusum veluti si quando in flumine nactus
Cervum, aut puniceæ septum formidine pinnæ
Venator cursu canis, & latratibus instat.

Et lib. 3. Georgic. v. 374.

Hos non immissis canibus, non cassibus ullis,
Puniceæve agitant pavidos formidine pennæ.

Et quod terriculamentum inferret, Latinis formido dicitur. P. Ovid. l. 5. Fastor.

——— *Pavidos formidine cervos.*

Et l. 15. Metamorphos. fab. 43. in fine:

Retia cum pedicis, laqueosque, artesque dolosas
Tollite, nec volucres viscata tollite virga,
Nec formidatis cervos includite pinnis.

Et lib. 1. de Remedio amoris:

Aut pavidos terre varia formidine cervos,
Aut cadat adversa cuspide fossus aper.

L. Sen. in Hippolyto in limine:

Picta rubenti linea pinna,
Vano claudat terrore feras.

Et licet hi vel purpureum, vel puniceum, vel rubentem colorem fuisse contendant huic formidini, ego multicolorem ostendam ex Oppiano l. 4. Cyneg. v. 387.

——— Πολύχροα δείματα θηρῶν.
Versicoloria terriculamenta ferarum.

Et v. 403. ejusdem libri:

Σοβέμενοι καὶ δεῖμα πολύχροον.

Agitantes & formidinem varii coloris. L. Apulejus l. 1. Apolog. ad finem. *Ego ista propterea commemoravi, non quod pinnarum formidines, & fuliginis maculam, te præsertim judice, timerem.* D. Augustin. l. 1. de Nupt. & Concupisc. *Et cum verentur infamiam falsam, veram incurrunt, instar ferarum, quæ circundantur pinnis, ut cogantur in retia.* L. Sen. l. 1. de Clementia c. 12. *Sic feras lineis & pinnis conclusas contine, easdem à tergo eques telis incessat, tentabunt fugam per ipsa quæ fugerant, proculcabuntque formidinem.* Lib. 2. de ira cap. 12. *Nec mirum est, quum maximos ferarum greges linea pennis distincta contineat, & in insidias agat, ab ipso effectu dicta formido, vanis enim vana terrori sunt.* Gratius in his Cygni plumas probat, vulturis improbat in Cynegetico:

Tantum inter nivei jungantur vellera Cygni,
Et satis armorum hoc, hæc clara luce coruscant,
Terribilis species, à vulture dirus avaro
Turbat odor sylvas, meliusque alterna valet res.

Ferdi-

Ferdinandus Pincianus in loco Senecæ proxime laudato, legit, *linea pennis distincta conterreat*, quod melius formidinis nomen exprimit, quam *contineat*, quod in priore erat & vulgata editione, & puto commodius sic posse legi. Vt & in priori loco legendum, *sic feras lineæ & pinnæ clausas continent*, ex MS. codice, non ut antea, vel nullo, vel vacillante sensu legebatur, *feras lineis & pinnis conclusas contine*. Arrian. Dissertationib. Epicteti l. 2. cap. 1. in principio, λοιπὸν ἡμεῖς τὸ τ̃ ἐλάφων πάσχομεν, ὅτε φοβῶνται φύγωσι αἱ ἔλαφοι τὰ πτηνὰ, ποῦ τρέπονται, καὶ πρὸς τινὰ ἀναχωροῦσιν ὡς ἀσφαλῆ, πρὸς τὰ δίκτυα ἀναλάξασαι. Vertit Iacobus Schegkius Tubingensis: *De cætero autem nobis idem accidit, quod cervis solet, quæ dum exterritæ fugiunt volucrum insectationem, aliquo se vertunt, & in loca quædam irretita laqueis concedunt.* Denique Oppianus non in venatu tantum, sed etiam in piscatu usum formidinis ostendit lib. 4. Halieutic. v. 576. quem locum vide, ὁρόωσι, videntes inquit:

Σχοίνους κινυμένας, ἀνεμώλια δείματ' ἔχουσι.
Funes agitatos, varios metus habentes.

At frequentior receptiorque in re venatoria usus, præter citatos, adde M. Lucanum l. 4. v. 437.

——— *Sic dum pavidos formidine cervos*
Claudat, odoratæ metuentes aëra pennæ.

Et ambitiosius multo D. Auson. Epist. 5. ad Theonem adscribam quædam, quod nusquam melius ritus venantium expresserit, sic ergo:

An cum fratre vagos dumeta per avia cervos
Circumdas maculis, & multa indagine pinæ?
Aut spumantis apri cursum clamoribus urges,
Subsidisque fero; moneo tamen, usque recuses
Stringere fulmineo venabula cominus hosti.

Sed jam ad canes pergo, quos à gentibus nobiles, venatuique inidoneos existimabant. Marcellus Donatus Ponzanus Comes in dilucidationibus suis in Ammianum Marcellinum pag. 863. Adrian. Turneb. l. 18. cap. 1. Adversarior. de quibus quid opus post Gratium, Nemesianum, Ovidium lib. 2. Metamorph. Oppianum, Senecam in Hippolyto, & alios dicere? Ego tantum unicum è Claudiano ponam locum è lib. 3. de Laud. Stilich.

——— *Variæ formis & gente sequuntur,*
Ingenioque canes, illæ gravioribus aptæ
Morsibus, hæ pedibus celeres, hæ nare sagaces.
Hirsutæque fremunt Cressæ, tenuesque Lacænæ,
Magnaque taurorum fractura colla Britannæ.

De cæteris canum generibus passim scriptores, de Britannis non adeo vulgatum, cujus tamen nobilitatis indicia etiamnum hodie in Anglicis canibus prodigiosæ magnitudinis, mirantur exteri, & laudarunt veteres. Gratius in Cynegetico:

O quanta est merces, & quanta impendia supra!
Si non ad speciem, mentiturosque decores,
Protinus hæc una est catulis jactura Britannis.

Sed expressius Aurelius Nemesianus in Cyneg.

Sed non Spartanos tantum, tantumve Molossos
Pascendum catulos, divisa Britannia mittit
Veloces, nostrique orbis venatibus aptos.

At Anglorum canum nupera hæc gloria, Scotorum antiquissima, quibus solis, ut puto, id proprium, fures indefessa indagine, donec comprehenderint, insequi, tanta pertinacia, ut nec clausæ portæ, nec objecta flumina remorari possint, quod relatum est à Simone Majolo in laborioso de diebus canicularibus opere. Et *canum Scoticorum pulchritudinem, velocitatem, laboris patientiam, & audaciam* laudat Hector Boethius ejusdem gentis luculenti styli historicus l. 6. pag. 97. Cui ego nolim credi, nisi idem antiquissimi disertissimique Scriptoris Q. Symmachi probari posset l. 2. epist. 77. *Vt nunc septem Scoticorum canum probavit oblatio, quos prælusionis die ita Roma mirata est, ut ferreis caveis putaret advectos.* Et sane ante natum assertorem humani generis anno ducentesimo septuagesimo *Dornadilla Magni filius Scotorum rex*, præcepta venandi scriptis commisit, & subditis suis servanda proposuit, author est Balæus Sudovolca lib. de Scriptorib. Britannicis, & ex eo Andreas Tiraquellus in luculento de Nobilitate commentario: & nostro adhuc ævo leges illæ ceu sacræ observantur. Georg. Buchananus rer. Scotic. lib. 4. Et fuit semper nostratibus venandi summum studium. Idem Buchan. in Epithalamio Francisci Valesii & Mariæ Stuartæ regum Franciæ & Scotiæ.

Illa pharetratis est propria gloria Scotis,
Cingere venatu saltus, superare natando
Flumina, ferre famem.

Sed quod Claudianus paulo ante, *canes Cressas, Lacænas Britannas* dixit, respexit morem antiquum. Nam *ut in curulibus Græcorum stadiis equæ majori in pretio*, quod, ut inquit Probus Grammaticus ad l. 3. Georg. *urinam inter currendum emitteret*, ita canes fœminæ maribus præstantiores ad venatum æstimatæ. L. Apul. lib. 8. Milesiar. *Canes venationis indagini generosæ, mandato cubili residentes, invadere bestias immittuntur, statimque solertis disciplinæ memores, partitæ totos præcingunt aditus.* Varius de morte apud Aurelium Macrobium l. 6. cap. 2.

Ceu canis umbrosam lustrans Gortynia vallem,
Si veteris potuit cervæ comprendere lustra,
Sævit in absentem, & circum vestigia lustrans,
Æthera per nitidum tenues sectatur odores.

Q. Ennius lib. 10. Annal.

——— *Animusque in pectore latrat,*
Sicuti si quando vinclo venatica ahæno
Apta solet canis, forte feram si ex nare sagaci
Sensit, voce sua nictatque ululatque, ibi acutè.

Vel ut Georg. Merula legit, & vide Festum lib. 12. in Nictare;

Veluti si quando vinclis venatica velox
Apta solet, si forte feram ex nare sagaci.

L. Sen. Hippolyto Act. 5. sc. ult.

Mœstaque domini membra vestigant canes.

T. Lucret. Carus l. 1. de Rer. Nat.

Namque canes ut montivagæ persæpe ferai
Naribus inveniunt intactas fronde quietes:
Si semel institerunt vestigia nota viai.

Sic enim recte legendum. Virgil. l. 2. Æneid. *obstupui, steteruntque comæ*, male in vulgatis editionibus, *Si semel institerint.* Idem in venatu Græcorum observatum. Adæus Smyrnæus vetus poëta in Anthologia l. 1. cap. 33. epigr. 33.

Μούνας ὅτι γυναιξὶν ἐπήκοος, ἀλλὰ ϗ αὐτὰς
Συνθήρους σώζειν Ἄρτεμις οἶδε κύνας.

Non solis mulieribus benigna, sed & ipsas una secum venantes servare Diana novit canes. In catenis istæ canes semper, nisi in venatu ipso, sic & omnibus Dianæ statuis, quæ in compitis, vel templis erigebantur, appositi in catenis canes, ahæna vincula Ennius supra laudatus appellavit, glossæ Græcolatinæ κλοιός, *Boia, eculeum*, item κλοιὸν περιτίθημι: *in Boiam do.* Sic enim Theodorus Marcilius emendavit, cum antea esset, *in boia.* vide eum ad legg. Xvirales cap. 63. Sed ibi de cane ostiario, sive domestico, quem ostio alligatum alibi dico, at hic de venatorio cane tantum agendum. Sidon. Apollinar. Carm. 7. v. 198.

Tensa catenati submittere colla Molossi.

P. Ovid. l. 8. Metamorph.

Vincula pars adimunt canibus.

Aurel. Nemesian. Cyneg. de catulis venaticis:

Sed neque conclusos teneas, neque vincula collo
Impatiens circumdederis.

Claudian. lib. 1. in Eutrop.

Dum validus servare gregem, vigilique rapaces
Latratu terrere lupos; cum tardior idem
Iam scabie laceras dimisit sordidus aures,
Solvit, & exuto lucratur vincula collo.

Illi *vincula* appellant, ego *copulam* nominari memini me legere, quod bini una copula venaturi conjungerentur canes: qui ritus etiamnum hodie observatur; Æmil. Probus in vita Datamis. *Ornavit etiam torque, atque armillis aureis, cæteroque regio cultu, ipse agresti duplicique amiculo circundatus, hirtaque tunica, gerens in capite galeam venatoriam, dextra manu clavam, sinistra copulam, qua vinctum ante se Thyum agebat, ut si feram bestiam captam duceret.* Ovid. l. 5. Trist. eleg. 9.

Vtque canem pavida nactum vestigia cervæ
Luctantem frustra copula dura tenet.

Sic

Sic enim optime legitur, *luctantem*, quasi vi summa à socio cane divelli separarique nitentem. At Hercules Ciofanius aliter, sed minus recte legit:

Latrantem frustra copula dura tenet.

Idem Ovid. lib. 7. Metamorph. fab. 27.

Illa levi velox superabat retia saltu,
Summaque transibat positarum lina plagarum,
Copula detrahitur canibus, quos illa frequentes
Effugit.

Sed quum eo deventum sit, de venatione non gravabor quædam adferre, non ignarus multa docte ex variis authoribus utriusque linguæ, Andream Tiraquellum super re ista digessisse in Commentario de Nobilitate, quem non exscribo. Iul. Poll. in præfat. ad lib. Onomast. 5. venatum heroicum & regium appellat studium, καὶ πρὸς εὐσωματίαν ἅμα καὶ εὐψυχίαν ἀσκεῖ, καὶ ἔστιν εἰρηνικῆς τε καὶ καρτερίας ἅμα καὶ πολεμικῆς τόλμης μελέτημα, πρὸς ἀνδρείαν φέρον, ῥωμαλέον τε εἶναι γυμνάζει, καὶ ποδώκην, καὶ ἱππικὸν, καὶ ἀγχίνουν, καὶ φιλεργόν. *Et ad corporis animique bonam constitutionem confert, estque tam placidæ fortitudinis, quam militaris audaciæ specimen, ad virilitatem utile, & exercitatione reddit robustum, celerem, equestrem, solertem, & laboriosum.* Consule Ioachimum Zehnerum in sacris adagiis. M. Tull. libr. 2. de Nat. Deor. *Venatione ferarum nos exerceri ad similitudinem bellicæ disciplinæ. Et Pelopidas rudimenta militiæ à venatu auspicatus est*, Plut. in eo. Et Alexander *dies totos à prandio in eo absumebat.* Et Philopæmenes *à militia cessans, ei incumbebat.* Eodem Plutarcho authore, neque minus Aristoteles *justam gerendi belli occasionem cum venatoriis exercitiis* conjungit, lib. 1. Politicor. cap. 4. in fine. Et in Republica Platonis lib. 7. in fine, adolescentibus istiusmodi studium commendatur, nec minus heroicis temporibus à venatu laudabantur, Scamander lib. 5. Iliad. in principio. & Telemachus centum viginti canibus comitatus in concionem procedit lib. 4. Odyss. principio: ut de ejus usu illo sæculo dubitari non possit. id cur fieret habes apud Horatium lib. 1. epist. 18.

——— *Opus utile famæ,*
Vitæque & membris.

Pari studio Romani, Græci, & Persæ id operis affectarunt. De Romanis certum, nam *magnæ cogitationis eruditæ inde sunt incitamenta.* C. Plin. Iun. l. 9. ep. 10. Et inter rei rusticæ commoda, & laudes id recenset Hor. Epodῶn od. 2. l. 2. Sat. 6. ut non alius fuerit priscis victus, quam qui quæreretur inde. Virg. lib. 8. Æneid. v. 316.

——— *Asper victu venatus alebat.*

Virgil. lib. 1. G. v. 139.

Tunc laqueis captare feras, & fallere visco
Inventum, & magnos canibus circundare saltus.

Et de Anthemio Aug. Sidon. Apollinar. Carm. 2. v. 145:

Inventas agitare feras, & fronte latentes
Quærere, deprensas modo claudere cassibus arctis.

De Persis non minus indubitatum, quum extet apud M. Iunianum Iustinum lib. 1. in historia Astyagis & Cyri, & Xenophontem lib. 1. Pædiæ in limine. C. Tacit. lib. 2. Annal. eadem de Parthis; *Accendebat dedignantes & ipse diversus à majorum institutis, raro venatu, segni equorum cura, quoties per urbes incederet, lecticæ gestamine.* Qui multa cupis, adi ad Brissonium de Regio Persar. princ. lib. 2. unicum addam è Claudiano locum, quem correxi ex fide MS. mei optimi lib. 1. de Laud. Stilichonis, qui ad Persas legatus missus venandi curam prætulerat:

Si quando sociis tecum venatibus ibant,
Quis Stilichone prior ferro penetrare leones
Cominus, aut longe virga transfigere Tigres.

Lege mecum:

——— *Longe virgatas figere Tigres.*

Nam *tigres virgatæ* sunt maculis, instar virgarum transversis, distinctæ, quod emendatum ab eruditissimo Iusto Lipsio animadverti, l. 4. Poliorceticῶn c. 6. Favet huic lectioni ipse poëta lib. 3. de Raptu:

——— *Fremit illa marito*
Mobilior Zephyro, totamque virentibus iram
Dispersit maculis.

Idem in præfat. ad lib. 2. de Raptu:

Concordes varia ludunt cum tigride damæ.

Sil. Italic. Punicor. lib. 5.

Caucaseam instructus virgato corpore Tigrim.

L. Seneca Hippolyto. Act. 1. in choro:

Tum virgatas India tigres
Decolor horret.

Est & alius locus apud eundem depravatus de 6. Honor. consul. cui medela adferenda:

Nec solis hic cursus equis, assueta quadrigis
Cingunt arva tigres, subitaque aspectus arenæ
Diffundit Libycos aliena valle cruores.

Cum sensum videret non constare, conjecit Iosephus Scaliger Isag. 2. in M. Manilium, debere legi:

——— *Assueta quadrigas*
Cingit rava tigris.

Vt color tigridis designetur, qui ravus est, unde Horatio dictum lib. 3. od. 37.

Rava decurrens lupa.

Sed ad Dianam redeo, quæ summa in veneratione & dignatione olim erat, ut solemne Iusjurandum per illam conciperetur, Plautus apud Ioannem Meursium correctus in hanc rem Critic. Exercitationum parte 1. cap. 5.

Insuper *OPS* nominabatur, non quidem illa quæ *Saturni uxor*, seu *Rhea* aut *Cybele* audit, sed quæ parturientibus pariter ac venatoribus præerat, dicta fuit ἐλαφηβόλος *cervipeta*, Plutarchus libr. de solertia animalium. D. Augustin. de civit. Dei lib. 4. cap. 11. *Ipse, Lucina quæ à parturientibus invocetur, ipse, opem ferat nascentibus, excipiens eos sinu terræ, ut vocetur Opis.* Non ergo à perspicacitate visus, qui venatori necessarius, sed ab auxilio, quod hominibus præstat sublatis noxiis bestiis, vel ope puerperis exhibita, id nominis est consequuta. Serv. ad vers. 325. libr. 6. Æneid. Scholiast. Callimachi ad hymnum 3. Aurel. Macrob. lib. 5. Saturnal. cap. 22. *Alexander Ætolus poëta egregius, in eo libro qui scribitur Musæ, refert quanto studio populus Ephesius dedicato Dianæ templo, curaverit præmiis propositis, ut qui tunc erant poëtæ ingeniosissimi in deam carmina diversa componerent. In his versibus, non comes* Dianæ sed ipsa *Diana Opis vocata est.* Subjungit deinde Alexandri carmina quædam. Eadem Servius ad lib. 11. Æneid. *Ops terra est uxor Saturni, quam Græci Rheam vocant, sane & hoc nomen ipsius Dianæ fuit.* Sed Virgilius Comitem tantum, non vero ipsam Dianam facit lib. 11. Æneid. citato:

Velocem interea superis in sedibus Opim
Vnam ex Virginibus sociis, sacraque caterva
Compellat - - - - Latonia.

Denique *Bubastis* dicta Diana, ab oppido Ægypti nobili, ubi colebatur. Steph. libr. de urbib. Nicomachus Gerasinus in Theocriticis, ut sit mirum Iuvenalem Sat. 15. v. 8. dixisse:

Illic cæruleos, hic piscem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.

Vbi reponunt, meo judicio recte:

Illic æluros, hic piscem fluminis.

Mirum, inquam, cum constet Dianam ab Ægyptiis *nomine Bubastidis cultam.* Vet. scholiast. Antholog. lib. 1. cap. 70. ep. 1. & ibidem Nicarchus poëta:

Οὕτω Βούβαστις καταλύεται, εἰ γὰρ ἑκάστη
Τέξεται ὡς αὐτὴ, τίς θεὸς ἐστὶ λόγος;

Vertit Eilhardus Lubinus: *Sic autem Diana evertitur, si enim unaquæque pariet ut hæc, quænam deæ est ratio?* Herodot. lib. 2. μάλιστα ἡ ἐν Βουβάστι πόλις ἐξεχώσθη, ἐν τῇ καὶ ἱρὸν ἐστὶ Βουβάστιος ἀξιαπηγητότατον. *Præcipue in urbe Bubasti, ubi terra exaggerata, in qua urbe templum est Bubastis* (sequitur glossema in interpretatione Laurentii Vallæ, *quæ nostra lingua Diana dicitur,* glossema, inquam, quia verba illa à codice Græco absunt) *omnium maxime memorabile.* Sed clare idem Herodot. in sequentibus pag. 171. Αἰγυπτιστὶ δὲ Ἀπόλλων μὲν Ὧρος, Δημήτηρ δὲ Ἶσις, Ἄρτεμις δὲ Βούβαστις. *Ægyptiace quidem Apollo Horus dicitur, Ceres Isis, Diana Bubastis.* Ovidius tamen libr. 9.

Q Meta-

Metamorph. fab. ult. non ipsam *Dianam Bubastim* facit, aut Isidem, sed unam ex Isidis comitibus:

——— *Cum quo latrator Anubis;*
Sanctaque Bubastis, variisque coloribus Apis:
Quique premit vocem, digitoque silentia suadet:
Sistraque erant, nunquamque satis quæsitus Osyris,
Plenaque somniferis serpens peregrina venenis.

Et *Bubastia* apud Gratium in limine Cynegeticôn interpretor sacrificia Ægyptiaca seu Isidi, seu Dianæ offerri solita. Sic enim ille:

Vix operata suo sacra ad Bubastia lino
Velatur sonipes æstivi turba Canopi.

CAP. VIII.

De Sole & Luna.

Apollini & Dianæ subjecimus *Solem* & *Lunam*, qui quamvis iidem sint, quia tamen superstitio Ethnica nonnunquam eos distinxit, ideo etiam nobis seorsim dicendum. Fuerunt *Sol* & *Luna* filii Theæ, sive Matris magnæ & Hyperionis, fi *Diodoro* credimus, qui lib. 4. Antiquitatum, cap. 5. hæc scribit: Regina filia Titeæ prior annis, prudentiaque & virtute reliquis præstantior, in gratiam matris fratres omnes educavit, eoque *magnam* ajunt *Matrem* appellatam. Postea vero quam pater post obitum ad Deos transiit, communi populorum fratrumque consensu regnum cepit, adhuc virgo, cum nulli antea nupsisset. Postmodum cupiens filios relinquere successores regni, unum ex fratribus *Hyperionem* virum sumpsit: ex quo duos peperit liberos, *Solem* & *Lunam*. Quorum formam prudentiamque admirantibus singulis, tradunt fratres prolis invidia motos, veritosque, ne quando imperium ad Hyperiona perveniret, sceleste facinore excogitato, fratrem communi consilio obtruncasse. *Solem* adhuc puerum in flumen Eridanum projectum, suffocatum esse. Qua re vulgata *Luna* præter modum fratrem diligens, ex tecto se præcipitavit. Matri quærenti juxta flumen corpus, cum in somnium incidisset, visum per somnium est, à *Sole* se consolari, rogarique ne lugeret natorum mortem. Nam homicidas meritum esse supplicium passuros: se vero ac sororem quadam Dei providentia futuros immortales. Nam ignem cœli sacrum antea vocatum *Solem* ab hominibus appellandum fore: quæ vero *Mena* prius dicebatur, *Lunam*. A somno experrecta, cum omnibus tum somnium, tum infortunium suum narrasset, filios ut Deos coluit, ipsa innupta vivens. Postmodum in insaniam versa, cymbala, tympanaque quatiens, edito sonitu, sparsis crinibus per patriam errabat. Quo aspectu misero obstupebant homines. Cum vero singuli ejus dolori misererentur, quidam corpus sustinerent, maximo imbre coorto, continuoque fluminum casu *Reginam* ajunt disparuisse. Quare admiratus populus, *Solis Lunæque* nomen ad astra transtulit, matrem etiam *Deam* existimavit. Et erecta ara cymbalis ac tympanis, cæterisque rebus illius gesta imitatus, sacra illi, & Deorum honores instituit. Hactenus Diodorus. Dictus autem est *Sol*, vel quia solus ex omnibus sideribus sit tantus: vel quia cum est exortus, obscuratis omnibus solus appareat. *Luna* à Lucendo nominata est, eadem est *Lucina*. Cic. lib. 2. de nat. Deor. Primus *Soli* & *Lunæ* ædes Romæ consecravit. *T. Tatius* Sabinorum Rex, *Ter. Varrone*, & *Dion. Halicarnassæo* auctoribus. Postea etiam aliæ iis ædificatæ commemorantur in descriptione XIV. regionum Vrbis, tria *Solis* templa, ex quibus unum est templum *Solis Heliogabali*, quod condidit Imp. *Antonius Varius Heliogabalus* in monte Palatino, eo loco ubi prius fuerat ædes Orci. Colebatur is *Heliogabalus* in Syria, cujus Sacerdos cum aliquando fuisset *Antonius*, postea Imperator factus, Romæ etiam ipsius instituit cultum, ita ut omnia omnium aliorum Deorum mysteria, & sacra etiam ad hunc unum vellet transferri: qua de re *Lampridium* loquentem audimus: Vbi primum, inquit, *Antonius* ingressus est Vrbem, *Heliogabalum* in Palatino monte juxta ædes Imperatoris consecravit, eique templum fecit, studens & *Matris* typum, & *Vestæ* ignem, & *Palladium* & *ancilla*, & omnia Romanis veneranda in illud transferre templum: id agens, ne quis Romæ Deus, nisi *Heliogabalus* coleretur. Dicebat præterea Iudæorum & Samaritanorum religiones, & Christianam devotionem illuc transferendam, ut omnium culturarum secretum Heliogabali sacerdotium teneret. Hæc ille. Collocatur hoc templum à *P. Victore* in regione Vrbis X.

Lunæ etiam templa tria, ædicula una, referuntur. In monte Aventino magnum templum *Lunæ* fuit. Fuit item templum in Capitolio, & in monte Palatino templum *Lunæ noctilucæ* fuit, in quo noctu lumina solebant accendi. Vnde etiam *noctiluca* dicitur, teste *Varrone*. Tantum de his.

AD CAP. VIII. PARALIPOMENA.

De Sole & Luna; potestate & cognominibus.

Omnes deos ad *Solem* referri, seu *Apollinem*, omnes deas ad *Lunam* notum ex Mythologis, & docuit Aurelius Macrobius lib. 1. Satur. cap. 17. Ego tantum hic docebo *Solem in Oriente specie leonis, nomine Mithræ cultum*; si prius dixero Anaxagoram censuisse *solem ignitum esse lapidem Peloponneso maiorem*. Suidas in voce Μίθρας. Lactatius Placidius ad versum ultimum lib. 1. Thebaidos Statianæ: *Persæ in speleis solem colunt, & hic sol proprio nomine vocatur Mithra: est autem ipse sol leonis vultu, cum thiara Persico habitu, & utrisque manibus bovis cornua comprimens. quæ interpretatio ad Lunam dicitur, quæ indignata sequi fratrem, occurrit illi, & lucem ei obscurat, nudavit autem mysteriorum partem. sol ergo quasi lunam minorem docens, (malim, ducens) ideo taurum torquet, mire autem cornua posuit, ut lunam manifestius posset exprimere, non animal, quo illa vehi figuratur, sed quia locus non est deorum istorum secreta, juxta tenorem interna Philosophiæ differere, de figuris tamen, quibus credi-*

tur, paucis dicamus, sol est ineffabilis, quia principale signum inculcat, & frenat, leonem scilicet, idcirco & ipse hoc vultu fingitur, vel quod hic Deus cæteros seu numinis & potentiæ impetu excellat, ut inter reliquas feras leo, vel quia sit rapidum animal: luna vero quia propius tauro adhæret, adducitque, ideo vacca figurata est. Cæterum divini & regii isti dii, ut comparentur in orbe, sic sunt expertes mortalis figuræ, tam hominis, quam belluæ, non habentes initium, terminum, vel quod interpoletur medium, ut dii minores, & reliqui, ut supra, mox turba vagorum semideum, id enim ratio æternitatis expostulat. Hæc ille, docte, & pie, sed propius ad communem usum sensumque antea scripserat. *Simulachrum ejus fingitur reluctantis tauri cornua retentare, quo significatur lunam ab eo lumen accipere, cum cœperit ab ejus radiis segregari.* Ipsum audiamus Papinium:

——— *Seu te roseum Titana vocari*
Gentis Achæmeniæ ritu, seu præstat Osyrim
Frugiferum, seu Persæi sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua Mithram.

Iul. Firmic. de Errore profan. Rellig. *Hunc Mithram dicunt, sacra vero ejus in speluncis abditis tradunt, ut semper obscuro tenebrarum squallore demersi, gratiam splendidi ac sereni luminis videant.* D. Hieron. epist. ad Lætam: *Gracchus speluncam Mithræ subvertit.* Porphyrius Commentario de Nympharum antro. *Primus Zoroastes apud Persas, ut narrat Eubulus, speluncam natura factam in Persiæ montibus consecravit, in honorem rerum omnium authoris, & parentis Mithræ, ut per speluncam significaret mundum à Mithra conditum.* Hesychius Grammatic. Μίθρας ὁ ἥλιος παρὰ Πέρσαις. *Mithra sol apud Persas.* Strabo Amasen. lib. Geographi. 15. pag. 847. Τιμῶσι τὸν ἥλιον ὃν καλοῦσι μίθραν. *Venerantur (Persæ) solem, quem appellant Mithram.* Q. Flor. Tertullian. lib. de Baptismo: *Nam & sacris quibusdam per lavacrum initiantur, Isidis alicujus aut Mithræ, ipsos etiam deos lavationibus effertunt, hujus sacerdotes milites vocabantur.* Idem lib. de præscript. adverf. hæret. *Tingit & ipse quosdam utique credentes & fideles suos, expiationem delictorum de lavacro repromittit, & sic initiat Mithræ, signat illic in frontibus milites suos.* Idem lib. de Corona militis in fine, *Quum Mithræ miles in castris, in speleis tenebrarum initiatur, coronam interposito gladio sibi oblatam quasi mimum martyrii, dehinc capiti suo accommodatam, monetur obvia manu capite depellere, & in humerum transferre, dicens Mithram esse coronam suam, atque exinde nunquam coronatur, id quod in signum habet ad probationem sui, sicubi tentatus fuerit de sacramento, statimque creditur Mithræ miles, si dejecerit coronam, si eam in deo suo esse dixerit. Et quia statua leonina effigie erat, iidem mystæ leones etiam vocitabantur.* Idem Tert. l. 1. adversus Marcionem. *Sicut aridæ & ardentis naturæ sacramenta leones Mithræ philosophantur.* Qui plura cupis, consule Lilium Gyraldum Ferrariensem de diis gentilibus Syntagm. 7. Æl. Lampr. in Commodo. *Sacra Mithrica homicidio vero polluit, cum illic aliquid ad speciem timoris vel dici vel fingi soleat.* Q. Curtius de Gest. Alex. l. 4. *Mithram sacrumque & æternum invocans ignem.* Sic enim optime legitur ex fide MSS. codicum, observante Ioanne Bernartio: alii male, *Solem & Martem.* Principium denominationis forte defluxit à *Mithre* quodam qui *Heliopoli* vel in *Solis urbe* regnavit. C. Plin. lib. Nat. hist. c. 8. cujus tantus deinceps cultus, ut per eum Persarum reges jurarent. Æl. var. hist. l. 1. c. 33. Artaxerxes obtestatur νὴ τὸν Μίθραν. *per Mithram.* Iustus Vultejus, *per Solem*, vertit. Locus est insignis Martiani Capellæ de Nupt. Merc. & Philologiæ, varia solis cognomina complectens, quem idcirco apponam:

Hunc Phœbum perhibent prodentem occulta futuri,
Vel quia dissolvis nocturna admissa Isæum,
Te Serapin Nilus, Memphis venerator Osyrim,
Dissona sacra Mithram, Ditemque ferunt que Typhonem,
Atys pulcher item, curvi & puer almus aratri,
Ammon & arentis Libyes, ac Biblius Adon,
Sic vario cunctus te nomine convocat orbis.

Denique & marmor vetus:

PERSIDICIQVE. MITRÆ. ANTISTES.
BABILONIE. TEMPLI. & aliud:
DEO. SOLI. INVICTO. MITRÆ. FL. SEPTIMIVS.
ZOSINVS. V.P. SACERDOS. DEI. BRONTONTIS.
ET ÆCATÆ. HOC. SPELÆVM. CONSTITVIT.

PARALIPOMENA DE LVNA.

Veneficiis, nocturna gesta ei adscripta, expiatio fluxus, & deliquium.

Nec quicquam de *Luna*, nisi Romæ fuisse cultam & *Noctilucæ* nomine templum in Palatino monte habuisse. Interpretes Q. Horatii ad od. 6. lib. 4. atque aliud in Aventino. P. Victor. in reg. 13. T. Liv. 4. Dec. lib. 10. in princip. P. Ovid. lib. 3. Fastor. in fine:

——— *Aventino luna colenda jugo.*

Neque minus apud Græcos solemni religione observata, fana ei erigebantur: Et quoties naturali defectu laborabat, toties veneficiis deduci credebant, ideoque & cymbala omnis generis, ne illa veneficarum magicas & incantationes audiret, pulsabant. Quanquam scio alios id amoribus, non magicis artibus adscribere. Q. Catull. epigr. 63.

Vt Triviam quondam per latmia saxa relegans
Dulcis amor gyro detinet aereo.

At revera ne incantatrices exaudiret magas, cymbala pulsabant, longa est Plutarchi narratio in vita Pauli Æmilii, & in præcept. Connubialib. ad finem pag. 145. vet. Scholiast. Iuvenalis ad Sat. 6. v. 441. *Sonitum fieri adsolet quando luna deficit.* Petron. Satyrico pag. 100. *Solent, inquit, hæc fieri, & præcipue in hac civitate, in qua mulieres etiam lunam deducunt.* Lactat. Placid. ad v. 106. l. 1. Thebaidos Statianæ: *Pagani magicis artibus credebant lunam posse mutari.* Idem ad v. 687. l. 6. Thebaid. *Sic sibi insana hominum & stulta persuasio vindicat, quod carminibus lunam cœlo eripiant.* Et deinde, *ad opinionem hominum retulit, quod arbitrentur deficienti lunæ auxiliari, si æra percutiant.*

Atque ita perpetuo poëtæ audiendi. Sext. Propert. libr. 1. eleg. 1.

At vos deductæ quibus est fallacia lunæ,
Et labor in magicis sacra piare focis.

Alb. Tibull. lib. 1. eleg. 8.

Cantus & è curru lunam deducere tentat,
Et faceret, si non æra repulsa forent.

Melius sic, quam in antiqua editione Vicentina:

Cantus & è curru deducere lumina tentat.

M. Martial. lib. 9. epigr. 30.

Quæ nunc Thessalico lunam deducere rhombo,
Quæ sciet hos, illos vendere lena thoros.

Et lib. 12. epigr. 57.

Dicet quot æra verberent manus urbis,
Cum secta Colcho luna vapulat rhombo.

In M. S. Pulmani aliter, & forte rectius concipiebatur:

Cum secta Colcho luna vapulat bombo.

Pet. Apollon. Collatius de Excidio Hierosolymitano l. 1.

Candida nec magicas artes, inimicaque verba
Passa, nec à radiis, terræ molimine, fratris
Intercepta sui, bissenas Delia noctes
Horruit, & fusca texit caligine vultum.

Et eodem libro post:

——— *Quantum pavidæ succurrere lunæ*
Certantes populi tinnitibus æris acuti
Ingeminant, surdasque deæ nituntur ad aures,
Thessalicum ne carmen eat, detractaque cœlo
Suppositas læto terras simul obruat orbe.

M. Manil. Astron. l. 1. in principio:

Sed prius Eoæ quærunt tua lumina gentes,
Seraque in extremis quatiuntur gentibus æra.

Claudian. lib. in Ruff. de bello Getico:

——— *Quo Thessala cantu eripiat lunare jubar.*

Vnde conſtet Theſſalas veneficas ab antiquitate celebrari, ut eſt apud eundem:

Nec credunt vetito fraudatam ſole ſororem
Telluris ſubeunte globo, ſed caſtra ſequutas
Barbara, Theſſalidas propriis lunare venenis
Incaſtare jubar.

L. Sen. in Medea Act. 4. ſc. 2.

Inque auxilium pretioſa tuum
Dictyma ſonent æra Corynthi.

Idem in Hippolyto Act. 2. in Choro:

At nos ſolliciti lumine turbido,
Tractam Theſſalicis carminibus rato
Tinnitus dedimus.

P. Ovid. lib. 7. Metamorphoſ. fab. 2.

Te quoque luna traho, quamvis Temeſæa labores
Æra tuos minuant.

Et lib. 12. fab. 4.

Mater erat Mycale, quam deduxiſſe canendo
Sæpe reluctantis conſtabat cornua lunæ.

D. Iuvenal. Sat. 6. v. 441.

Vna laboranti poterit ſuccurrere lunæ.

Papin. lib. 6. Thebaid. v. 686.

Sic cadit attonitis quoties avellitur aſtris
Solis opaca ſoror, procul auxiliantia gentes
Æra crepant, fruſtraque timent; at Theſſala victrix
Ridet anhelantes audito carmine bigas.

Idem corrigendus lib. 1. Thebaid.

——— *Qualis per nubila Phœbus*
Atracia rubet arte color.

Legendum omnino ex fide MS. codicis.

Atracia rubet arte labor.

Nam per artem *Atraciam* Theſſalica incantamenta intelligit. Notiſſimum quippe infamem maxime fuiſſe veneficiis Theſſaliam, vel ex L. Apulejo libr. 1. Mileſiar. Itaque defectum lunæ per *colorem* rubeſcentem explicare non poteſt commode, quum deliquium illud non *ruborem*, ſed verius *pallorem* inducat. Optime ergo per laborem expreſſit Virgil. lib. 2. Georg.

Defectus ſolis varios, lunæque labores.

Quod ex Steſichori & Pindari ſententia diligentiſſime, ut omnia alia, traditum eſt à C. Plinio libr. 2. Nat. hiſt. c. 9. 12. Sidon. Apollinar. Carm. 15. v. 80.

Defectum ut Phœbi, necnon lunæque laborem.

Denique C. Petron. in Satyrico pag. 108.

Quid leviora loquar? lunæ deſcendit imago
Carminibus deducta meis.

Hæc variis impoſitis nominibus, ſecundum naturæ ſuæ conditionem; modo *cornuta*, modo *plena*, modo *minuens* appellabatur: & quod cornuta vocaretur, omnes poëtæ paſſim. Ovidius ep. 2. Phyll. Demop.

Cornua cum lunæ pleno ſemel orbe coiſſent.

Valer. Flacc. lib. 4.

——— *Plenæ referentem cornua Phœbes.*

M. Lucan. lib. 5. v. 595.

——— *Seu Phœbum videat, ſeu cornua lunæ.*

Sedul. Scotus lib. 1.

Qui Solem radiis, ac lunam cornibus imples.

Plenam autem *lunam* pulchritudinis typum eſſe volebant, & quemadmodum illa nubibus interjectis nonnihil tegi obumbrarique ſolet, ita nimbis ſeu limbis formoſarum frontes vinctas legimus. Petron. Satyr. pag. 97. *Delectata illa riſit tam blandum, ut videretur mihi plenum os extra nubem Lunæ proferre.* Arnobius libr. 2. contra gentes; *Laminas pertunderent aurium, imminuerent frontes nimbis, fuligine oculos obumbrarent.* In vulgatis editionibus habetur, *frontes imminuerent Limbis*, ſed ita Ioannes Meurſius legit parte 1. Criticar. exercitationum. Et eſt par locus apud Servium ad illud libr. 2. Æneid.

——— *Tritonia reſpice Pallas*
Incedit limbo effulgens & Gorgone ſæva.

Legi poteſt, *nimbo effulgens*. Licet antiqua lectio non ſit rejicienda. *Limbus* enim *tenia* eſt, ſeu vinculum fronti tegendæ. Claudian. de conſulatu Manlii Theodori:

Continuo frontem limbo velata pudicam.

Scio & veſtis extremam oram *limbum* vocari, ſeu virilis, ſeu muliebris. de virili Stat. lib. 6. Thebaid. 540.

——— *Mæonio circumflua limbo*
Pro meritis Admete chlamys.

De muliebri, idem de Achille fœminæ veſtem induente lib. 1. Achilleid.

Et picturato cohibet veſtigia limbo.

Vnde & *limbolarii* artifices, qui limbos conficiebant, ut jam obſervatum ex Aulularia Plautina. Trebell. Pollio in Zenobia: *Galeata ad concionem proceſſit cum limbo purpureo.* Et de qualibet veſte Ovid. lib. 6. Metamorph. fab. 3.

Vltima pars telæ tenui circumdata limbo.

Sed redeo in orbitam, *limbata* ergo *frons*, id eſt, pulchra, limbo obducta, nimbata, quæ lunam imitatur ſe exerentem extra nubem, Plaut. in Pœnulo.

Quam magis aſpecto, tam magis eſt nimbata.

Q. Horat. lib. 1. Sat. 8.

Nec prohibere modo, ſimulac vaga luna decorum
Protulit os.

Claudian. de Serena & Maria filia jam deſpondenda Honorio principi in Epithalamio ejus:

Hæc modo creſcenti, plenæ par altera Lunæ.

Corrip. African. lib. 2. num. 3.

It ſacrum comitata latus pulcherrima proles,
Luce ſua plenam quæ poſſit vincere lunam.

Minuens luna, id eſt, decreſcens, nota eſt fabula, quam prodidit Plutarchus in Sympoſio ſapientum, lunam à matre petiiſſe *tunicam ſibi congruentem*, ſive χιτώνιον σύμμετρον, & illam reſpondiſſe, καὶ πῶς σύμμετρον ὑφήνω, νῦν μὲν γὰρ ὁρῶ σε πανσέληνον, αὖθις δὲ μηνοειδῆ, ποτὲ δὲ ἀμφίκυρτον. *Quomodo congruum poſſim, cum te jam plenam, mox in cornua attenuatam, rurſus dimidio orbe videam?* Fulgent. l. 1. Mythol. de Sole; *Quia occidendo & renaſcendo ſemper eſt junior, ſicut quod nunquam in ſua virtute deficiat, ut luna quæ creſcit & minuitur.* Sedul. lib. 1. ſacri operis de Idolorum cultoribus:

Sed Lunæ quoque vota ferunt, quam creſcere cernunt
Et minui, ſtelliſque litant.

Corrip. in præfatione ſua:

Ardua ſuſpiciens minuentis cornua Lunæ.

Sic enim correxi ex Virgilio & Ovidio, quum antea legeretur, *ſuſcipiens*, hic lib. 9. Æneid.

Suſpiciens altam Lunam.

Ille lib. 1. Triſt. eleg. 3.

Hanc ego ſuſpiciens, & ab hac Capitolia cernens.

Certe in concipiendis votis oculos manuſque in cœlum tendere ac erigere ſolebant, tanquam deos voti teſtes facturi, ac præſertim ſolem & lunam, notavit Alexander Braſſicanus in lib. 2. Salviani de Iud. & provid. ex Ariſtotele lib. de Mundo. Claudian. l. 2. in Ruffin.

——— *Tandem indignatus ad aſtra*
Extollit palmas.

Et proprie *Luna decreſcens*, dicebatur *minui*, Corip. African. lib. 2. num. 2.

——— *Cornua lunæ*
Paulatim minui, paulatim creſcere juſſit.

Hoc illud eſt, quod *damnum* vocant. Scholiaſt. Theocriti. Ianus Mellerus in ſpicilegio. A. Gell. lib. 20. cap. 7. *Eam ob cauſam eſſe dicunt ſacerdotes Ægyptii, cur Peluſiotæ cæpe non edant, quia ſolum olerum omnium contra lunæ acta (lege aucta) atque damna, vices minuendi atque augendi habet contrarias.* Iul. Firmic. Matern. Iunior, cauſarum olim patronus (ut eſt in præfatione ad lib. 4.) præfat. ad l. 1. Matheſ. *Quid lunæ velox motus, aſſiduaque luminis vel augmenta, vel damna.* M. Manil. lib. 2. Aſtron.

Et cum damna tuas imitantur Delia vires.

Sidon. Apollinar. Carm. 15. v. 41.

Quid noctis luciſque vices, quid menſtrua luna
Incrementa parent, totidem cur damna ſequantur?

Cl. Claudian. de 6. Honor. conſul.

——— *Nudataque littora fluctu*
Deſerit, Oceani lunaribus æmula damnis.

Damna hæc ſive decrementa regere curſus maris fluentis, vel refluentis creditum. C. Iul. Solin. Polyhiſt. c. 26. *At ii qui ſiderum ſequuntur diſciplinam, contendunt meatus iſtos commoveri lunæ curſibus, adeo ut ſic viciſſitudines inter maciem aquarum & plenitudinem reſpiciant ad auctus ejus vel defectiones.* Phavorinus Philoſophus apud A. Gellium l. 14. c. 1. *Æſtus Oceani cum lunæ curriculo congruit.* Philoſophantium citare placita nihil jam opus, poëtæ paſſim. Lucan. l. 10. Pharſaliæ v. 216.

——— *Vt Oceanus lunaribus incrementis*
Iuſſus adeſt.

Sil. Italic. l. 2. Punicor.

Cymotheos ea regna vagæ pelagique labores
Luna movet, luna immiſſis per cærula bigis
Fertque refertque fretum, ſequiturque reciproca Thetis.

Ioan. Iovian. Pontan. l. 1. Vranies:

Quod varii maris acceſſus, variique receſſus
Oſtendunt.

Sidon. Apollinar. carm. 22. v. 107.

At cum ſummotus lunaribus incrementis
Ipſe Garumna ſuos in terga recolligit æſtus.

Claudian. paneg. de conſul. Theodori:

——— *Tumidos quæ luna recurſus*
Nutriat Oceani.

Erat & *luna bellorum præſes*, quod inanimadverſum hactenus fuit, adeo ut victores arma captivorum hoſtium ei cremarent. T. Liv. 5. Decad. l. 5. *Cætera omnis generis arma cumulata in ingentem acervum, precatus Martem, Minervam, Lunamque matrem & cæteros deos, quibus ſpolia hoſtium dicare jus faſque eſt, ipſe imperator face ſubdita ſuccendit, deinde circumſtantes tribuni militum pro ſe quiſque ignes conjecerunt.* Sic enim legendum eſt, non ut Adriano Turnebo l. Adverſar. 16. cap. 20. viſum eſt legere, *Luamque matrem*, quam ille à *luendo*, hoc eſt; *expiando*, vult dici. Sed retinenda vulgata lectio, quippe multa noctis & lunæ præſidio aggrediebantur exercituum duces. Titus ille Quintius apud Livium 4. Dec. l. 2. *Nocte itinera fieri jubet, & pernox erat luna.* Quia ut manifeſte victoriæ ſol, ita furtivæ erat dux luna. Neque omittendum, quod eodem authore T. Livio proditum 5. Decad. l. 4. *Sulpitius Gallus tribunus militum ſecundæ legionis, qui prætor ſuperiori anno fuerat, conſulis permiſſu ad concionem militibus vocatis, pronuntiavit nocte proxima, ne quis id pro portento acciperet, ab hora ſecunda uſque ad quartam horam noctis lunam defecturam eſſe, id quia naturali ordine ſtatis temporibus fiat, & ſciri ante, & prædici poſſe: itaque quemadmodum ſolis lunæque certi & ortus & occaſus ſint, nunc pleno orbe, nunc ſeneſcente & exiguo cornu fulgere lunam, non mirarentur: ita ne obſcuram quidem, quum condatur umbra terræ, trahere id in prodigium non debere. nocte quam pridie nonas Septembres inſequuta eſt dies, edita luna cum defeciſſet, Rom. militibus Galli prope ſapientia divina videri Macedonas, ut triſte prodigium, occaſum regni, pernitiemque regni portendens monuit: nec aliter vates, clamor, ululatuſque in caſtris Macedonum fuit, donec luna in ſuam lucem emerſit.* Neque unquam ſine caſtrorum tumultu lunæ deliquium contigiſſe eſt animadverſum. Celebre exemplum apud C. Tacitum lib. 1. Annal. *Noctem minacem & in ſcelus erupturam fors lenivit, nam Luna clariore pæne cœlo viſa langueſcere, id miles rationis ignarus, omen præſentium accepit, ac ſuis laboribus defectionem ſideris adſimilans, proſpereque ceſſura quæ peragerent, ſi fulgor & claritudo deæ redderetur: igitur tubarum ſono, æris cornuumque concentu ſtrepere, ut ſplendidior, obſcuriorve, lætari, mœrere. At poſtquam oborta nubes officere viſui, conditamque creditum tenebris, ut ſunt mobiles ad ſuperſtitionem perculſæ ſemel mentes, ſibi æternum laborem portendi, ſua facinora lamentantur deos averſari.* Ergo & victoriarum futurarum certa à Lunæ aſpectu ducebantur præſagia, ut defectus ejus exitium, clarus fulgor proſperos eventus denotaret.

Quare & noctis lunæque præſidio Troja à Græcis capta. ubi non parva difficultas, meo judicio oritur. Nam Servius Maurus ad v. 255. lib. 2. Æneid. *Et ſciendum ſeptima luna captam eſſe Trojam, cujus ſimulachrum apud Argos eſt, quod relatæ victoriæ conſtitutum eſt, ab imagine ejus, quæ tunc erat dividua orbis re.....* & P. Maro ipſe loco prius laudato:

Iamque Argiva Phalanx inſtructis navibus ibat
A Tenedo, tacitæ per amica ſilentia Lunæ
Littora nota petens.

Vult Virgilius Trojam captam Luna ſilente, hoc eſt nova Luna, aut quum exiguus ejus eſſet fulgor. id ipſum eſt quod ſeptimam Lunam appellat Servius: at C. Petronius in Satyrico pag. 45. plena Luna Trojæ haloſin contigiſſe cecinit his verbis:

Iam plena Phœbe candidum extulerat jubar,
Minora ducens aſtra radianti face,
Cum inter ſepultos Priamidas nocte & mero
Danai relaxant clauſtra, & effundunt viros,
Tentant in armis ſe duces.

Denique inter prodigia habitum eam deliquium luminis ſui paſſam. C. Petron. & alii de bellis civilibus Pompejanis:

——— *Plenos extinxit Cynthia vultus.*

Iul. Obſequens de Prodig. capp. 30. 31. 92.

CAP. IX.

De Mercurio & Minerva.

Mercurium & *Minervam* etiam veteres conjunxerunt: non quidem conjugio, ſed communitate ſtudiorum, de quibus hoc capite dicemus.

Mercurius à Latinis quaſi *medicurius*, vel *medius currens*, quod ſermo medius inter homines ſit, cujus ipſe Deus ab antiquis credebatur. *Arnob. Feſtus* ait *Mercurium* à mercibus dictum eſſe: hunc enim negotiorum omnium Deum veteres exiſtimarunt; *Fulgentius*, *Mercurium* dici, quaſi *Mercium curam*. Cicero lib. 3. de Natura Deorum, quinque *Mercurios* numerat. *Vnum* qui cœlo patre, & Die matre natus ſit, cujus obſcœnis excitata natura traditur, quod aſpectu Proſerpinæ commotus ſit. *Alterum* Valentis & Phoronidis filium, eum qui ſub terris habitet, & *Trophonius* appelletur. *Tertium* Iove tertio natum, & Maja: ex quo & Penelopa Pana natum ferunt, *Quartum* Nilo patre: quem Ægyptii nefas habeant nominare. *Quintum* quem colunt Pheneatæ, qui Argum dicatur interemiſſe, ob eamque cauſam Ægypto præfuiſſe, atque Ægyptiis leges & litteras tradidiſſe: quem Ægyptii *Thetin* appellent. *Lactantius* Grammaticus tantum quatuor numerat. Inter hos celebratiſſimus fuit ille, qui *Iovis* & *Majæ* filius, de quo extat lepidiſſimus Dialogus *Luciani*, quomodo à prima pueritia, imo infans adhuc in cunis jacens furaciſſimus fuerit. Multa munia *Mercurio* tribuerunt, crediderunt eum Deum ſermonis, unde & internuncius Deorum eſt exiſtimatus. *Mercatorum* etiam *Deus* fuit, ut puta, qui pondera, & menſuras, & quæſtum ex mercatura facere, Diodoro teſte, inſtituerit. *Literas*, *Muſicam*, *Palæſtram* & *Geometriam* inveniſſe dici-

dicitur, de quo eleganter *Galenus* Pergamenus in Suaſoria (ſi libellus eſt legitimus) *Mercurium*, inquit, ut orationis parentem & artium omnium auctorem, in aliam effigiem, quam Fortunæ effinxerunt, tum Pictores, tum Plaſtæ. Effingunt enim juvenem formoſum, non tamen fucatum, aut comptum, ſed nativa quadam virtutis ſpecie, vultu hilari, acribus oculis, in baſi quadrata, quæ ſtabilitatis & firmitatis figura eſt. Aſſignavêre ei in capite & in pedibus *alas*, ſignificare volentes volucrem per aëra ferri ſermonem: item *caduceum*, cui duo dracones ſint implicati, eo quod Præconis munere fungatur, & pacis auctor habeatur. *Statuas Mercuriales* appellarunt, quæ in viis extructæ iter facientibus. Vide Fig. ejus in fronte lib. 2. in F.

CYLENIVS dictus MERCVRIVS, vel à *Cyllene* monte Arcadiæ, in quo & nutritus & diverſatus ſit: vel quod ſomnum animantibus conciliet, ut qui poteſtatem κυλλήδων habeat. *Feſtus* ait ideo *Cyllenium* dictum, quod omnem rem ſermo ſine manibus conficiat, quibus partibus corporis, qui careant, κύλλους vocari. Hujus duæ ædes, totidem ædiculæ, aræ, & templum Romæ fuerunt, uti ex XIV. regionum deſcriptione apparet.

MALLEVOLI MERCVRII ſignum, ait *Feſtus*, appellabant ideo, quod, in nullius taberna ſpectabatur.

CAMILLVS dictus fuit ab Hetruſcis, quod eſſet miniſter Deorum: *Camillos* enim miniſtros ſacrorum veteres appellabant, ut infra docebimus: Verum de *Mercurio* non addam plura, de quo vel ſolo integrum volumen confici poſſet. Ad *Minervam* progrediamur.

DE MINERVA.

DE MINERVA, unde nomen habeat, plurimæ, eæque diverſæ veterum ſcriptorum extant ſententiæ, quas hoc loco commemorare volo. *Cicero* ait *Minervam* dictam eſſe à *minuendo*, vel *minando*, quia prudentiæ Dea ſit, & belli. *Feſtus* etiam, quod *bene moneat*, *Minervam* eſſe dictam vult. *Arnobius* quaſi *Meminervam* appellatam eſſe dicit, quod à quibuſdam eadem memoria eſſe affirmetur. *Cicero* quinque *Minervas* recenſet. *Minerva* prima, inquit, quam Apollinis matrem ſupra diximus. *Secunda* orta Nilo, quam Ægyptii Saitæ colunt. *Tertia* illa, quam Iove generatam ſupra diximus. *Quarta* Iove nata, & Coryphe, Oceani filia, quam Arcades *Coryphaſiam* nominant & quadrigarum inventricem ferunt. *Quinta* Pallantis, quæ patrem dicitur interemiſſe, virginitatem ſuam violare conantem: cui pinarum talaria affigunt. *Tertia* ex his ex cerebro Iovis prognata dicitur, qua de re extat elegantiſſimus *Luciani* Dialogus. De *Minerva* in hunc fere modum ſcribit *Iſidorus*: *Minervam* gentiles multis ingeniis prædicant: hanc enim primam lanificii uſum monſtraſſe, hanc etiam telam ordiſſe, & coloraſſe lanas perhibent: olivæ quoque dicunt inventricem, & fabricæ, & multarum artium repertricem, ideoque illi vulgo *Opifices* ſupplicant. Sed & hoc poëtice fingitur. Non enim *Minerva* iſtarum artium princeps eſt: ſed quia ſapientia in capite dicitur eſſe hominis, & *Minerva* de capite Iovis nata fingitur, hoc eſt, ingenium: ideo ſenſus ſapientis, qui invenit omnia in capite eſt. Ideo & Dea artium *Minerva* dicitur, quia nihil excellentius eſt ingenio quo reguntur univerſa. Effingebatur *Minerva* vultu virili & truculento, galeam in capite gerens, armis inſignibus, oculis torvis & glaucis, cum haſta prælonga & cryſtallino clypeo, caput Gorgonis inſcriptum habente, quomodo ex capite Iovis proſiliiſſe fingitur. Vt videre eſt litera G. in fronte lib. 2.

PALLAS eadem dicta eſt, vel à *Pallante* Gigante occiſo, ut ſcribit *Servius*, vel quod in *Pallante palude* orta eſſet, ut *Feſtus*, vel ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὸ δόρυ, i. à vibranda & concutienda haſta: vel à *ſaliendo*, & *ſaltando* in bello, ut *Plato* ait. Hujus ſimulachrum *Palladium* dicebatur, de quo in *Veſta* dicam.

MINERVÆ templa & ædes plures Romæ fuerunt: in reg. 1. ædes ejus fuit: in 11. reg. ædicula *Minervæ Captæ*, cujus appellationis cauſas aliquot recitat *Ovid*. vel quod ingenioſa Dea ſit, cum *capitale ingenium* ſolers dicamus; vel quod feratur proſiliiſſe ex capite Iovis; vel quod domitis Faliſcis captiva Romam fuerit deducta; vel quod capite puniatur, ſi quis ex ejus templo furto quicquam ſubtrahat. Addit *Paulus Marſus* aliam, *Minervam* captam fortaſſe dici poſſe, quod captus locus ex *Feſti* ſententia ad ſacrificandum legitime conſtitutus videretur.

Templi MINERVÆ MEDICÆ *P. Victor* meminit, quod fuit in regione V.

Templum MINERVÆ FLAVIANÆ in VI. regione collocatur.

Fuit & à *Pompejo Magno* delubrum *Minervæ* conſecratum, confecto bello annorum 30. de quo *Plinius* l. 7. cap. 26. quod fuit magnifice ornatum, in quo etiam fuit breviarium rerum in Oriente geſtarum à Pompejo Magno.

MINERVÆ, ſive PALLADIS AVENTINÆ templum in *Aventino* monte antiquiſſimum fuit, *Livii Andronici* Poëtæ donariis celebre, quibus ipſe ab aliis Poëtis & ab Hiſtoricis, quibus fabulas ſcripſerat, honoratus, eadem ad *Minervam* ingeniorum præſidem, grata pietate detulerat. De hoc templo *Ovid*. l. 6. Faſt. De delubro *Minervæ* in Capitolio antea diximus. *Minervam* cuſtodem *Cicero* domi ſuæ privatim coluit, quam poſtea abiturus in exilium, in Capitolium detulit, & conſecravit. *Dion*. lib. 38.

CHAL-

CHALCIDICÆ MINERVÆ templum in nona Vrbis regione *C. Octavius Auguſtus* dedicavit. *Dion*. lib. 38.

Signum MINERVÆ CATVLLIANÆ à Q. Lutatio Catulo dedicatum eſt: unde & nomen habet. *Plinius*.

MINERVIVM MINERVÆ templum dicebatur. Tantum de *Minerva*.

MERCVRIO & MINERVÆ, quos artium bonarum inventores & præſides fuiſſe diximus, *Muſas* adjungamus, quamvis ad Apollinis hiſtoriam referri potuiſſent & debuiſſent etiam.

AD CAP. IX. PARALIPOMENA.

De Mercurio, & ejus Zona, & ſtatuis in Triviis, cognominibus.

Vetus gloſſographus, ſive is Cornutus, ſeu quilibet alius in Aulum Perſium commentator ad Satyr. 5. v. 112. *Ipſum Deum lucri dicunt, unde & cum ſacello pingitur, & à negotiatoribus plurimum colitur.* Feſt. Pomp. lib. 11. *Mercurius à mercibus eſt dictus, hunc etenim negotiorum omnium exiſtimabant eſſe Deum.* Adde *& capite canino effingi ſolitum, quod canis ſagaciſſimum ſit animalium.* Iſidor. lib. 8. Etymolog. cap. ult. Fulgent. lib. 1. Mytholog. *Mercurium dici voluerunt, quaſi mercium curam, pennata talaria, quod negotiantium pedes ubique pergendo quaſi pennati ſint: virgam ſerpentibus nexam, quod mercatoribus det aliquando regnum, ut ſceptrum, & vulnus, ut ſerpentium: galero cooperto capite pingitur, quod omne negotium ſit ſemper abſconſum.* Vide reliqua. Quæ ille ad Mercatores refert, de Natura Mercurii planetæ exponit Lutatius Placidius ad lib. 1. Thebaid. v. 304.

Tanto cultu à mercatoribus obſervabatur, ut Idus Majas ei dedicarent, quod illis natus haberetur, vel quod tunc ædes illi vota. Poſterius extat apud Feſtum Pompejum l. 11. Majis Idibus mercatorum dies feſtus erat, quod eo die Mercurii ædes eſſet dedicata. Prius placuit M. Martiali l. 12. epigr. 68.

Majæ Mercurium caſtis Idus.

D. Auſon. Idyllio 25.

Et medias Idus Maji Auguſtique recurſu,
Quas ſibi Mercurius quaſque Diana dicat.

Et quod apud Romanos *Saturnalia*, id apud Cretenſes *Mercurialia*. Vigebat enim illa inſula plurimum mercatorum frequentia, ut ex Diogene Laertio notavit Ioan. Brodæus: Eſtque epigramma Nicarchi l. 2. Antholog. c. 47. epigr. 35.

Quod autem cum *ſacello* aut *ſacco* eum depinxerant, interpretor *marſupium è Zona pendulum*, recondendæ pecuniæ. Scholiaſt. Anthol. l. 7. epigr. 12. σακκίον, ἀργυροθήκην, μαρσύπιον, *ſacellum, pecuniæ repoſitorium, marſupium exponit.* Ex Ariſtophane, Antiphane, Apollodoro *ſacculum* reddidit Rudolphus Gualterus apud Iul. Pollucem l. 7. onomaſt. c. 33. num. 9. Neque enim in manu burſa illa, ut imperitiſſimus quidam affirmavit, ſed è cingulo propendens, in qua antiqui pecunias ſuas circumferebant. C. Suet. in Vitellio cap. 16. *Simul dilabentibus cunctis, Zona ſe aureorum plena circumdedit, confugitque in cellulam Ianitoris.* L. Apul. l. Mileſiar. 7. *Fugientis comes, & infortunii ſocia, tonſo capillo, in maſculinam faciem reformato habitu, pretioſiſſimis monilium & auro monetali Zonis refertis incincta.* A. Gell. l. 15. c. 12. *Cum Roma profectus ſum, Zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli.* Vnde liquet, non tantum mercatores hujuſmodi Zonis uſos, ſed & magiſtratus. Nam Gellius verba C. Gracchi poſuit, qui Sardiniam adminiſtraverat. Vlpian. IC. *l. 6. ff. de bon. damnator. Nec ſi Zonam circa ſe habuerit, protinus aliquis ſibi vindicare debebit, ſed veſtem qua is fuerit indutus, aut nummulos in ventrali.* Sic enim lego ex Andrea Alciato l. 1. Parerg. cap. 40. niſi ſi cui placet, *laterali*, ut legitur *in l. pen. ff. de legat.* 3. Certe corruptiſſime antea conceptum, in *vetralem*, quod nullum admittit ſenſum. Plaut. in Mercatore, ſc. Divum. *Zonam ſuſtuli.* D. Iuvenalis Satyr. 14. v. 295.

Nocte cadit fractis trabibus, fluctuque premetur
Obrutus, & Zonam, læva morſuque tenebit.

Vet. Scholiaſt. *Zonam, quæ fert ſolidos.* Non minus Græcam quam Romanam fuiſſe conſuetudinem, diſcere eſt facile ex carmine Simonidæ in Anthol. l. 7. epigr. 12.

Ἔμπορε ϗ φορτηγὲ τὸ σὸν βαλάντιον οἶδεν
Καὶ πόθεν αἱ ζῶναι, ϗ πόθεν οἱ πίνακες.

Mercator & nauta, tua crumena novit, & unde hæ Zonæ, & unde hæ tabellæ? Ariſtophanes in Theſmophoriazuſis apud Iulium Pollucem lib. 10. cap. 32. Onomaſt.

Σακκίον, ἐν οἷσπερ τ᾽ ἀργύρειον ταμιεύεται.
Sacculum in quo argentum reponit.

Ego vel *ſaccion*, vel *ſacculum*, vel *marſupium*, vel *ſacellum* ad Zonam refero; occurrit quod Chryſippus ſcripſit: *Megaris quendam auro Zonam refertam efferentem, apud cauponem divertiſſe veſperi, ab eoque oculis in aurum conjectis, occiſum, quem, cadavere in currum, quo fimum veheret, conjecto, efferre voluerit.* Ælianus referente Suida in voce τιμωροῦντος. At ſciendum non circa lumbos, ut nunc fit, has Zonas geſtari ſolitas, ſed è collo pendulas, quod licet ſciam aliis præoccupatum, docebo tamen ex M. Plauto in Truculento ſc. ult.

Pecua ad hanc collo in crumena obligata defero.

Et in eadem fabula:

——— *Homo crumenam ſibi de collo detrahit,*
Minas viginti mihi dat, accipio lubens.

Idem in Epidico, ſc. *Feciſti*:

Ipſe in meo collo tuus pater crumenam collocavit.

Et in Aſinar. ſc. *Cur me.*

Hic iſtam colloca crumenam in collo plane.

Communis Deus vocatus Mercurius, & cum quis in itinere quippiam inveniſſet, ſolebat præfari; *Communi Mercurio, qui rei inventæ conſcius eſt, ut qui in viis verſetur*, ut ait Iodocus Velareus interpres Phornuti lib. de nat. deor. Nam cum Deorum alii αἰθέριοι, *aërii*, alii οὐράνιοι, *cœleſtes*, alii θαλάσσιοι, *marini*, alii denique χθόνιοι, *terrei*. Solus Mercurius utramque veluti naturam cœleſtium, terreſtrium, & aëriorum, habere judicatus eſt. Q. Horat. lib. 1. od. 10.

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coërces
Aurea turbam, ſuperis deorum
Gratus & imis.

Et cultiſſime Claudian. lib. 1. de Raptu:

Atlantis Tegeæe nepos, commune profundis
Et ſuperis numen, qui fas per limen utrumque
Solus habes, geminoque facis commercia mundo.

Leonidas tamen vetus poëta eum inter terreſtres collocat deos Anthol. lib. 3. cap. 6. epigr. 55.

Ἀλλὰ πρὸς ἐγγαίων αἰδωνέος, ἑρμεία τε
Καὶ νυκτὸς, ταύτης ἐκτὸς ἴτ᾽ ἀτραπιτοῦ.
Sed per Plutonem & Mercurium terreſtres,
Et noctem, hanc extrahite ſemitam.

Cultus præcipua veneratione à Germanis antiquis. C. Tacit. l. 13. Annal. *Victores Hermunduri diverſam aciem Marti ac Mercurio ſacravere.* Idem in lib. de Morib. Germanor. *Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus, humanis quoque hoſtiis litare fas habent.* Annius Viterbienſis in lib. 5. Beroſi Babylonii, ſi modo ejus eſt libellus qui circumfertur, indignus quidem, meo judicio, tanto authore. *Porro Tentanes Germanis Mercurius exſtitit, cui cognomentum ſacrificus ritus indidit: reddebat enim pallentes eos, qui ſibi gratis immolabantur.* Quæ ego non aſſequor, niſi ſubſit aliqua idiomatis à me non intellecti proprietas, aut argutia. Quid enim commune habent Palleus & Tentanes? Certe hactenus viri docti Teutatem vocarunt, inducti teſtimonio M. Lucani lib. 1. v. 443.

Et

Et quibus immittis placatur sanguine diro
Teutates, horrensque feris altaribus Hesus.

Quæ licet de Gallis dicta ab eo sunt, ad Germanos trahit Andreas Althamerus in Comment. ad Taciti libellum *de Morib. Germanor.* Hulderichus Huttenus in Panegyrico Alberti Moguntinensis Archiepisc.

Cernis & Alcidem, junctoque Tuiscona Manno
Et Maja genitum?

Ad Græcos & Romanos redeo, qui in compitis civitatum statuas ei erigebant. Herodot. l. 2. pag. 123. τοῦ δὲ ἑρμέω τὰ ἀγάλματα ὀρθὰ ἔχειν τὰ αἰδοῖα ποιεῦντες. *Vt Mercurii statuam facerent porrecto cum veretro.* Xenoph. lib. de Magist. equit. ἀρξάμενοι ἀπὸ τῶν ἑρμῶν, κύκλῳ περὶ τὴν ἀγορὰν, καὶ τὰ ἱερὰ, καὶ τὰ ἀγάλματα περιελαύνοιεν τιμῶντες τοὺς θεούς. *Incipientes à Mercurialibus statuis, undique in honorem deorum cum ipso foro, fanis, ac statuis, circumequitent.* Qualis ea fuerit statua ex Herodoto supra citato percipi potest, & ex Plutarcho in præceptis Reip. gerendæ in fine: διὸ καὶ τῶν ἑρμῶν τοὺς πρεσβυτέρους, ἀχειρας καὶ ἀποδας, ἐντεταμένους μορίοις δημιουργοῦσιν. *Eam ob causam etiam Mercurios seniores sine manibus & pedibus, rigente fascino fingunt.* Servius Honorat. ad l. 8. Æneid. v. 137. *Mercurium cum in monte dormientem invenissent, manus ei amputaverunt, unde & ipse Cyllenius, & mons dicuntur, namque Græce κυλλοὺς, aliqua mutilatos parte corporis dicunt; unde etiam Hermos vocamus quosdam stimulos in modum signorum sine manibus.* Vide quæ apud eundem notatu dignissima deinde scribuntur. Aurel. Macrob. l. 1. Saturnal. cap. 19. quum alii fabulosam attulissent rationem, veram, ex natura Solis desumptam, adducit, quem eundem cum Sole esse contendit, ait ergo: *Pleraque etiam simulachra Mercurii statu quadrato figurantur, solo capite insignita, virilibus erectis, quæ figura significat Solem mundi esse caput, & rerum satorem, omnemque vim ejus non in quodam diversorum ministerio membrorum, sed in sola mente consistere, cujus sedes in capite est, quatuor latera eadem ratione finguntur, quia & tetrachordum Mercurio attributum creditur, quippe significat hic numerus vel totidem plagas mundi, vel quatuor vices temporum, quibus annus includitur, vel quod duobus æquinoctiis, duobusque solstitiis Zodiaci ratio distincta est.* Heliodor. Emesenus Phœnix hist. Æthiop. lib. 5. pag. 211. ναοῖς ἢ ἀγάλμασιν ἐπισήμοις, ἑρμαῖς τε καὶ λίθοις ἐπὶ τριόδων. *Templis aut statuis insignibus, Hermisque aut lapidibus in triviis.*

Vocatæ hæ statuæ *Hermæ*, ut patet ex citatis scriptoribus, quod quem Latini *Mercurium*, sermonis & nuntiorum deum, quasi *Medicurrium*, vocarint, Græci ab interpretamento seu expositione ἑρμῆν dixerunt. Et vere Athenienses illum ritum Hermas quadrangulari figura facere, aliis Græciæ populis communicarunt. Pausan. Messeniacis. Et apud eosdem Atheniensis receptum, ut pro Hermis illis seu Mercurii statuis facies Alcibiadis collocaretur. Arnob. l. 6. cont. gent. *Quis est enim qui ignoret Athenienses illos Hermas Alcibiadis ad corporis similitudinem fabricatos?* Mulier illa adolescentulum amans ab puella de ejus pulchritudine sciscitatur, cui ancilla respondet apud Aristænetum l. 1. epist. 11. τοιούτους ἔδει πλάττεσθαι τοὺς ἑραστὰς μᾶλλον, ἢ κατ᾽ Ἀλκιβιάδου μορφήν. *Ad hanc faciem debuere fingi Hermæ, non ad Alcibiadis vultum.* Andreas Alciatus emblem. 98.

Vt Sphæræ Fortuna, cubo sic insidet Hermes,
Artibus hic variis, casibus illa præest.
Adversus vim Fortunæ est ars facta, sed artis
Cum Fortuna mala est, sæpe requirit opem.

D. Iuvenal. Sat. 8.

Nil nisi Cecropides, truncoque simillimus Hermæ,
Nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod
Illi marmoreum caput est, tua vivit imago.

Romani in triviis Hermas illos habebant erectos, Athenienses pro foribus domuum suarum. Ælian. var. histor. lib. 2. cap. 41. καὶ τὸν στέφανον λαβὼν, ὅτε ἐπανήει μετὰ τὸ δεῖπνον τῷ ἑρμῇ, τῷ πρὸ τῶν θυρῶν ἑστῶτι ἐπέθηκεν αὐτὸν, κατὰ τὸ ἔθος. *Et coronam sumens cum reverteretur à cœna, Mercurio imposuit, qui stabat ante fores secundum consuetudinem.* Æmil. Prob. in Alcibiade: *Accidit ut una nocte omnes Hermæ, qui in oppido erant Athenis, dejicerentur, præter unum, qui ante januam Andocidis erat, Andocidisque Hermes vocatus est.* Videndi Suidas & Thucydidis scholiastes apud Dionysium Lambinum. Et Suidas quidem in dictionibus γλωχῖνας, & ἑρμαῖ. Menecles sive Callistrates in opere de Atheniensibus, sic scribit: *A varia porticu,* (sive præcile) *usque ad regiam, sunt statuæ quæ Hermæ dicuntur, unde locus id nomen accepit, quod multæ ibi & à privatis, & à magistratibus dedicatæ essent, quarum quidam Hipparchæi Hermæ dicebantur, ab Hipparcho Pisistrati filio; fuerunt item Hermæ saxei & in ædium vestibulis, & in fanis.* Idem in ἑρμαῖον. *Primitiæ ad statuas Mercuriales in viis collocabantur, quas viatores ederent, itemque acervi lapidum Mercurio sacri in viis obscuris.* Fest. Pompejus l. 3. de hujusmodi statua, ut puto, intellexit, Cyllenius Mercurius dictus est, quod omnem rem sermone sine manibus conficiat, quibus partibus corporis qui carent κυλλοὶ vocant. Ideoque quadratum eum fingunt, Leonidas Tarentinus l. 1. Anthol. c. 3. epigr. ult.

Καὶ σὺ τετράγλωχιν μηλοσόε, Μαιάδος, ἑρμᾶ.
Et tu quadrate ovium custos, Majugena, Mercuri.

Materia harum statuarum, vel *lignum*, vel *marmor*, ut ex Iuvenale supra, vel *lapis*, ut ex Heliodoro: addendus vetus scholiastes ejusdem Iuvenalis ad v. 50. Satyr. 8. *Hermæ, effigies æneæ aut marmoreæ, sine manibus, quales videmus in Circo, Hermas Athenienses ante januas pro religione positos habuere.* Et Plutarch. in Cimone Ἑρμᾶς λιθίνους, *Mercurios lapideos*, appellat. Ex quo disces & bases elogiis clarorum virorum inscriptas; ibi enim duo epigr. iisdem Hermis inscripta leguntur.

Huic deo & Minervæ erigebatur ara communis, immo & utrumque numen in eadem statua, quæ ob id *Hermathena* dicta est, ac si dicas *Mercurio Minervam*: hanc in Academia sua villæ Tusculanæ posuit Cicero, ut quum illa omnibus omnino gymnasiis præesset, hic eloquentiæ parens ac moderator doctrinæ esset, qui primus literas mortales docuisset. Notat Turnebus l. 8. c. 14. Adversar. Bellis præerat. vide in reg. 9. sup. Ovid. l. 5. Fastor.

Ensibus exertis bellica læta dea est.

Stat. Papin. l. 4. syl. 5.

Regina bellorum virago.

Erat & lanificiis præposita. adi ad regionem 5. superius. Ovidium l. 6. Metamorphoseon fabul. 1. Adde locum insignem Claudiani è libro 1. in Eutropium:

Tu potes alterius studiis hærere Minervæ,
Tu telas, non tela pati, tu stamina nosse
Et solers, operum segnes urgere puellas,
Et niveam dominæ pensis involvere lanam.

Ovid. l. 1. de Arte Amandi.

Quid facis Æacide? non sunt tua munera lanæ,
Tu titulos alia Palladis arte pete.

Vbi *tela* instrumenta sunt textorum, notat Iosephus Scaliger ad Albium Tibullum l. 2. eleg. 1.

Atque aliqua assidue textrix operata Minervam
Cantat, & applo so tela sonant latere.

Valer. Flacc. Argonaut. l. 3.

Dat pictas auro, atque ardentes murice vestes,
Quas rapuit telis formosa, vocantibus Austris
Hypsipile.

Hæc quidem in plurali, at in singulari alia telæ significatio, nempe lanificium ipsum. M. Manil. l. 4.

Nunc tenuare leni filo, nunc ducere telas.

Cælius Symposius ænigmate 17. Aranea:

Pallas me docuit extendi nosse laborem,
Nec pepli radios poscunt, nec licia telæ,
Nulla mihi manus est, pedibus tamen omnia fiunt.

P. Ovid. l. 4. Metamorph. fab. 1.

Telasque & calathos, infectaque pensa reponunt.

Melius codex MS. Maffejanus:

Telasque calathosque.

CAP. X.

De Marte & Venere.

Conjunxerunt etiam hos Deos, non quidem quod conjuges essent, sed quod amasii.

MARS dictus, ut *Varro* scribit, ab eo, quod maribus in bello præest: aut quod à Sabinis acceptus fuerit, ibi *Mavors* dictus. *Mavors* vero, ut ait *Cicero*, quod magna vertat: vel, ut *Servius* notat, figurate dicitur, ut *induperator*, pro imperator, ita *Mavors* pro eo qui est *Mars*. De patria ejus varia à scriptoribus traduntur, quæ ab *Arnobio* lib. 4. contra Gentes recitantur. Volunt aliqui ipsum solius *Iunonis* filium esse, quæ eum, cum per vireta vagaretur, ex contactu & olfactu florum conceperit. Alii ex Iove & Enyo natum tradiderunt. *Iupiter* apud Homerum dicit, *Martem* ex se & Iunone procreatum esse. Hunc Romani summo cultu venerati sunt, quod existimarent parentem ipsum fuisse Romuli: unde etiam in nummis quibusdam expressus videtur. *Mars* accedens ad *Rheam Sylviam* Romuli matrem concubiturus cum ea, quorum unum hic adjecimus. Effingebant eum ardentem, nunc in curru, nunc in equo armatum cum hasta & flagello, interdum gallum ei appingebant ob militum vigilantiam. De cognominibus & templis ejus hæc traduntur. Vide in fronte lib. 2. in nota H.

Dictus fuit GRADIVVS à *gradiendo*, vel progrediendo. *Festus* sic scribit: *Gradivus Mars* appellatus est à *gradiendo* in bella ultro citroque: sive à vibratione hastæ, quod Græci dicunt κραδαίνειν: vel, ut alii dicunt, quia gramine sit ortus, quod interpretatur, quia corona graminea in re militari maximæ est honorationis. Hujus templum elegans & magnum extra Vrbem, prope portam, in via Appia fuit, quod etiam templum *Martis extramuranei* à *P. Victore* appellatur. Hoc templum à *L. Corn. Sulla Felice* restitutum ampliatumque, ac supra c. columnas positum ferunt. Iuxta hoc templum extra portam Capenam erat manalis lapis, quem cum propter nimiam siccitatem in Vrbem deferrent, sequebatur statim pluvia, hinc eum, quod aquas manaret, *manalem lapidem* dixêre. *Festus.*

MARS QVIRINVS à Sabinis nuncupatus, à *Quiri* hasta, qua hic Deus uti existimabatur. Etiam hujus templum in 1. regione collocatur. Fuit prope portam *Capenam*, intra Vrbem.

Antiquissimum *Martis* templum in campo *Martio* fuit: unde etiam campus ille nomen habet, de quo alibi.

In circo Flaminio *ædes Martis* fuit, cujus meminit *Corn. Nepos*, citante *Prisciano*: In circo Flaminio, inquit, fuit ædes *Martis*, architectata ab *Hermodoro Salaminio*. In Capitolio etiam *ædes Martis* fuit, à *T. Tatio* vota & extructa, cujus simulacrum Iovi Capitolino cedere noluisse ab aliquibus proditur.

MARS VLTOR, ab *ulciscendo* dictus. Huic templum in foro suo maximum & sumptuosissimum cum opere, tum artificio Augustus extruxit, bello Philippico, quod patris sui ulciscendi causa susceperat. *Suetonius.* Magnificentiam ejus multis versibus celebrat *Ovidius* lib. 5. Fastor. In aditu templi ante Fores ab utroque latere *Martis* & *Veneris* statuæ erant, *Ovidio* lib. 2. Trist. teste. Ad idem templum Apellis tabulam posuit *Augustus*, in qua Alexander triumphans. Belli imaginem vinctis ad tergum manibus, quasi captivam ducit. Nunc in eo templo picta cohors Romana, cujus vexillifer pro signo labrum habet. Idem *Augustus* non multo post templum *Marti secundum Vltori*, sive (ut ipse dici voluit) *bis Vltori*, in Capitolio erexit, in quo suspensa signa sunt, à Parthis reddita. *Suetonius* in Augusto, *Dionys.* lib. 54. ubi scribit, factum id fuisse ad similitudinem *Iovis Feretrii*. Icones horum templorum in nummis conspiciuntur, sicuti in præcedenti figura demonstratur. Vide in fronte lib. 2. nota I.

Fuit in Vaticano *Martis ædes*, & *Mavortii* ædicula, regione IV. Sed de *Marte* hactenus: cui adjecimus etiam, quia huc pertinent, *Bellonam* & *Victoriam*.

BELLONA.

BELLONAM à bello, ante *Duellonam*, à duello dictam *Varro* scribit. Ea bellorum Dea fuit, quæ, ut *Statius* in Theb. canit, *Marti* in bella eunti, currum & equos pararet, quæque, ut *Hyginus* refert, acum invenit: unde etiam vult, eam ab acu, quæ Græce ἡ βελόνη dicitur, *Bellonæ* nomen accepisse. Quidam eam *Martis* uxorem, quidam sororem fuisse scribunt, quidam & sororem & uxorem faciunt. Ædem habuit in IX. Vrbis regione, extat versus portam Carmentalem, in circo Flaminio, intra quam dabatur Senatus legatis exterarum nationum, quos in Vrbem admittere nolebant: Item Ducibus è bello redeuntibus. Ante ædem columella erat, quæ *bellica* vocabatur, supra quam hastam jaciebant, cum bellum indicebatur, *Ovidio*, *P. Victore*, & *Festo* auctoribus. Condidisse ædem hanc dicitur *App. Claudius Cæcus*, bello Thusco confecto, *Ovidius* lib. 6. Fastor. Sacerdotes hujus Deæ dicuntur ab Acrone *Bellonarii*, qui seipsos cultris feriebant, & proprio sanguine numen placabant, furentesque vaticinabantur. *Tertul.* in Apol. *Lactant.* l. 1. Divin. instit. Alia, ait sacra *Virtutis*, quam eandem *Bellonam* vocant, in quibus ipsi Sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificabant: sectis namque humeris, & utraque manu districtos tenentes gladios cur-

runt, & efferuntur, & insaniunt. Meminit eorum *Tibullus*, *Iuvenalis*, *Lucanus*, *Horatius* & alii. Fingebatur hæc Dea furens flagello pugnam concire, *Lucano* in 7. ita canente:

Sanguineum quatiens veluti Bellona flagellum.

VICTORIA.

VICTORIAM à *vincendo* dictam, nemini obscurum est, quam *Phurnutus* Pallantis filiam, Lycaonis neptem fuisse, cum *Minerva* enutritam, & in numerum Deorum relatam ab ipsa, & *Victoriam* appellatam, docet. A Romanis religiose culta est. Simulacrum ejus fuit, ut in antiquis nummis & marmoribus cernere est, virgo alata, volans, coronam vel palmam proferens. Ædes Romæ habuit tres, ædiculas duas, lucum etiam & aream, ut de reliquis taceam.

Antiquissimum VICTORIÆ templum in Aventino fuit, conditum ab Arcadibus, ut *Halicarnassæus* meminit. Alterum in Palatino fuit, eo loco ubi antea *P. Valerii Poplicolæ* domus fuit: quod *L. Posthumius* Ædilis curulis ex mulctatitia pecunia extruendum curavit; in quo matronæ Romanæ simulacrum *Martis Deum* Pessinunte advectum, antequam propria ædes consecraretur, intulerunt. *Livius* lib. 9.

Ædiculam VICTORIÆ virginis *Mar. Porcius Cato* Consul anno 1DLV. bello Hispaniensi vovit, & biennio post dedicavit. *Livius* lib. 34.

VICTORIÆ simulacrum aureum CCCXX. pondo ab *Hierone* Siciliæ rege gratulationis causa Romam missum, & in Capitolini Iovis templum illatum est. *Livius* lib. 22.

NEMESIS.

Ad Deos militiæ præsides etiam *Nemesis* pertinet, quæ alio nomine *Rhamnusia* & *Adrastia* est appellata. *Nemesis* dicitur ἀπὸ τῆς ἑκάστῳ διανεμήσεως: id est, à *distributione*, quæ unicuique fit. Quænam hæc Dea fuerit, & quomodo à Romanis fuerit culta, tum alii, tum *Ammianus* & *Pomponius Lætus* docent. Ammiani verba sunt: *Nemesis* Dea est, ultrix facinorum impiorum, bonorumque præmiatrix: arbitra rerum, regina causarum, quam Theologi veteres fingentes *Iustitiæ* filiam, ex abdita quadam æternitate tradebant, omnia despectare terrena. *Pomponius* autem *Lætus*, Romani, inquit, profecturi, ad bellum, *Nemesi* sacrificabant, & munus gladiatorium edebant: quod non sine ratione factum arbitramur. Virgo & Victrix *Nemesis* numen fuit, quo qui ex malefactis delinquebant, puniebantur. Vnde Victores *Nemesin* non frustra invocabant. Romani enim semper justa movêre arma. Cæteræ nationes odio & malevolentia, livoreque, quod imperium tantæ Vrbis justitia augeretur, tela in populum Romanum capiebant. *Nemesis*, quam plerique existimavêre esse vim Fortunæ, alii filiam justitiæ, alii vim quandam inter cœlestes discurrentem, prima rerum semina, quæ fatorum & sortium vires temperat, atque emendat, rebus humanis trutinam adhibens, equè cœlo terrena despectans, nocentes punit, bonis præmia largitur: & cum sit velocissima, quia diu non permittit impios præesse, atque grassari, alata fingitur à veteribus: & ejus pedibus supponitur rota, cum citissime discurrat. Sed tandem multitudine scelerum indignata, oculos jamdiu à rebus humanis avertit & cum genitrice in remotiore parte cœli, ultra terrarum regiones non reditura, renascentem orbem exspectat. Hactenus ille. Effingitur etiam nonnunquam cum fræno & mensura cubiti, quo significatur, nihil sine mensura & fræno agi oportere. Culta hæc Dea Romæ fuit in Capitolio, teste *Plin.* lib. 11. & 28. ubi etiam templum habuit, si *P. Victori* credimus.

VENVS.

VENVS, generationis, voluptatisque, & formæ Dea à gentibus credita est: ideoque dicta *Venus*, quod ad omnes res veniat, vel quod per eam omnia proveniant. *Cicero. Varro* autem, Poëtæ, inquit, de cœlo semen igneum cecidisse dicunt in mare, ac natam è spumis *Venerem* conjunctione ignis & humoris, quam habere vim significantes. Veneris à qua vi nateis dicta vita, & illud à *Lucilio*:

Vis est vita vides, quæ nos facere omnia cogit.

Veneris antiquum fuisse nomen *Cincius* & *Varro* testes sunt, qui nec Græcum ejus, nec Latinum sub Regibus fuisse, apud *Macrobium* testantur. *Cicero* quatuor *Veneres* commemorat in 3. de Natura Deorum: *Venus*, inquit, prima Cœlo & Die nata, cujus in Elide delubrum vidimus. *Altera* spuma procreata, ex qua & Mercurio *Cupidinem* secundum natum accepimus. *Tertia* Iove nata & Dione, quæ nupsit Vulcano: sed ex ea & Marte natus *Anteros* dicitur. *Quarta* Syria, Syroque concepta, quæ *Astarte* vocatur, quam *Adonidi* nupsisse traditum est. Hactenus *Cicero*, causa cur *Venus* è spuma procreata esse fingitur, Plutarchus in Sympos. lib. 5. cap. 10. scribit putare se Venerem à Poëtis è mari ortam fingi, fabulamque de ipsa editam fuisse, tanquam è salo nata, ut sub hoc involucro salis vim genitalem proponerent. Simulacrum ejus varium fuit. Interdum effinxerunt eam puellam in concha è mari exeuntem: interdum mulierem manu concham tenentem, rosis floribusque coronatam, pone quam Charites, & utrinque *Cupido*, & *Anteros*. Curru etiam nonnumquam vehebatur, columbis tracto, quod fiebat propter columbæ puritatem

tem & castitatem: alii cygnis vehi currum istum tradunt. *Plutarchus* in Præceptis connubialibus, *Venerem* scribit testudinem pede calcantem, Eleis Phidiam effecisse, ut domesticæ custodiæ & silentii mulieribus symbolum esset. Idem in libro de Iside & Osiride, de hac *Venere* agens ita interpretatur, quod *virgines* custodia indigeant: *nuptas* vero deceat domus gubernatio & silentium. *Eusebius* libro tertio Præpar. Euangel. fabulam ejus ita exponit: *Venerem*, inquit, dicunt generandi vim possidere, seminis & cupiditatis causam, mulierisque ei formam accommodant, propter generationem: pulchram effingunt, quia *Phosphorus* est, quæ pulcherrima est in cœlo stella. Illi & *Cupido* assistit, propter cupiditatem. Vbera, & partes genitales obteguntur, quia seminis & nutritionis hæc membra causa sunt. Nata vero è mari perhibetur, quod elementum humidum calidumque est, & motu crebro spumas ejicit, quæ res est spermatis symbolum. Hanc deam, quemadmodum *Martem*, religiose coluerunt Romani, à qua originem ducere videri voluerunt, cum finxerunt ex ea & Anchise natum Æneam: qua de causa in nummis quibusdam expresserunt *Mercurium* deducentem *Venerem* ab Anchise in Ida monte decumbentem, ut cum eo congrediatur. Hinc plurimis cognominibus & templis eam honorârunt. Vide ejus Fig. in fronte libr. 2. nota K.

CLVACINA VENVS, dicta à *cluere*, quod antiqua lingua *pugnare* significat. *Plin.* lib. 15. Ei templum vovit & construxit *Titus Tatius* Rex, in ea fori parte, qua Romani & Sabini armis depositis pacem inierunt, & facto sacrificio sese purgaverunt. Alii confundunt hanc cum *Cloacinâ* quæ tamen diversa est, ut infra post docebimus. Quidam hanc *Venerem* armatam interpretantur. *Veneris Cluacinæ* templum, ædes, & ædicula recensentur ab *Onuphrio*.

MVRTIA VENVS, prius *Myrtia*, à *Myrto* Veneri dicata nomen habet. *Plin.* lib. 15. Quin & ara vetus fuit *Veneri Myrteæ*, quam nunc *Murtiam* vocant. Idem habet *Plutarchus* in Quæstionibus Romanis, quæst. 20. Hujus ædes fuit in regione XI. teste *P. Victore*.

LIBITINÆ VENERIS ærarium *Servius Tullius* instituit, in quod pro defunctis certi pretii nummi inferrentur. *Dionysius* lib. 4. In hujus templo vendebantur ea, quæ ad funera pertinebant. Cujus rei causas requirens *Plutarchus* dicit, aut esse hoc unum de Numæ Regis sapienter institutis, quo discerent homines, ab his rebus non abhorrere, neque pro piaculis eas ducere: aut voluisse veteres hac ipsa re monere caducum esse, quod esset natum, una eademque Dea & ortibus, & interitibus præsidente.

Alia ab hac est VENVS LIBENTINA, à *libendo* dicta, cujus meminit *Varro*, *Cicero*, & *Nonius Marcellus*, cui puellæ, quæ excesserant annos pueritiæ, pupas ætatis suæ insignia dicare solebant, uti ex *Persio* discimus. Locus ubi hujus templum fuerit, ignoratur.

ALMA etiam VENVS dicta est, id est, *sancta*, sive *pulchra*. Festus. Hujus ædicula fuit in regione XII.

CALVA VENVS ab eventu nomen habet. Sic enim *Lactantius* lib. 1. capite 20. Vrbe à Gallis occupata, obsessi in Capitolio Romani, cum ex mulierum capillis tormenta fecissent, ædem *Veneri Calvæ* consecrarunt. Meminit hujus historiæ & *Vegetius* libro 4. In obsidione Capitolii corruptis jugis, ac longa fatigatione tormentis cum nervorum copia defecisset, matronæ abscissos crines viris obtulere pugnantibus: reparatisque machinis, adversariorum impetum repulerunt. Maluerunt autem pudicissimæ fœminæ deformato ad tempus capite libere vivere cum maritis, quam hostibus integro.

ERYCINA VENVS cognominata est ab *Eryce* monte Siciliæ, in quo Æneas matri templum construxerat, de quo multi scribunt. Postea & Romæ Q. *Fabius Maximus* Dictator ædem ei vovit, cum ex fatalibus, vel Sibyllinis libris edictum esset, ut is voveret, cujus maximum imperium in urbe esset. *Livius* libro 22. Eam idem creatus Duumvir in Capitolio dedicavit. *Livius* lib. 23. Fuit & alia ædes *Veneris Erycinæ* ad portam Collinam, vota à *L. Porcio Lucinio* Consule, bello Ligustino, & ab eodem Duumviro dedicata eo anno, quo Aquileia Colonia Latina in agro Gallorum est deducta. *Livius* lib. 40. Meminit ejus *Ovid.* lib. 2. de remedio amoris:

Est prope Collinam templum venerabile portam,
Imposuit templo nomina celsus Eryx.

Hoc templum fuisse ex nominatissimis constat ex *Appiano* lib. 1. Bellorum civilium.

VERTICORDIÆ VENERIS ædes extra portam Collinam via Salaria fuit. Hæc ædes facta est, cum tres Vestales uno tempore incestum commisissent (quemadmodum *Iulius Obsequens* ait) ut puellarum animos lascivos ad castitatem verteret. De eodem *Valerius Maximus* lib. 8. cap. 15. *Ovidius* libro 4. Fastorum:

Roma pudicitia proavorum tempore lapsa
Cumaam veteres consuluistis anum.
Templa jubet Veneri fieri, quibus ordine factis,
Inde Venus verso nomine corda tenet.

VENERIS ROMANÆ, vel *Veneris* & Romæ consors delubrum fuit in via sacra, testante id contra Symmachum *Prudentio*:

Ad sacram resonare viam mugitibus, ante
Delubrum Romæ; colitur nam sanguine & ipsa

More Deæ, nomenque loci, ceu numen habetur,
Atque Vrbis, Venerisque pari se culmine tollunt
Templa, simul geminis adolentur thura Deabus.

Hoc templum inter singularia & admiratione digna loca numerat *Marcellinus*. De *Venere* custode hortorum Sallustianorum, nihil opus est dicere.

VICTRIX VENVS à *vincendo* dicta est, cui ædem dedicavit *Pompejus* altero consulatu, editis celeberrimis & sumptuosissimis ludis. *Plutarchus* in ejus vita. *Plinius* lib. 8. *Victricis Veneris* imago talis in nummis antiquis cernitur. Vt videre est in fronte lib. 2. nota L.

VENERIS GENITRICIS templum ante pugnam Pharsalicam vovit, & potitus victoria, in foro suo posuit *Cajus Iulius* Cæsar, quia ab *Iulo*, Æneæ filio, Veneris nepote, genus ducere videri volebat, eique spolia de hostibus dedicavit, ut thoracem de margaritis Britannicis. Et in eo statuam posuit nondum plene ab artifice absolutam, quia dedicari ædem festinabant. In hoc collocavit *Octavius Augustus* statuam æneam Cæsari Divo cum stella crinita supra caput ipsius fulgente, quia ejusmodi post mortem ejus stella visa est. Templi hujus meminit *Dio* lib. 43. *Appianus* lib. 2. de Bell. civil.

IOVIS etiam Vltoris templum prius *Veneris* & *Martis* dictum fuisse *Dio* scribit.

VENERIS CAPITOLINÆ in Caligula & Galba meminit *Suetonius*.

PLACIDÆ etiam VENERIS ædicula fuit in regione v.

VENERI adduntur CVPIDO, & ADONIS & GRATIÆ, de quibus paucis verbis aliquid monebo.

CVPIDO.

CVPIDINEM, inquit *Servius*, Latini vocant, eo quod faciat amorem: interdum etiam, more Græco, *Amorem* ipsum appellant. *Cicero* lib. 3. de Natura Deorum, tres *Cupidines* enumerat, quorum *primus*, inquit, Mercurio & Diana prima natus dicitur: *secundus*, Mercurio & Venere secunda: *tertius* quidem est *Anteros*, Marte & Venere tertia genitus. *Servius* Æneid. 1. scribit, Simonidem dicere, *Cupidinem* ex Venere tantum esse progenitum: alios tradere ex Venere & Marte: alios ex Venere & Vulcano: alios Chai, & primæ rerum naturæ filium eum facere. Hic effingebatur puer nudus, alatus, arcum & sagittas gestans: qua de re sic *Servius*: Quia turpitudinis est stulta cupiditas, puer pingitur: item, quia imperfectus est in amantibus sermo, sicut in puero. *Alatus* autem ideo, quia nihil amantibus levius, nihil mutabilius invenitur. *Sagittas* vero idcirco gestare dicitur, vel quia amorem & libidinem sequitur punctura pœnitentiæ & dolor, vel quia & ipsæ incertæ, velocesque sunt. Hactenus ille. De imagine *Cupidinis* eleganter luserunt *Propertius* libro primo Elegiarum, *Marullus*, *Angerianus*, *Andreas Alciatus* Emblemate centesimo decimo tertio, & alii, de quibus vide *Claudium Minoëm* Divionensem, Commentariis in Alciati Emblemata.

ADONIS.

ADONIS VENERIS minister esse fingitur, teste *Servio*, qui ait veteres singulis Diis inferiores potestates ministros addidisse, ut *Veneri* Adonin, *Dianæ* Virbium, &c. Hic *Adonis* Cynaræ Regis Cypriorum, ejus natæ Myrrhæ filius fuit. Nomen habet ὅτι ᾔδειν τοῖς ἀνθρώποις, id est, ab eo quod hominibus canat, secundum Phurnutum. *Hyginus* scribit in Astronomico Poëtico, Venerem cum Proserpina ad judicium Iovis venisse, cui earum *Adonin* concederet, eisque *Calliopen* à Iove datam judicem, quæ Musa Orphei mater fuit, Itaque *Calliopen* judicasse, uti dimidiam partem anni earum unaquæque possideret: *Venerem* autem indignatam, quod non sibi proprium concessisset, objecisse omnibus, quæ in Thracia essent mulieribus Orpheum, ut sibi quæque appeteret, membraque ejus discerperet. Hæc ille. Plura de *Adonide* non addam. Legantur *Ovidius* Metam. *Hyginus*, *Fulgentius*, & alii.

GRATIÆ.

VENERI GRATIAS etiam addunt, quas Græci *Charites* appellant. Has quidam *Iovis* & *Eurynomes*, vel *Eurymedusæ*, alii Iunonis, alii Liberi patris & Veneris filias esse tradiderunt, de quibus tantum ea, quæ apud *Servium* leguntur, adscribam. *Acidalia*, inquit, *Venus* dicitur, vel quia curas injicit, vel à fonte *Acidalio*, qui est in Orchomeno Bœotiæ civitate, in quo se Gratiæ lavant, quas Veneri constat esse sacratas. Ipsius enim & Liberi filiæ sunt, nec immerito: *Gratiæ* enim per horum fere numinum munera conciliantur. Ideo autem nudæ sunt quod *Gratiæ* sine fuco esse debent: ideo connexæ, quia indissolubiles Gratias esse decet. Quod vero una aversa pingitur, duæ nos respicientes, hæc ratio est: quia profecta à nobis *Gratia*, duplex solet reverti. Hactenus *Servius* Æneid. 1. Huc refer Emblema *Andreæ Alciati* 162. de Gratiis, & quæ ad id commentatus est *Claudius Minos* Divionensis. Tantum de Venere, & ejus comitibus.

A D

Ad Cap. X. Paralipomena.

De Venere & Marte, communibus sacris, adulterio.

Venus Marti concubuit, Sol Vulcano prodidit, ille catenas adamantinas excogitavit, quibus adulteros vinciret, illa in dolorum vindictam, ut videbatur, legitimam, quinque Solis filias amoribus succendit, Pasiphaën, Medeam, Phædram, Circen, & Dircen: nota res est omnibus: sed tamen supplendus insigniter ope MS. codicis, Furius Publius Fulgentius Episcopus l. 2. Mythol. *Hæc itaque quinque Solis filias, id est, quinque humanos sensus luci ac veritati deditos, quasi solis fœtus hac corruptela fuscat: ob hanc rem etiam hujuscemodi nomina quinque ipsis solis filiabus voluere. Primam Pasiphaën, ut visum, quasi* πασιφάω, *quod nos Latine omnibus apparentem dicimus: visus enim reliquos quatuor sensus inspicit, quia & eum qui clamat, videt, & palpando notat, & degustando aspicit, & odorando intendit. secundam Medeam, quasi auditum, hoc est,* μηδὲν ἰδεῖν, *quod nos Latine nullam visionem dicimus* . . . . . *quarta Phædra, quasi odoratus, velut si dicatur* φέρων ὀδὴν, *quasi afferens suavitatem. Quinta Dirse, saporis judex, quasi* δειγνύουσα, *quod nos Latine acre judicans dicimus.* Aliquid interisse, & abesse liquido patet, quod nulla tertiæ solis filiæ fiat mentio, quam prætermitti, aliis enumeratis explicatitque, non decuit. Itaque post illa verba, *visionem dicimus*, subjunge *tertiam Circem, id est, tactum, quasi diceret Græce* χεῖρον κρίνω, *quod nos Latine manuum judicium dicimus.* Addendum insuper quinque has filias exitiali morbo detentas interiisse, Lutatius Placid. ad v. 274. l. 3. Thebaidos Papinianæ. & de hoc adulterio Poëtæ, P. Ovid. l. 2. de Arte Amandi, & l. 4. Metamorphos. fab. 5. l. 1. Amor. eleg. 9.

Mars quoque deprensus fabrilia vincula sensit,
Notior in cœlo fabula nulla fuit.

Sidon. Apollinar. Carm. 11. v. 34.

Quæ pro Lemniacis damnavit furta catenis.

Et carm. 23. v. 287.

Sic Martem simulat, modo in catenas
Missum Lemniacas.

M. Martial. l. 5. epigr. 7. ad Volcanum:

Parce pater, sic Lemniacis lasciva catenis
Ignoscat conjux, & patienter amet.

Non ut antea legebatur, *& patienter amet.* Cl. Claudian. lib. 3. de Raptu:

—— *en audiet noti Cytheræa pudoris*
Ostentare suos post Lemnia vincula vultus?

Aurel. Prudent. in Romano martyre:

Deos catenæ colligant adulteros.

Stat. lib. 1. Sil. 2.

Lemnia deprenso repserunt vincula lecto.

Et lib. 3. Thebaid. Venus ad Martem:

Hoc mihi Lemniacæ de te meruere catenæ.

Et lib. 7. Thebaid.

—— *talem divina Mulciber arte*
Ediderat, nondum radiis monstratus adulter
Fœda catenato luerat connubia lecto.

Valer. Flacc. lib. 2. Argonaut.

—— *meritas postquam Dea conjugis iras*
Horruit, & taciæ Martem tenuere catenæ.

Denique & Auson. Idyllio 2. in Cupidine Cruci affixo:

—— *natique in crimina confert*
Dedecus ipsa suum, quod vincula cæca mariti
Deprenso Mavorte tulit.

Et allusit Iuvenalis Sat. 16.

Quam si nos Veneris commendet epistola Marti.

Sed ad Solis filias, quas antea ex Fulgentio nominavi, regredior, quas fœdis pudendisque amoribus correptas, aut miserabili exitu defunctas poëtæ passim narrant. & quidem de Medea & Circe, constat eas veneficiis fuisse infames, ut omnia magicorum rituum incantamenta iis assignarint. Furia illa apud Claudian. l. 1. in Ruffinum:

—— *Nec me latuere fluentes*
Arboribus succi, funestarumque potestas
Herbarum, quicquid lethali germine pollens
Caucasus, aut Scythiæ vernant in gramina rupes,
Quas legit Medea ferox, & Callida Circe.

M. Lucan. l. 6. Pharsaliæ v. 441.

—— *& terris hospita Colchis*
Legit in Æmoniis, quas non advexerat herbas.

P. Ovid. l. 1. eleg. 14.

Nec te cantata læserunt pellicis herbæ.

Et lib. 2. de Arte:

Non facient ut vivat amor Medeides herbæ,
Mixtaque cum magicis Colcha venena sonis.

Et l. 1. de Rem. Amor.

Quid te Phasiacæ juverunt gramina terræ,
Cum cuperes patria Colchi manere domo?

Stat. l. 9. Thebaid. v. 735.

Secretis quæ Colchidas ipsa sub antris
Nocte docet, monstratque feras quærentibus herbas.

Sil. Italic. l. 8. Punicor.

Æætæ prolem anguitiam mala gramina primam
Præmonstrasse ferunt.

Alb. Tibull. l. 1. eleg. 2.

Sola tenere malas Medea dicitur herbas,
Sola feras Hecate perdomuisse canes.

Sic enim recte, non ut in MS. Achillis Statii, *malas Medæ dicitur artes.* Sext. Propert. l. 4. eleg. 7.

Sed tibi nunc mandata damus, si forte moneris,
Si te non totum Chlorydos herba tenet.

Ita in editione Iosephi Scaligeri, & vulgatis omnibus. Editio Horatii Tuscanellæ Basiliensis:

Si te non totum Chlorydos herba tenet.

Recepta lectio posset defendi ex incerti scriptoris authoritate, quem Censorinum esse putant, certe ante L. Carrionis curas, continuato cum die natali titulo legebatur. Is ergo cap. 10. *Chloridem filiam facit Tiresiæ.* suspicor itaque ut hunc augurandi scientia & divinationibus clarum, ita istam magicarum scientiarum notitia præstantem: & forte illa eadem est *Chloris*, quæ aliis *Manto* appellatur, quamque L. Seneca in Oedipo patris in sacrificando comitem facit. puto tamen commodius posse legi:

Si te non totum Colchidos herba tenet.

Adducor exemplo C. Pedonis Albinovani in elegia de obitu Mæcenatis, quam qui Ovidio assignant, falluntur.

His te Mæcenas juvenescere posse dicebat,
Hæc utinam nobis Colchidos herba foret.

Fabulæ data occasio, ut ad Martem & Venerem revertar, sive *quod indomita quæque ab amore superentur*, sive *quod Martis planetæ cum Venere conjuncti benignissimus sit influxus*, ut Mathematici docent. Vnde communi templo utrique Deo data altaria. Claudian. Carmine de Magnete:

Mavors sanguinea qui cuspide verberat urbes,
Et Venus humanas quæ laxat in otia curas,
Aurati delubra tenent communia templi.

Superest tantum ut currum seu comitatum Martis describamus. Homerus Iliad. l. 14. δεῖμον, *Terrorem*, φόβον, *Pavorem*, ἔριδα, *contentionem*, ponit Martis comites, talis enim est belli natura. Paulo aliter Virgilius l. 8. Æneid.

—— *tristesque ex æthere diræ,*
Et scissa gaudens vadit Discordia palla,
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.

Idem lib. 12. Æneid.

—— *circumque atræ Formidinis ora,*
Iræque, insidiæque, Dei comitatus, aguntur.

At ambitiosius Papinius l. 3. Thebaid. v. 425.

—— *comunt Furor, Iraque cristas,*
Frena ministrat equis Pavor aliger, ac vigil omni
Fama sono, varios rerum succincta tumultus,
Antevolat currum.

Lutat. Placid. *Ac si dicat Famam esse Martis aurigam.* Valer. Flacc. l. 3. Argonaut.

—— *Terrorque Pavorque*

Martis equi, ſic contextis umbonibus hærent.
Denique Claudian. l. 1. in Ruffin.
Fer galeam Bellona mihi, nexuſque rotarum
Tende Pavor, frænet celeres Formido jugales.
Et l. 2. de Laudib. Stilichonis:
—— currum patris Bellona cruentum
Ditibus exuviis tendentem ad ſidera quercum,
Præcedit, lictorque Metus, cum fratre Pavore
Barbara ferratis innectunt colla catenis,
Formido ingentem vibrat ſuccincta ſecurim.
De *Bellona* hic dicendum fuerat, illa enim etiam *bellidea*, *Martis ſoror*, ſed commodius infra de ea ſermo inſtituetur l. 4. c. 10.

PARALIPOMENA.

De Victoria Dea ejuſque ſtatua.

Victoria non à *vincendo* dicta eſt, ſed *quod victi hoſtes vincirentur*. M. Varro l. 4. de ling. Latin. olimque quam nos *Victoriam* vocamus, *Viciam* dicebant. Iſidor. Hiſpalenſ. libr. 10. in dictione *pervicax*. L. Flor. hiſt. l. 3. cap. 1. *Ille quoque* (Iugurtha) *quamvis victus & vinctus vidit urbem, quam venalem & quandoque perituram; ſi habuiſſet emptorem fruſtra cecinerat*. Paul. Oroſ. hiſt. l. 7. cap. 37. *Sine prælio victum ac vinctum* (Radagaiſum Gothorum regem) *ſub jugo cateniſque deſpiciant*. C. Iul. Solin. cap. 44. Polyhiſt. *Veneni mali poculo animam expulit, & à Romanis ſe vinculis morte defendit*. Notiſſimus in Triumphis ritus, duces hoſtium *in vinculis* urbe circumlatos, Ioſephus belli Iudaici l. 7. cap. 24. Dicam in tractatu de Triumphis. Alb. Tibull. l. 1. eleg. 7.
—— novos pubes Romana triumphos
Vidit, & evinctos brachia capta duces.
Stat. lib. 3. ſyl. 2.
Actias Auſonias fugit Cleopatra catenas.
Et recte poſt *Martem* & *Bellonam* de *Victoria* agimus. Nam *Mars Bellona, Victoria*, dii communes, ἄζωνοι. *Nulli certæ ſphæræ alligati*. Servius Maurus ad v. 118. l. 12. Æneid.
In medioque focos, & diis communibus aras
Gramineas.
Depingebatur *virginis alatæ habitu, vultu liberali & blando, capite lauro coronato, manu dextera protenſa ramulum lauri oſtentante, humeris alatis*, ut ex antiquis numiſmatis apud Goltzium, & alios patet. unde apud Claudianum de 3. Honorii conſulatu, & Horatium lib. 1. Epiſt. 18. *Velox* appellatur, propter alas, cum quibus pingi ſolebat. Ennodius Felix Ticinenſis Epiſcopus epigr. 18.
Ecce tenet victrix pennatum dextera numen,
Venit, & ad reditum non habet arma via.
Quod de Victoria dici, explicat epigraphe epigrammati ab ipſo authore præfixa, *in miſſorio, quod habet loricatum juvenem ſuper equum, tenentem victoriam in manu*. Trimatius vetus poëta, ut citat A. Gellius lib. 6. cap. 6. reprehendebatur ab Hygino, quod l. 2. Iliados ceciniſſet:
Dum dat vincenti præpes Victoria palmam.
Cum tamen celeritatem eventuum in bellis gerendis, levitatemque & inconſtantiam ſortis, modo in hanc, modo in illam partem propendentis, nihil melius explicet, quam τὸ *præpes* ut ex augurali clarum eſt diſciplina, ut ex eo uſurpavit D. Auſonius Eidillio 8.
Hoc mihi præpetibus Victoria nuntiet alis.
Dubia ergo armorum ſors, incertaque belli alea per alas Victoriæ ſignificabantur. Ovid. l. 8. Metamorph. Fab. 1. *diuque*
Inter utrumque volat dubiis Victoria pennis.
Pet. Apollon. Collat. l. 3. de Excid. Hieroſol.
Romanæ plauſit volitans victoria claſſi.
Porphyrius pennatos deos enumerat apud Adrianum Turnebum, μούσας, σειρῆνας, νίκην, ἶριν, ἔρωτα, καὶ ἑρμῆν, *Muſas, Seirenas, Victoriam, Iridem, Amorem*, & *Mercurium*. lib. 27. Adverſar. cap. 5. Latinus Drepanius Pacatus in Panegyrico; *Recte profecto germana illa pictorum poëtarumque commenta, Victoriam finxere pennatam, quod hominum cum fortuna euntium, non curſus eſt, ſed volatus*. Aurel. Prudent. libr. 2. contra Symm.
Marmoreo in templo rutilas Victoria pennas
Explicet, & multis ſurgat formata talentis.
Auſon. Epigr. 1. aut verius in præfatione ad epigrammata:
Tu quoque ab aërio præpes Victoria lapſu.
Statuebatur illa in *templis*, in *domibus privatis*, in *Circo*, in *Senatu*, ſeu *curia*, ubi habebatur Senatus: denique & in *caſtris*, in templis quidem, ſimulachris quibuſdam ſuppoſitis, eorumque exporrectis manibus ſuſtentabatur. M. Tull. lib. 3. de Nat. deor. *Idem victoriolas aureas, & pateras, coronaſque, quæ ſimulachrorum porrectis manibus ſuſtinebatur, ſine dubitatione tollebat*. In privatis civium porticibus aut Xyſtis etiam collocabatur. L. Apul. l. 2. Mileſiar. de magnificis Byrrhenæ ædibus: *Atria longe pulcherrima, columnis quadrifariam per ſingulos angulos ſtantibus, attollebant ſtatuas Palmaris deæ facies quaque pinnis explicitis ſine greſſu pilæ volubilis inſtabile veſtigium plantis roſcidis decitantes, nec ut maneant inhærent, & jam volare creduntur*. In Circo etiam Victoriæ ſimulachrum pompæ præferebatur. P. Ovid. l. 3. Amor. eleg. 2.
Prima loco fertur ſparſis Victoria pennis,
Huc ades, atque meus fac, dea, vincat amor.
In Senatu ſemper ara Victoriæ poſita erat, ut transferretur ea ara in quamcumque ædem pro ratione loci in quo habitus ſenatus. Ælius Lamprid. in Severo; *Pater eadem nocte in ſomnis vidit, alis ſe Romanæ Victoriæ, quæ eſt in ſenatu, ad cælum vehi*. Hæc eſt illa, quam ne tolleret Imperator, Q. Symmachus urbis præfectus gravi & diſerta oratione contendit, nec tamen obtinuit. Sigebertus Gemblacenſis in Chron. Ann. Dom. 407. *Radaiſus Scytha cum ducentis millibus Gothorum ex Scythia veniens, Italiam invadit, ex hoc murmur multorum blaſphemantium infremit in Chriſtum, Chriſtianitatis tempora culpantes, fælicitatem gentium attollunt, inter quos præcipue Symmachus orator furebat, qui etiam ſcriptis & epiſtolis ſuis agebat de Idololatria, & repetenda ara Victoriæ: quorum latrantium ora injecto eis veritatis oſſe obſtruxerunt, Auguſtinus libro de Civitate Dei, & Oroſius hiſtoria ſua*. D. Proſper Aquitanicus de Promiſſionibus Dei parte 3. *Symmachus ille mirabili eloquio & ſcientia præditus, tamen paganus, præconio laudum in conſiſtorio recitato, ſubtili arte qua valuit, aram Victoriæ in ſenatum reſtitui, Chriſtiano, ut noverat principi, intimavit*. Magnus Fælix Ennodius Ticinenſis:
Dicendi palmam Victoria tollit amico,
Tranſit ad Ambroſium, plus valet ira deæ.
Ipſe Symmachus in relatione ſua: *Quis ita familiaris eſt barbaris, ut aram Victoriæ non requirat?* Pompejus vetus Epigrammatographus Anthol. l. 4. cap. 20. epigr. 2.
Ῥώμη παμβασίλεια τεὸν κλέος οὔποτ' ὀλεῖται,
Νίκη γὰρ σὲ φυγεῖν ἄπτερος οὐ δύναται.
Roma omnium dominatrix, tua gloria nunquam interibit, Victoria enim ſine alis te fugere non poteſt. Erat eadem & in caſtris obſervata. Claudian. de 6. Hon. conſul.
Adſuit ipſa ſuis talis Victoria templis
Romanæ tutela togæ quæ divite penna
Patricii reverenda fovet ſacraria cœtus,
Caſtrorumque eadem comes indefeſſa tuorum.
Et l. 3. de laudib. Stilich.
—— quam certa fuere
Gaudia, cum totis exurgens ardua pennis
Ipſa duci ſacras victoria panderet ædes,
Et palma viridi gaudens, & amicta trophæis,
Cuſtos imperii virgo.
P. Ovid. lib. 2. Triſt.
Sic aſſueta tuis ſemper Victoria caſtris,
Nunc quoque ſe præſtet, notaque ſigna petat,
Auſoniumque ducem ſolitis circumvolet alis,
Ponat & in nitida laurea ſerta coma.
Color illi aut ſimulachro videtur fuiſſe purpureus, nam Q. Symmachus proxime ſupra, *rutilas pennas* dixit, aut candidas, quod ut ille majeſtatem, ita & hic pacem, lætitiam denotat. Sil. Italic. lib. 15.

—— niveis Victoria concolor alis.
Neque Romana tantum hæc dea, ſed & Græca. Nonnus Panopolitanus Dionyſiac. l. 5. v. 115. de Victoria in nuptiis ſaltante Cadmi:
Αἰδομένη πτερὰ πάλλε παρὰ πτερύγεσσιν ἐρώτων.
Verecunda pennas vibravit circa alas Amorum.
Pindar. Pythior. od. 9.
Πολλὰ δὲ πρόσθεν πτερὰ δέξατο νικᾶς.
Multas antea alas accepit Victoriæ.
Byzantini principes eam in atriis etiam ſuis habebant. Corippus de palatio Iuſtini Minoris libr. 3. num. 6.
Quatuor in ſeſe nexus curvaverat arcus,
Per dextram lævamque tenens Victoria partem,
Altius erectis pendebat in aëre pennis.
Depingebatur tamen olim globo inſidens ſine alis, quas primus addidit pater Bubali & Athenidis. Scio eſſe inter antiquos ſcriptores, qui ad Pergamenum Caryſtium hoc referant, alioſque qui ad Aglaophontem pictorem, ut differit Ariſtophanis Scholiaſtes in Avibus ad hæc:
Αὐτίκα νίκη πέταται πτερύγοιν χρυσαῖν.
Statim Victoria volavit aureis alis.
Iam vero alas iſtas Apuleius ſupra laudatus, *explicitas pinnas*, vocavit; Ovidius, *ſparſas pennas*, ut credibile ſit habitu volaturæ depictam. Antipater Sidonius poëta Anthologia l. 1. c. 54. Epigr. 2.
Cultam illam non iis, quæ dixi, locis, ſed etiam fana habuiſſe probat narratio Dionis l. 51. pag. 459. Q. Tertullian. Apologet. contra gent. *ſed & Victorias adoratis*. Eam pinxit Iphis. C. Plin. l. 35. cap. 11. C. Iul. Cæſar bellor. civil. l. 3. cap. 20. *Trallibus in templo Victoriæ, ubi Cæſari ſtatuam conſecraverant, palma per eos dies in tecto inter coagmenta lapidum ex pavimento extitiſſe oſtendebatur*. Eadem narrat Valerius Maximus l. 1. cap. 6. tit. 12. Adde & templorum faſtigia Victoriæ ſuffixo ſimulachro ſolere inſigniri, Iul. Obſequens prodig. c. 73. Denique nudo pede, veſte laxa ſuſpendebatur. Aurel. Prudent. l. 2. in Symmach.
Vincendi quæris dominam? ſua dextera cuique eſt,
Et Deus omnipotens, non pexo crine virago,
Nec nudo ſuſpenſa pede, ſtrophioque revincta,
Nec tumidas fluitante ſinu veſtita papillas.

PARALIPOMENA.

De Gratiis, earum numero & Pictura.

Placid. Lactant. l. 2. Thebaid. v. 284. *Nomina Gratiarum ſunt tria, Paſithea, Aglaia, Euphroſyne Iovis & Hermiones filiæ, Veneris famulæ*. L. Seneca l. 1. de Benef. cap. 3. *Nunc dicam quare tres Gratiæ, & quare ſorores ſint, & quare manibus implexis, quare ridentes, juvenes & virgines, ſolutæque ac pellucida veſte? alii quidem videri volunt unam eſſe quæ det beneficium, alteram quæ accipiat, tertiam, quæ reddat, alii tria beneficiorum, promerentium, reddentium, ſimul & accipientium reddentiumque*. Plut. lib. philoſopho cum principibus viris eſſe diſputandum; ἀλλὰ σοφὸς ἦν ὁ ταῖς χάρισι τὰ ὀνόματα θέμενος, Ἀγλαΐην καὶ Εὐφροσύνην, καὶ Θάλειαν, τὸ γὰρ ἀγαλλόμενον καὶ τὸ χαῖρον ἐν τῷ διδόντι. *Et ſapuit, qui Gratiis nomina impoſuit, Aglaiæ, Euphroſynes & Thaliæ, major enim & purior eſt lætitia in eo qui dat*. Theocrit. Eidyll. 16. Meleager Anthol. l. 1. cap. 27. Epigr. 1.
Τρισσαὶ μὲν χάριτες, τρεῖς δὲ γλυκυπάρθενοι ὧραι.
Tres quidem Charites, tres virginitatis ſtudioſæ horæ.
Paul. Silentiar. in eodem Anthol. l. 7. Epig. 46.
Μορφὴν τριχθαδίην χαρίτων τριὰς ἀμφιπολεύει.
Formam triplicem Gratiarum trias comitatur.

Martian. Capella l. 1. de Nuptiis Merc. & Philol. in limine:
Comere verniferis florentia limina ſertis
Seu conſanguineo Gratia trina dedit.
Idem l. 9. in principio:
Ipſa etiam fulcris redimicula nectere ſueta
Flora decens trina anxia cum Charite.
De numero earum nemo dubitat, quin tres fuerint. D. Auſonius Epigr. 114.
Tres fuerant Charites.
De nominibus tamen aliqua eſt contentio. Nam Homer. l. 14. Iliad. v. 269. *Paſithean* in Gratiarum numero reponit, ut & Papinius l. 2. Thebaid.
Non hoc Paſithea blandarum prima ſororum.
At Orpheus pro communi ſtat ſententia in Hymno Gratiarum:
Ἀγλαΐη τε Θάλεια, καὶ Εὐφροσύνη πολύολβε,
Χαρμοσύνης γενέτειραι, ἐράσμιαι.
Aglaiaque Thaliaque, & Euphroſyne dives, gaudii genitrices, amabiles. In Comitatu Veneris, ut dixi, eas ponunt. Furius Publius Fulgent. l. 2. Mytholog. *Huic etiam tres Charites adjiciunt* (Veneri) *duas ad nos converſas, unam à nobis averſam, quod omnis gratia ſimplex eat, duplex redeat, ideo ſunt charites, quia omnis gratia neſcit ſubtilem ſed ornatum*. Martian. Capell. lib. 2. *Præterea tres puellæ vultuque decoreque parili, ac venuſtate luculentæ, ſertis religatæ invicem manus, roſarumque ſpeculis redimitæ, ad virginem convenere, quarum una deoſculata Philologiæ frontem, illic ubi pubem ciliorum diſcriminat glabellæ medietas, alia ejus os, tertia pectus apprehendit, videlicet prima, ut lætos oculis afflaret honores, ſecunda gratiam ejus linguæ inſpirabat, animo tertia comitatem: quippe illæ Charites dicebantur, & quicquid apprehenderant, venuſtabant, quæ quidem virginem poſtquam lumine replevere, Muſis admixtæ*. Ob id ergo Veneris comites Gratiæ, quod animos inſpirarent, corporiſque pulchritudini prodeſſent augendæ, Ariſtænet. ep. 10. l. 1. καὶ τοῖς ὄμμασι χάριτες οὐ τρεῖς, καθ' Ἡσίοδον, ἀλλὰ δεκάδων περιχορεύουσι δεκάς. *Tum oculos ejus non trinæ, ſecundum Heſiodum, ſed decies denæ pererrant gratiæ*. Et ejuſdem libri epiſt. 11. εὐμενεστέροις ὄμμασιν ἐκείνην αἱ χάριτες εἶδον. *Propitiis illam oculis viderunt Gratiæ*. Sidon. Apollinar. Carm. 11. v. 113.
Hic triplex uno comitatur Gratia nexu.
Claudian. in Epithalamio *Palladii* & *Celerinæ*, non ut vulgo *Serenæ*. nam Celerina Palladii Coſ. fuit uxor. Et ſic legitur in MS. meo, & ipſe Claudianus gentilitium nomen inſinuat:
Immenſamque trahit Celerini robore lucem.
Is in eo poëmate:
Idaliæ juxta famulæ, triplexque viciſſim
Nexa ſub ingenti requieſcit Gratia quercu.
Alias pete rationes ex Plutarcho lib. de *præceptis connubialibus* in limine. Et Scholiaſten conſule Ariſtophanis in *Nubes*, Tzetzen in Pindarum, & ipſum poëtam Olympicor. od. 2. od. 14. Pythior. od. 5. od. 11. Helenium Acronem ad Horat. l. 1. od. 4.
Iunctæque nymphis Gratiæ decentes.
Et od. 30. ad Venerem:
Fervidus tecum puer, & ſolutis
Gratiæ zonis.
Et lib. 3. od. 21.
Te Liber, & ſi læta aderit Venus,
Segneſque nodum ſolvere Gratiæ,
Te vivæ producent lucernæ.
Denique lib. 4. od. 7.
Gratia cum Nymphis, geminiſque ſororibus audet
Ducere nuda choros.
Gratiæ ergo & Nympharum, & Muſarum, & Veneris, & omnis venuſtatis erant comites. Adde & una cum Suada & Mercurio, ut ex Plutarcho alii notarunt, collocari ſolitas, ſed ad alia properandum.

CAP. XI.

De Libero patre, sive Baccho, & Cerere.

Sicut *Ioves*, *Martes*: *Apollines*, *Mercurii*, *&c.* etiam *Bacchi* plures fuerunt. *Philostratus* & *Diodorus* Siculus tres diverso tempore fuisse affirmant. *Cicero* quinque numerat, cujus hæc sunt verba: *Dionysios*, inquit, multos habemus: primum à Iove & Proserpina natum: *secundum* Nilo, qui Nysam dicitur interemisse: *tertium* Caprio patre, eumque regem Asiæ præfuisse dicunt, cui Sabazea sunt instituta: *quartum* Iove & Luna, cui sacra Orphica putantur confici: *quintum* Niso natum & Thione: à quo *Trieterides* constitutæ putantur. Hæc ille. Communis tamen Poëtarum opinio est, *Bacchum* Iovis & Semeles filium fuisse, cum quibus faciunt & *Diodorus Siculus*, & *Eusebius*. Diodori verba lib. 5. rerum antiquarum, cap. 2. hæc sunt: Cadmum Agenoris tradunt ex Phœnicia ad pervestigandum Europam à Rege ea lege missum, ut aut virginem secum reduceret, aut in Phœniciam non rediret. Cum diutius quæsitam ab se virginem non inveniret, postposita patria in Bœotiam pervenisse. Vbi cum responso oraculi Thebas condidisset, *Hermionem* postmodum Veneris filiam in uxorem sumpsisse: ex qua *Semelem*, *Ino*, *Autonoem*, *Agavem*, ac *Polydorem* genuerit. *Semelem* Iupiter ob pulchritudinem in forma hominis cognovit. Quod illa existimans ab Iove in sui contemptum agi, rogavit, ut secum, prout cum Iunone assueverat, coiret. *Iupiter* Dei majestate assumpta cum tonitribus ac fulgure ad eam descendit. At illa prægnans, cum neque fulguris, neque tonitru vim ferre posset, filium aborsu igne expiravit. Infantem *Iupiter* Mercurio dedit, ad antrum Nysæ, quod inter Phœniciam Nilumque est, deferendum, à Nymphisque omni studio curaque educandum. Vnde ab Iove Nysæque *Dionysium* dixerunt: quod etiam *Homerus* in Hymnis testatur, inquiens: Est Nysa supra montem floridum sylva procul à Phœnicia ferme Ægypto fluente. Nutritum à Nymphis ajunt, vini, vineæque extitisse auctorem. Orbem quoque ferme obambulantem, multas regiones reddidisse domesticas: ac propterea maximis apud omnes honoribus celebratum. Docuisse eos insuper, quorum regio vites ferre non posset, potum ex hordeo conficere, quem nonnulli *Zithum* dicunt, paulum à vini sapore differentem. Exercitum quoque secum non tantum virorum, sed etiam mulierum circumducens, nefarios homines, atque iniquos merita mulctavit pœna. Hæc & plura alia de Baccho *Diodorus*.

Dicitur BACCHVS, DIONYSIVS, & LIBER PATER: nam de aliis appellationibus non agam. Vnde DIONYSIVS dicatur hic Deus, ex verbis *Diodori* intelligimus: nimirum à Iove Patre, ἀπὸ Διός, & Nymphis Nysæis, à quibus fuit educatus.

BACCHVS appellatur ἀπὸ τοῦ βαχεῖν: hoc est, ab incomposite vociferando: quidam à coronæ genere, quæ *Baccha* dicebatur, derivant. *Eustathius* dici voluit ἀπὸ τοῦ βαχεῖν, quod significat *ululare*, & incondite clamare, ut *Bacchæ* facere solebant.

LIBER PATER vocatus est, vel à linguæ licentia, ut plerique putant. Nam vini potu magis liberi mortales fiunt; vel potius quod animum curis liberet, & pellat tristitiam. Vnde *Ovid.*

Cura fugit, multo diluiturque mero:
Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit,
Tunc dolor & curæ, rugaque frontis abit.

Seneca, *Liber*, inquit, non ob licentiam linguæ dictus est inventor vini: sed quia liberum servitio curarum animum asserit, vegetumque, & audaciorem in omnes conatus facit. Sunt qui dicant, quod in liberis civitatibus coleretur, eum *Liberum* esse appellatum.

Simulacrum ejus varium fuit: effingebatur nudus, ut vini naturam ostenderet, quæ secreta revelat: item puer imberbis & lætus, cum corniculis in fronte: nonnunquam senex & calvus. *Macrob.* lib. 1. Saturnal. *Liberi*, inquit, *Patris* simulacra partim puerili ætate, partim juvenili fingebantur: præterea barbata specie, senili quoque. Coronabatur pampineis, hedera, & ficulneis frondibus. *Pampino* quidem, & ficu, ex memoria Nympharum Staphilæ & Sycæ; *hedera* vero ex memoria Cissi pueri, qui fuerat in hanc plantam conversus. Effictus est aliquando in curru pampineo, & triumphans, qui panthe-ris modo, modo tigribus, ac lyncibus trahebatur. *Silenus* pando asello propter astans Bacchis & Satyris thyrsos & ferulas vibrantibus, cæteroque Bacchantium comitatu, tum præeunte, tum subsequente. De *Bacchi* simulacro elegans extat Dialogismus *Andreæ Alciati* in Emblematis, quem vide, & qui in eum commentatus est, Claudium Minoëm Divionensem.

BACCHI templum collocatur à *P. Victore* regione 11. de quo ita *Georgius Fabricius*: *Bacchi* templum nunc S. Constantiæ, extra portam Viminalem, in via Numentana, circulari & vermiculato opere usque & aries villosus.

Liberi patris ædicula fuit in regione VI. De *Liberi Liberæque* æde postea dicam.

CERES, quæ Saturni & Opis filia, à Poëtis, non à Romanis solum, sed & à Græcis culta est. Credita fuit Dea frugum, à *creando* dicta, vel quasi *geres*, à gerendis frugibus, teste *Cicerone* lib. 3. de Nat. Deorum. Epitheton ei tribuitur, *Alma*, quia nos alat. Græci δημήτερα, quasi γημήτερα appellant, id

id est, *Terræ matrem*, quod cunctarum frugum creatrix sit, & altrix: item *Thesmophoron*, id est, legum latricem. De ea in hunc modum *Diodorus*: Ceres, inquit, frumenti, quod forte inter alias herbas nascebatur ignotum cæteris, prima usum invenit, docuitque homines nascendi, servandique & serendi modum. Est autem ab ipsa frumentum ante genitam Proserpinam repertum. Nam post ejus à Plutone raptum, frumenta omnia tum in Iovis odium, tum propter dolorem filiæ incendisse ferunt. Sed ea inventa reconciliatam esse Iovi, & Triptolemo frumenti dedisse semen, mandasseque, ut cum omnibus id donum participans, modum seminandi monstraret. Traditur à nonnullis illam leges quoque dedisse, quibus homines juste vivere assuescerent: unde & *Legifera* dicta est. Et quoniam maximorum bonorum causa humano generi extitisset, ab omnibus, non solum Græcis, sed Barbaris quoque, ad quos frumenti pervenit usus, honoribus, sacrisque solemnibus, ac celebritate præcipua colitur. Hactenus *Diodorus*. Cereris igitur filia *Proserpina* fuit, quæ à *proserpendo* dicta, nihil aliud est, nisi ipsa terræ fœcunditas, quæ cum aliquando defuisset, posteaque reperta esset, fabulæ de raptu *Proserpinæ* occasionem dedit, uti *August.* ex Var. docet. De raptu Proserpinæ extant lib. tres elegantissimi *Poëtæ Claudiani*.

CERES.

CERES etiam LIBERA dicta fuit, quanquam nonnulli *Venerem* hoc nomine appellatam velint. *Ludovicus Carrio* IC. Commentar. 1. Antiquarum lectionum, cap. 3. scribit videri sibi, eandem Deam in sacris *Pandam* nuncupatam fuisse: idque ex *Nonio Marcello* probare conatur: apud quem sic legendum existimat: *Pandere*, inquit *Nonius*, *Varro* existimat ea causa dici, quod qui ope indigerent, & ad asylum Cereris confugissent, panis daretur. *Pandere* ergo, quasi *panem dare*: & quod nunquam fanum talibus claude retur. De vita populi Romani, lib. 1. Hanc Deam *Ælius* putat esse *Cererem*: sed quod in asylum, qui confugissent, panis daretur, esse nomen fictum à pane dando, *pandere* quod est *aperire*. Hactenus *Nonius*: apud quem *Varronis* locum manifeste de *Panda* accipiendum esse *Carrio* arbitratur. Idem tamen addit alias etiam rationes hujus appellationis afferri posse. *Arnobius* enim libr. 4. adversus Gentes auctorem esse quod *Tito Tatio* Capitolinum ut caperet collem, viam pandere atque aperire permissum fuerit, *Deam Pandam* esse appellatam, vel *Panticam*. Alios item esse, qui *Deam pacis* esse, *Pandam* velint, eo quod pacis tempore urbium portæ aperiantur: ex quo Glossarium Latinum, *Panda* εἰρήνης θεός. Hæc *Ludovicus Carrio*. Idem nomen *Pandæ Deæ* restituit in versibus Varronis, Satyra Menippæa, qui apud *Agellium* lib. 13. cap. 21. sed corrupti extant: sic enim legendos eos esse censet:

Sed Anna, Perenna, Pandate Lato, Pales,
Nerienes & Minerva, Fortuna, ac Ceres.

In quibus versibus etiam Iosephus Scaliger vocem *Panda* retinet: quamvis reliqua paulo aliter legat. Effingebatur hæc habitu matronali, ornata spicea corona, nonnunquam mœsta cum lampade seu face describitur, interdum manipulum spicarum & papaverum gerens, quemadmodum cernitur in nummis antiquis.

Hæc coli cœpta fuit in Vrbe Palantio, quam Arcades in monte Palantio condiderunt, & in ea *Cereris* templum, teste *Dionysio* lib. 1. addiderunt ei etiam Græcam sacerdotem. Postea vero anno Vrbis conditæ CCLVII. Coss. *A. Posthumio*, *T. Virginio*, ut idem refert lib. 9. ab *A. Posthumio* Dictatore post victoriam à Volscis hostibus reportatam, de spoliis ædes Cereris locata est. Cum enim, ut *Dionysius* scribit, initio belli laboraretur victus inopia, & magnus metus esset, ne in totum deficeret, terra fructus negante, & bello, ne commeatus subveherentur, vetante, libri Sibyllini jussu Dictatoris inspecti sunt à suis custodibus, & monentibus oraculis, placanda esse hæc numina, votum fecit *Posthumius*, priusquam exercitum educeret, si imperii sui tempore fœlix proventus fieret, qualis antea, templa se illis constructurum, & instituturum in singulos annos sacrificia. Exaudierunt Dii, dederuntque magnum proventum frugum, tum arborearum, tum terrestrium, & Posthumius voti damnatus templum eis promissum reddidit. Hanc ædem triennio post altero Consulum Sp. Cassius in Vrbe relictus dedicavit. Sita est in fine Circi maximi super ipsos carceres. Fuerunt & aliæ *Cereris* ædes, quarum meminit *P. Victor*.

AD CAP. XI. PARALIPOMENA.

De Baccho seu Libero patre, cognominibus, statua, & sacris.

Liberi cognomentum *Baccho* impositum, *quod vindex & assertor libertatis à civitatibus, erecta in foro statua coleretur, is enim liberas fecit Bœotiæ civitates, & primus triumphavit.* Vet. *Scholiast. Iuvenal. ad* Sat. 14. v. 193. Et cum cordatos libertas faciat, *Bacchum cordis præsidem faciebant.* Suidas in voce Κωνοφόρος. Vnde cognomen ei *Eleutherii* impositum, Diodor. Sic. libr. 4. cap. 2. Biblioth. Vide quæ de Marsya, in Reg. 8. superius dixi. Colebatur una cum Proserpina communi ara, in Hypercritico suo Iul. Cæsar Scaliger annotavit. Et dii Inferi ponuntur, Pluto, Proserpina, Ceres, Core, Iacchus, Serapis, Isis, Anubis, Harpocrates, Hecate subterranea, Erynnies, & dæmones qui juxta hos sunt, Artemidor. libr 2. cap. 35. Oneirocrit. Et quoddam genus sacrorum utique erat commune, quod σαβάζια dici placuit. Oppian. Cilix lib. 1. Cynegetico:

Οὐ ἐθέλω τρείτη σὺ τὰ νῦν ὀρίβακχον ἀείδειν,
Οὐ χρεὼν ἀονίς παρὰ βένθεσιν ἀσωτοῖο
Λείβομαι, ὡς κέλεαι, τὰ σαβάζια νυκτεραὶ δύθλα.

Nolo trietericum te nunc montanum Bacchum canere, nolo choreas Bœotici ad fluenta Aſopi, miſſa faciam, ut jubes Sabaſia nocturna ſacra. Sic ergo optime legitur, non ut Ioannes Bodinus τὰ σεβάζειν, *venerari*, ſic etiam puto communia iſta ſacra in veteri marmore denotari, ubi Hecate Deo Brontonti conjungitur, quem ego Bacchum puto, ob turbas, quas fulminum inſtar ebrietas commovet, Blond. Flavius Romæ triumphantis lib. 1. *Bacchus & Liber pater & Brontinus quandoque dictus eſt.* pag. 13. Verba inſcriptionis ſunt:

IOVI. SANCTO. BRONTONTI. ECATÆ Q.
AVR. POPLIVS.

Et alterius expreſſiora:

DEO. SOLI. INVICTO. MITHRÆ. FL. SEPTIMIVS. ZOZIMVS. V. P.
SACERDOS. DEI. BRONTONTIS. ET. ÆCATE. HOC. SPELEVM. CONSTITVIT.

Claudian. lib. 1. de Raptu totum apparatum myſteriorum, id eſt, ſacrificiorum Bacchi, ut exponit Placid. Lactant. ad v. 11. lib. 1. Thebaid. eumque Hecatæ conjungit:

Ecce procul ternis Hecate variata figuris
Exoritur, lætuſque ſimul procedit Iacchus,
Crinali florens hedera, quem Parthica velat
Tigris, & auratos in nodum colligit ungues,
Ebria Mæoniis fulcit veſtigia thyrſis.

Vltimus verſus varie legitur; antiqua lectio, *fulſit*, peſſime; Iani Parrhaſii codex, *figit*. MS. Delrii & Stephan. Clamerii, *firmat*. Virgil. l. 3. Æneid.

Trunca manum pinus regit, & veſtigia firmat.

Stat. lib. 2. Thebaid. v. 12.

It tamen, & medica firmat veſtigia virga.

M. Lucan. lib. 4. v. 42.

Dum labat, & fixo firmat veſtigia pilo.

Sidon. Apollinar. Carm. 5. v. 520.

Lubrica præmiſſo firmas veſtigia conto.

Et Carm. 11. v. 46.

Labuntur firmantque pedum veſtigia pinnis.

Illi *firmare veſtigia*, & alii non minus eleganter *figere veſtigia*, uſurparunt, & parum intereſt, niſi quod magis genuina videatur ipſi Claudiano loquendi formula, in conſulatu Manlii Theodori ad finem:

Pendula librato figat veſtigia ſaltu.

Et confirmatur aliorum locis, Stat. l. 10. Thebaid. v. 856.

Plana velut terra certus veſtigia figat.

Feſt. Amien. in deſcript. orb. ter.

Nunc directa ſolo tentus veſtigia figit.

Sed ad Bacchum redeo, quem licet certum ſit eſſe inter deos conſentes, & ab omnibus populis ejus cultum receptum, tamen Scythæ non admiſerunt Dionyſiaca ſacra, *quod nefas ducerent Deum colere, qui ad inſaniam adigeret.* Herodot. lib. 4. pag. 283. & principium ejus cultus ab Indis, quibus imperavit primus. Fr. Laziardus hiſt. univerſal. Epitoma cap. 16. Albert. Stadenſis Chron. pag. 6. Roma ejectus teſtimonio Q. Florentis Tertulliani probatur, Apolog. cap. 6. *Etiam circa ipſos Deos veſtros, quæ perſpecte decreverant patres veſtri, iidem vos obſequentiſſimi reſcidiſtis. Liberum patrem cum myſteriis, conſules, ſenatus authoritate non modo urbe, ſed univerſa Italia eliminaverunt.* Quæ ille hauſit à Cicerone libr. 2. de legibus: *Quid ergo aget Iacchus, Eumolpidæque noſtri, & auguſta illa myſteria, ſiquidem ſacra nocturna tollimus? non enim populo Romano, ſed omnibus bonis firmiſque populis leges damus.* Iul. Firmic. lib. de Errore profanat. relig. *Nec à ſalutaribus tuis legibus exorbitat Poſthumius conſul noſter. Nam ſicut in libris Annalibus invenimus, Bacchanaliorum ſacra, Ebutio quodam adoleſcente deferente detecta ſunt.* Vide paulo infra. Neque vero admodum antiquus ejus cultus. Nam *Eleuther primus ſimulachrum Liberi patris conſtituit, & quemadmodum coli deberet, oſtendit*, ut loquitur Iulius Hygin. Fabul. cap. 225. Depingebatur *pectore nudo, muliebri, capite cornuto, vitibuſque coronato, tigridi inequitans, manu dextera racemum prætendebat, ſiniſtra poculum.* Albric. libr. de Imaginibus Deor. Phornut. libr. de Natura deor. poculum iſtud è cornu bovis, Nonn. Dionyſ. libr. 12. verſ. 201.

Καὶ δέπας ἀγκύλον εἶχε βοὸς κέρας.
Et poculum curvum habuit bovis cornu.

Arnob. l. 5. ad finem: *Mercurius pinnatus, Argiphontes, Æſculapius baculo, Ceres mammis cum grandibus, aut in Liberi dextera pendens potorius cantharus:* Ille dextræ poculum, Albricus ſiniſtræ attribuit. Et de inſignibus ſigillatim agamus.

Tigridem ei ſacrarunt, quod ferociſſima quæque pectora vino domentur. Martial. lib. 8. Epigr. 26. Ovid. lib. 1. Amor. eleg. 2. Horat. lib. 3. od. 3. Polyæn. lib. 1. Stratagemat. Claudian. de 4. Hon. Conſul.

——— *irent blandæ ſub vincula tigres.*

Sil. Italic. lib. 17. Punicor.

Qualis odoratis deſcendens Liber ab Indis
Egit Pampineos frænata tigride currus.

Thyrſum autem in ejus ſacrificiis receptum quis neſcit? id eſt, haſtam hedera (unde *Hedereus* dicitur Pauſan. Attic.) involutam? quam exercitus ejus in India ad decipiendos rudes Indorum animos, belloque in idoneos geſtavit. Et de cymbalis & tympanis Bacchicis diximus antea, ubi de Cybele agebamus. Nunc de Thyrſo, qui & Veneri dicatus, Sidon. Apol. Carm. 9.

Occultos Veneri rotaſſe thyrſos.

Et Baccho Virgil. lib. 6. Æneid. v. 660. Horat. l. 2. od. 19. C. Tacit. lib. 11. Annal. *Ipſa crine fluxo thyrſum quatiens.* Sidon. Apollinar. ut alios omittam, Carm. 5. v. 501.

——— *rotat enthea thyrſum*
Baſſaris, & maculis Erythræa Nebridos horrens,
Excitat Odryſios ad marcida tympana myſtas.

Et appoſite idem Carm. 22. v. 31.

——— *ſagittiferas Euan populatus Erythras,*
Vite capiſtratas cogebat ad eſſeda tigres.
Cantharus, & thyrſus, dextra lævaque feruntur.

Sacra ejus ſeu myſteria nocturna erant, & facibus accenſis per urbem diſcurrebant, crateres vini plenos ſtatuentes, neque quicquid turpitudinis ſcelerumque vino & nocte ſuadentibus omittebant. D. Auguſt. de Civit. Dei libr. 18. cap. 13. Clemens Alexandrinus in protreptico. Aurel. Prudent. lib. 1. in Symmachum:

——— *Quod & ebria jam tunc*
Ante oculos regis Satyrorum inſania fecit,
Et feciſſe reor ſtimulis furialibus actas
Mænadas, inflammante mero, in ſcelus omne rotatas.

In ciſtis ſacra hæc condita erant, & ſingulis tribus annis exhibebantur magno totius Græciæ concurſu. Antonius Delrio multa congeſſit in illud L. Senec. in Herc. Oetæo Act. 2. in choro:

Nos Cadmæis orgia ferre
Tecum ſolitæ condita ciſtis,
Cum jam pulſo ſidere brumæ
Tertia ſolis evocat æſtas.

Ineunte vere igitur orgia celebrata noctu, unde & Bacchus *Nyctelius dictus* Pauſan. Attic. vel *Nyctelius*, ut aliis viſum. Serv. ad verſ. 302. libr. 4. Æneid. *Liberi ſacra tertio quoque anno innovabantur, ſane ſciendum, orgia apud Græcos dici ſacra omnia, ſicut apud Latinos cerimoniæ dicuntur, ſed jam abuſive ſacra Liberi orgia vocantur, vel* ἀπὸ τῆς ὀργῆς *à furore, vel* ἀπὸ τῶν ὀρῶν *à montibus. Nocturnus: quod nocte celebrarentur, unde ipſa ſacra Nyctelia dicebantur, quæ populus Romanus excluſit cauſa turpidinis.* Ipſe Virgilius loco laudato:

——— *qualis commotis excita ſacris*
Thyas, ubi audito ſtimulant trieterica Baccho
Orgia, nocturnuſque vocat clamore Cythæron.

Valer. Flacc. Argonaut. lib. 6. ad finem:

Vt fera Nyctilei paulum per ſacra reſiſtunt,
Mox rapuere Deum, jamjam quodcunque paratæ
Thyades.

P. Ovid. lib. 1. de Arte Amandi:

Nyctileumque patrem, nocturnaque ſacra precare,
Ne jubeant capiti vina nocere tuo.

Ne-

Neſcio, quid Ioſepho Scaligero in mentem venerit, qui ſenſu optimo perturbato, legendum cenſuit:

Ne ſubeant capiti vina nociva tuo.

Inter deos vero antiquorum, nullus eſt, quem tam diverſis nominibus inſignierint. Lege cultiſſimum Archii poëtæ carmen lib. 1. Antholog. cap. 38. epigr. 11. Auſon. Epigr. 28.

Αἰγύπτιοι μὲν Ὄσιρις ἐγώ, μυστῶν δὲ Φανάκης,
Βάκχος ἐνὶ ζώοισιν, ἐνὶ φθιμένοις Ἀϊδωνεύς,
Πυρογενής, δίκερως, Τιτανολέτης Διόνυσος.

Id eſt; *Ægypti quidem Oſiris ego, Myſtarum vero Phanaces, Bacchus inter vivos, inter mortuos Ædoneus, Ignigena, Bicornis, Titanicida, Dionyſius.* Idem Auſonius epigr. 29. ſequenti, & doctiſſimus Elias Vinetus ibid.

Ogygia me Bacchum vocat.
Oſirim Ægyptus putat.
Myſtæ Phanacen nominant.
Dionyſon Indi exiſtimant.
Romana ſacra Liberum.
Arabica gens Adoneum.
Lucaniacus Pantheum.

Ælian. Var. Hiſtor. lib. 3. cap. 41. *Phleonem, Protygam, Staphylitam, Omphacitam, Bacchum* cognominatum, variiſque aliis vocabulis ſcribit. Q. Ennius in Athamante. Multa ejus cognomina complectitur, citante Fl. Soſipatro Chariſio:

His erat in ore Bromius, his Bacchus pater,
Ille Lyæus vitis inventor ſacræ,
Tum pariter Evan, Evoe, Evoe, Evius,
Ignotus juvenum cœtus, alterna vice
Inibat alacris, Bacchico inſultans modo.

Adde P. Ovid. lib. 4. Metamorph. Fab. 1.

——— *Bacchum vocant, Bromiumque, Lyæumque,*
Ignigenamque, ſatumque iterum, ſolumque bimatrem,
Additur his Nyſeuſque, indetonſuſque Thyoneus,
Et cum Lenæo, genialis conſitor uvæ,
Nyctileuſque, Eleuſque parens, & Iacchus, & Evan,
Et quæ præterea per Grajas plurima gentes
Nomina Liber habes.

Quibus omnibus cognominibus quantumvis eum compellaverint varii populi, tamen receptius in ſacris nomen erat *Evius.* Ennius paulo ſupra citatus: ſeu quod *ea vox fuerit Iovis patris in Gigantomachia eum diſcerptum putantis*, ut Albricus in imaginibus deorum, & Phornutus de Nat. deor. prodiderunt; vel quod *in leonem mutatus, periclitantibus diis, Gigantem laniaverit, & ob id à Iove collaudatus ſit ea voce:* Helenius Acron & Porphyrion antiqui interpretes ad Horat. libr. 1. od. 18. & libr. 2. od. 19. Lil. Gyrald. Ferrarienſis de diis gentilib. Syntagm. 8. Papin. lib. 1. ſil. 2. nuptiarum præſidem facit:

——— *tibi Phœbus, & Evan*
Et de Mænalia volucer Tegeaticus umbra,
Serta ferunt.

Et libr. 5. Thebaid. verſ. 497. & Lutat. Placid. ibid. & libr. 2. Thebaid.

Et jam forte dies noto ſignata tonantis
Fulmine, præcepti quum te tener Euhye partus
Tranſmiſere patri.

Virgil. lib. 7. Æneid. v. 389.

Evoe Bacche fremens.

Sidon. Apollinar. Carm. 5. v. 232.

Atque Pelethronios Lapythas Semeleius Evan
Miſcuit, Æmonias dum flammant orgia matres.

Et Carm. 22. in principio:

Forte ſagittiferas Evan populatus Amyclas.

Vitifer, ſeu vini inventor: deſcribit fuſe Nonnus Dionyſiacῶn l. 7. v. 87. & Abbas Vrſpergenſis in Chronico quippiam diverſum tradit: *Hoc tempore Dionyſius, qui & liber pater, vitem dicitur oſtendiſſe hoſpiti ſuo in Attica terra.* Eadem Freculph. Chron. Tom. 1. l. 2. c. 11. Fur. Publ. Fulgent. l. 2. Mytholog. *Liber vero pater dictus eſt, quia vini paſſio liberas mentes faciat, Indos vero feciſſe, quod hæc gens ſit valde vino dedita, duobus ſcilicet modis, ſive quia fervor ſolis eos faciat potare, ſive quia ibi ſit Seraptenum vinum, vel Meroitanum, cujus vini tanta virtus eſt, quo vix quilibet ebrioſus ſextarium toto menſe bibat.* Ille vult ante Bacchum Indos vini uſum habuiſſe, ideoque nec vini eum inventorem, at ejus inventum eſſe vites, omnes contendunt. Alb. Tibull. l. 2. eleg. 3.

At tu Bacche teneri jucundæ conſitor uvæ,
Tu quoque devotos Bacche relinque lacus.

Et vini quidem genera ſigillatim alibi in hoc opere recenſebo: nam & *Prannium, Chium, Thaſium, Lesbium, Creticum, Polium, Coum, Rhodium.* Cæl. Rhodig. libr. 13. Lect. Antiq. cap. 11. Aurel. Macrob. libr. 3. cap. ult. Virgil. libr. 2. Georg. Athen. libr. 1. capitibus multis. M. Plaut. Pœnulo, ſc. *jam iſtuc.* in fine.

Leucadio, Lesbio, Thaſio, Coo, non *Thaſſio*, ut antea. *Vetuſtate vino edentulo.* Nunc unicus è Corippo meo locus, quia pene omnia vina Græca complectitur: quem, quia eget correctione, in medium adducam è lib. 3. num. 3.

——— *dulcia Bacchi*
Munera, quæ Serapta ferax, quæ Gaza crearat
Aſcalon, & lætis dederat quæ Græca colonis,
Quæve antiqua Tyros, quæ fertilis Africa mittit,
Quæ Meroë, quæ Memphis habet, quæ candida Cypros,
Quæque ferunt veteres maturo robore vites,
Quas manibus propriis Ithacus plantavit Vlyſſes.
Arce ſub Ibalia Laërtia lumina ſervans,
Nondum Trojani vitans diſcrimina belli,
Quæque Methymnæis expreſſit cultor ab uvis,
Pocula.

In primo verſu, non *Serapta*, ſed Serapte legendum eſt ex Fulgentio ſupra, C. Plin. lib. 5. cap. 19.
Sidon. Apollinar. Carm. 17.

Quæque Serapteno palmite miſſa bibas.

In verſu quarto *Meroë* vinum eſt Ægyptium regum epulis adhibitum. M. Lucan. lib. 10. v. 162.

Nobile ſed paucis ſenium cui contulit annis
Indomitum Meroë cogens ſpumare Falernum.

In ſexto verſu vites ab Vlyſſe plantatas exprimit, qua de re, & ipſe Vlyſſes, ὁμολογεῖ αὐτὸς πολλὰ εἰδέναι καὶ τεχνίτης αὐτὸν εἶναι. *Fatetur multa ſe ſcire, & quæ ſciat manibus exequi.* Ælian. Var. hiſtor. l. 7. cap. 5. In ſeptimo verſu mendum manifeſtum, cenſueram legendum, *arce ſub Oebalia*, ſed melius apertiuſque ſic legi poſſet:

Arce ſub Inachia Laërtia limina ſervans.

In nono denique verſu, *quæque Methymnæis*, peſſime hactenus expunge τὸ *que*, & lege, *quæ Methymnæis.* Græcis enim μήθυμνα eſt. Callimach. epigr. 20. Q. Horat. l. 2. Sat. 8. P. Virg. Georg.

Quæ Methymnæo carpit de palmite Lesbos.

M. Martial. lib. 8. epigr. 51.

Sic Methymnæo gaviſus Arione Delphin.

Sic Italic. lib. 7. Punicor.

Methymna ferax Latiis ceſſura falernis.

Ex MS. codice legit Fr. Modius Novantiquar. Lect. epiſt. 31. & meo judicio rectius:

Methymna ferox lacubus ceſſura falernis.

Ad Liberum patrem regredior, cujus comites ſeu miniſtri *Sileni, Satyri, Bacchæ, Lenæ, Thyiæ, Mimallones, Naides, Tytiri, & Nymphæ.* Ian. Parrhaſ. ad illud Claudiani l. 2. de Raptu:

——— *Quæ referunt Baccho ſolemnia nymphæ.*

Licet *Mæoniæ* Suidas tantum *Bacchas, Satyros, Panes, & Silenos* in comitatu Liberi ponat, in voce Βακχαί, *Bacchæ.* Adde & *Baſſaridas* dictas fuiſſe Bacchi miniſtras. Pſeudo-Cornutus ad v. 115. Sat. 1. A. Perſii. *Baſſarides, Bacchæ, quibuſdam videtur à genere veſtis, qua Liber pater utitur, dimiſſa ad talos, quam Thraces Baſſarin, quidam à vulpibus, quarum pellibus Bacchæ ſuccingebantur, vulpes Thraces Baſſares dicunt.* Interpretes ad Horat. libr. 1. od. 18. *candide Baſſareu.* Nonnus Panopolitan. lib. 14. Dionyſiac. v. 39. Βασσαρίδων φάλαγγες. Baſſaridum Phalanges. Stat. l. 2. ſylv. ult.

Et tu Baſſaridum rotator Evan.

L. Sen. Oedipo Act. 2. in choro:

Te Baſſaridum comitata cohors,
Nunc Edoni pede pulſanti

Solæ

Sola Pangai, nunc Threicio
Vertice Pindi, nunc Cadmæas
Inter matres, Impia Mænas
Comes Ogygio venit Iaccho.

Secundus verſus an ſanus ſit, ambigo. Cauſa dubitandi, quod in nonnullis editionibus exaratum ſit: *Nunc Edonii pede pulſanti Pangæa ſoli.* Sed male. Serv. ad v. 365. Æneid. *Edoni, Thracii; nam Edon mons eſt Thraciæ. Sane ſciendum eſt hoc loco erraſſe Donatum, qui dicit Edonii legendum, ut Do brevis ſit, ſecundum Lucanum, qui dicit.* (lib. I. v. 675.)

Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo.

Namque certum eſt ſyſtolem feciſſe Lucanum, unde Edoni legendum eſt, ut hic ſit Edonus, hujus Edoni, Statius & Virgilium & artem ſequutus ait (lib. 10. Thebaid.)

Triſtius Edonas hiemes, Hebrumque nivalem.

Idem lib. 5. Thebaid. v. 78.

Dulcius Edonias hiemes, Arctonque frementem
Excipere.

Corrigendum eſt:

Dulcius Edonas hiemes.

Simile mendum in vulgatis Claudiani codicibus, licet rectius in MS. meo & Veneta editione antiquiſſima legatur libr. 1. de Laudib. Stilich.

——— *Quoties ſub pellibus egit*
Edonias hiemes, & tardi flabra Boötæ?

Lege, *Edonas hiemes.*

Mimallones autem in Liberi patris comitatu, ut antea dixi, Plutarch. in Alexandrino in principio: Cornutus in A. Perſii Sat. I. v. 113. *Mimallones dicuntur miniſtri Liberi patris*, ἀπὸ τῆς μιμήσεως (ab imitatione) *Calandrus Illyriorum rex in Macedoniam cum exercitu venit. Macedones cum parvum exercitum haberent, plurimas mulieres cothurnis & thyrſis in modum Baccharum ornaverunt, illi credentes exercitum adventare, diſceſſerunt.* Ipſe Perſius omnem illorum ſacrorum apparatum deſcribit loco citato:

Torva Mimalloniis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura ſuperbo
Baſſaris, & Mænas lyncem flexura corymbis
Evion ingeminat.

Stat. lib. 4. Thebaid. v. 659.

——— *Spolia armentalia portant,*
Seminece ſque lupos, ſciſſaſque Mimallones urſas.

P. Ovid. lib. 1. de Arte:

Ecce Mimallonides ſparſis per terga capillis,
Ecce leves Satyri prævia turba Dei.

Et vir multiſciæ eruditionis, latiſſimique judicii Petr. Petavius ſupremæ Galliarum Curiæ ſenator, cenſet legendum *Mamillones*, non *Mimallones*, apud quem aſſervatur inſigne antiquitatis momentum æneum, *Mimallo*, ſive ut illi placet, *Mamillo*, unde & Antiqua gallica dictio forte derivata, *Mamelue.*

Bacchis his tegmen capitis erat *Mitra.* Sext. Propert. libr. 3. eleg. 16.

Candida laxatis onerato colla corymbis,
Cinget Baſſaricas Lydia mitra comas.

Et eodem habitu, quo ipſe Bacchus, induebantur, pellibus ſcilicet Pantherarum, hinnulorum, aliorumque quorundam animalium, Nonnus Panopolitan. lib. 14. Dionyſiac. v. 356.

Ἄλλη ποικιλόνωτον ἐπὶ στέρνοιο καλύπτρην
Παρδαλίων, ἑτέρη δ' ἐπὶ χροὸς, οἷα χιτῶνα
Στικτὰ φιλοσκοπέλων ἐνεδύσατο δέρματα νεβρῶν.

Alia vero varium humerum habens in pectore tegumentum Pantherarum, alia vero ſupra corpus, tanquam tunicam, varias ſcopulos amantium induit pelles hinnulorum. C. Tacit. lib. 15. Annal. *Fœminæ pellibus accinctæ aſſultabant, velut ſacrificantes, vel inſanientes Bacchæ.* Feſt. Avien. in deſcript. orb. ter.

Orgia ludentes, & Nebride pectora cinctæ
Deduxere choros.

Sidon. Apollinar. Carm. 5.

——— *maculis Erythreæ Nebridos horrent.*

Et Carm. 11. Idem:

Hinc diſtincta latus maculoſa Nebride Thyaſe

Vnicum ſupereſt de Sileno dicendum, quem concors poëtarum conſenſus Bacchi educatorem facit: ut diſquiſivit Ant. Delrius. Iulianus Cæſar in Cæſaribus ſuis. Martian. Capella lib. 2. *Silenus alumnus & nutricius Bacchi, ſenex calvus.* Scholiaſtes Nicandri in Alexipharmacis, Silenos vult ἀπὸ τοῦ σιλλαίνειν, à conviciari, eoſque eſſe & *Satyros.* Interpretes P. Virgil. ad illud Eclogæ 6.

Silenum pueri ſomno videre jacentem,
Inflatum heſterno venas, ut ſemper, Iaccho.

Sidon. Apollinar. Carm. 22.

Baſſaridas, Satyros, Panos, Faunoſque docebat
Ludere Silenus, jam numine plenus alumno.

Q. Horat. in Arte poëtica, & interpretes:

An cuſtos famuluſque Dei Silenus alumni.

L. Seneca Act. 2. in Choro, Oedipo:

Te ſenior turpi ſequitur Silenus aſello,
Turgida pampineis redimitus tempora ſertis,
Condita laſcivi deducunt orgia myſtæ.

Certe enim aſello vectabatur Silenus, ut ſignificaretur in turpiſſimum velut tranſmigrari animal per ebrietatem. Poëtæ paſſim, & præſertim Ovid. lib. 1. de Arte:

In caput aurito cecidit delapſus aſello.

Et lib. 3. Metamorph. Fab. 1.

——— *Bacchæ Satyrique ſequuntur,*
Quique ſenex ferula titubantes ebrius artus
Suſtinet, & pando non fortiter hæret aſello.

Aurel. Olymp. Nemeſianus:

Tum primus roſeo Silenus cymbia muſto
Plena ſenex avide non æquis viribus hauſit,
Ex illo venas inflatus nectare dulci,
Heſternoque gravis ſemper ridetur Iaccho.

Nicander Alexipharmac.

Ὡς δ' ὁπότ' ἀγρώσσαι ἀποθλίψαντες ὀπώρην
Σιληνοὶ Κεραοῖο Διωνύσοιο τιθηνοί.

Vertit Ioannes Gorræus:

Ac veluti expreſſis Sileni agreſtibus uvis,
Cornibus inſignem qui nutrivere Lyæum.

Hic quidem poëtarum omnium eſt unanimus conſenſus. At quippiam diverſum traditum eſt à Ioanne Sariſberienſi, ſcriptore gravi, erudito, & ut illa ferebant tempora, eloquente, *qui ad Hadrianum Pontificem maximum, pacis inter Henricum Regem Angliæ & Hibernos futurus author miſſus fuit, nec multo poſt pontificatum Carnotenſem obtinuit.* Richardus Stanihurſtius Dublienſis de Reb. Hibernic. libr. 3. pag. 154. quem certum eſt Epigraphe fidem promiſſam non impleſſe, nec exolviſſe, ut omittam mendaciſſimam impudentiam adeo præ ſe tuliſſe, ut tam illi hiſtoria ſcribenda, quam bovi clitellæ conveniant. Is ergo Sariſberienſis Policratici lib. 1. cap. 4. *in ſemiviri Chironis antro (ſi Græcis per omnia creditur) eſt inſtitutus Achilles Lyræ modis & citharæ, & inde in ſilvas in ſtrage ferarum cædibus & fœdo victui aſſueſcens, reverentiam naturæ, timoremque mortis abjecit, quid quod Bacchus eundem habuit nutritorem? nempe qui his ſtudiis aut deſidiis inſiſtunt, ſemiferi ſunt, & abjecta potiore humanitatis parte, ratione morum prodigiis conformantur.* De Baccho, non memini me id legere, edoctum eum à Chirone, & non à Sileno. de Achille certum, dum puer eſſet Chironem audiviſſe, grandiorem natu Phœnicem, Q. Aurel. Symmach. libr. 3. epiſt. 13. Ælian. lib. 12. var. hiſt. c. 5. Ariſtenætus l. 2. epiſt. 5. Claudian. de 3. Hon. Conſul.

——— *Non ocyus hauſit Achilles*
Semiferi præcepta ſenis, ſeu cuſpidis artem,
Sive lyræ cantus, medicas ceu diſceret herbas.

Livius Andronicus apud Feſtum in Ocri:

Haud ut quem Chiro in Pelio docuit Ocri.

Papin. Stat. lib. 2. ſyl. 1. v. 88.

——— *Tenero ſic blandus Achilli*
Semifer Æmonium vincebat Pelea Chiron,
Nec ſenior Peleus natum comitatus in arma
Troica, ſed charo Phœnix hærebat alumno.

Et de eod. l. 1. Achilleid. v. 117. Idem Statius:

——— *Nam tunc labor unus inermi*

Noſſe

Noſſe ſalutiferas dubiis animantibus herbas,
Aut monſtrare lyra veteres heroas alumno.

Pindar. Nemeor. od. 3. & Scholiaſtes:

Ξανθὸς δ' Ἀχιλλεὺς τὰ μὲν μένων Φιλύρας ἐν δόμοις
παῖς ἐὼν, ἄθυρε
μεγάλα ἔργα χερσὶ θαμινά.

Flavus autem Achilles commorans in Philyræ ædibus, puer exiſtens luſitabat magna opera manibus crebro. P. Ovid. l. 2. Metamorph. fab. 10.

Semifer interea divinæ ſtirpis alumno
Lætus erat.

Et lib. 3. de Ponto eleg. 3.

Præmia nec Chiron ab Achille talia cœpit.

Et lib. 1. de Arte:

Phillirides puerum cythara perfecit Achillem,
Atque animos molli contudit arte feros.

Sidon. Apollinar. Carm. 9. v. 132.

Quorum hic Peliaco putatur antro
Venatu, fidibus, palæſtra, & herbis,
Sub Saturnigena ſene inſtitutus.

Cæſar Germanicus in Phænomenis Arati:

Hic erit ille pius Chiron, tutiſſimus omnes
Inter nubigenas, & magni doctor Achillis.

Denique, (ut ad Bacchum redeam) ei tempore tantum pluvio hoſtiæ immolabantur, Clidemo auctore apud Suidam in voce Ὕης. Meminit vetus lapis:

LIBERO. PATRI. SANCTO. SACRVM.
S. CELIVS. PRIMITIVVS. ET. PVBLICIA.
ANTILLA. VOTO. SVSCEPTO. D. D.

Cur plures illi appoſitæ nutrices diſquirit Plutarchus Sympoſ. lib. 3. cap. 9. nam Orpheus in hymno ejus, Hippam nutricem memorat. Euſtach. Coronidem, Ino Pauſan. in Lacon. adi ad Antholog. lib. 2. cap. 20.

PARALIPOMENA.

De Cerere, ejus ſacris, raptu filiæ, facibus, taciturnitate, frugum inventione.

Iul. Firmic. Matern. lib. de Errore profanar. religion. *Sequitur hanc ſacri* (Liberi patris) *contagionem, & imitatur ordinem funeris, à Cerere Hennenſi muliere, mors filiæ conſecrata, nam quicquid in Creta pater ob filium fecerat, hoc totum Ceres apud Hennam, amiſſa filia, impatientia materni doloris inſtituit.* Narrat dein luculentis verbis hiſtoricam rei ſeriem, quam vide, & lege ubique *Enna*, non *Henna* & *Hennenſis*, ut infra dicam. Lacus prope quem illa à Dite rapta fingitur, illi eſt *Percus*, Claudiano lib. 2. de Raptu *Pergus* vocatur, & mira utriuſque quadrat deſcriptio:

Nec procul inde lacus, Pergum dixere Sicani,
Panditur, & nemorum frondoſo margine cinctus
Vicinis palleſcit aquis.

Et quia omnium inſtar unus mihi Claudianus, celebriora in illo opere ſigillatim illuſtrabo; ac primum affectum Cereris in Proſerpinam filiam immodicum exprimens, vaccæ illam comparavit lib. 1. de Raptu:

Hanc fovet, hanc ſequitur, vitulam non blandius ambit
Torva parens.

Expreſſum indubie ex Euripide in Hecuba, v. 204. ubi ſic Polyxena matrem alloquitur:

Σκύμνον γάρ μ' ὥς τ' οὐριθρέπταν
μόσχον δειλαία δειλαίαν
εἰσόψει χειρὸς ἀναρπαστὰν
σᾶς, ἀπολαιμότομόν τ' Ἀΐδα
γᾶς ὑποπεμπομέναν σκότον.

Vertit Guil. Canterus: *Catulam enim me veluti aut monti paſtam vitulam miſera miſeram videbis manu abreptam tua, decollatamque Plutoni terræ miſſam ſub tenebras.* Eundem materni doloris amorem in orbata matre filiam raptam quærentis illuſtrat comparatione à Tigride deſumpta, lib. 3. de Raptu:

Arduus Hircana quatitur ſic matre Niphates,
Cujus Achæmenio regi ludibria natos
Avexit tremebundus eques, furit illa marito
Mobilior Zephyro, totamque virentibus iram
Diſperſis maculis, nimiumque hauſtura profundo
Ore virum, vitreæ tardatur imagine formæ.

Quo loco pulcherrime ſummi amoris ſtimulos, furori & truculentiæ Tigridis, abreptos fœtus perſequentis conjunxit, talis enim eſt ejus animalis natura. D. Ambroſ. Hexam. lib. 6. cap. 4. C. Iul. Solin. Polyhiſt. cap. 21. *Pedum motum neſcio velocitas, an pervicacia magis adjuvet, nihil tam longum eſt, quod non brevi penetrent, nihil adeo antecedit, quod non illico aſſequantur: at maxime potentia earum probatur, cum maternis curis incitantur, cum catulorum inſiſtunt raptoribus: ſuccedant ſibi equites licet, & aſtu quantolibet amoliri prædam velint, niſi in præſidio maria fuerint, fruſtra eſt auſum omne.* Quæ ille ex C. Plinio tranſcripſit, qui lib. 8. nat. hiſt. cap. 18. *Totus ejus fœtus ab inſidiante rapitur equo, quam maxime pernici, atque in recentem ſubinde transfertur, at ubi vacuum cubile reperit fœta (maribus enim ſobolis non eſt cura) fertur præceps odore veſtigans.* Alluſere & poëtæ. Ipſe Claudian. lib. 1. in Ruffinum:

Aut Hircana premens raptorem bellua partus.

M. Martial. lib. 3. epigr. 44.

Non tigris catulis citata raptis.

Et lib. 8. epigr. 26.

Non tot in Eois timuit Gangeticus arvis
Raptor in Hircano qui fugit albus equo.

Magnus Felix Ennodius Ticinenſis lib. 1. carm. 9.

Caſpia non aliter cum Tigris fœta Niphatem
Circuit, aut catulos rapiendi format ad uſus,
Ardet in abſentes, ſævis mortalia mandit
Membra animis, hominumque necem petitore cruento.

Sil. Italic. lib. 12. Punicor.

Haud ſecus amiſſo tigris ſi concita fœtu
Emicet, attonitæ paucis luſtratur in horis
Caucaſus, & ſaltu tranſmittitur alite Ganges:
Donec fulmineo partus veſtigia curſu
Colligit, & rabiem prenſo conſumit in hoſte.

Petrus Apollon. Collat. de Excid. Hieroſolymitan. lib. 3.

Incaluit, quantum luſtris Hircana peractis
Dum regit, & raptos tigris circumſpicit antro
Audaci furto catulos, furibundaque cautum
Inſequitur raptorem, & pervolat ocyus Euro.

Valer. Flacc. Argonautic. lib. 1.

——— *Haud aliter ſaltus vaſtataque pernix*
Venator cum luſtra fugit, dominoque timentem
Vrget equum, teneras complexus pectore tigres,
Quas aſtu rapuit pavido dum ſæva relictis
Mater in adverſo catulis venatur Amano.

Amorem & affectum in prolem habes apud Oppianum Cilicem lib. 3. Cyneget. v. 96.

——— φίλην ἀγάσαντο γενέθλην
Εὔγληνοι λύγκες τε, πυρίγληνοί τε λέοντες
Παρδάλιές τ' ὀλοαὶ, καὶ τίγριες ἠνεμόεσσαι.

Curam amant ſobolem, & perſpicaces lynces, & oculis flammantes leones, pantheræque exitioſæ, & tigrides rapidæ. Tanta hæc Tigridis velocitas etiam in Cerere expreſſa eſt apud Poëtam, & invaluit opinio concipere ex vento tigrides. Hiſtoricos citare nihil neceſſe eſt. Idem Oppian. Cyneg. lib. 1. v. 322.

Τίγριες οἷα θοοὶ, κραιπνοῦ Ζεφύροιο γενέθλη.
Tigrides ut veloces, pernicis Zephyri ſoboles.

Et lib. 3. Cyneg. v. 354.

Αὐτῷ γάρ τε θέειν ἰκέλη Ζεφύρῳ γενετῆρι.
Ipſi enim curſu ſimilis Zephyro genitori.

Vt bene Claudianus antea dixerit, *marito mobilior Zephyro.* Cæl. Sympoſius Ænigmate 38.

A fluvio dicor, fluvius vel dicitur ex me,
Iunctaque ſum vento, vento velocior ipſo,
Et mihi dat ventus natos, nec quæro maritum.

Ad Cererem redeo, quæ cum abeſſet, per dolum educta extra limen domus filia rapta eſt à Plutone. At à Iulio Scaligero

 poeti-

poëtices lib. 6. cap. 5. reprehenditur. *Ad sollicitandum Proserpinæ fatum in futuras nuptias, jussu Iovis agit in Siciliam Venerem, sane recte, Palladem addit, sane non recte, Dianam vero etiam ridicule. Vtramque virginem, hanc etiam virginitatis vindicem.* Ego contrà puto summo id ingenio ab eo factitatum, ut rudes & puellares animi, aliorum virginum comitatu facilius deciperentur, neve dolos Veneris malignæ rapienda persentisceret, clarè Cyane ad Cererem lib. 3. de Raptu:

——— Suspectaque nobis
Ne foret, hinc Phœben comites, hinc Pallada junxit.

Et habet ab aliis patrocinium. Nam *ululatum & strepitum aliarum puellarum, dum Proserpina raperetur*, commemorat Firmicus loco citato; & D. Ausonius coætaneus Claudiano, Epist. 5.

Qualis floricoma quondam populator in Ætna
Virgineas inter choreas Deioda raptam
Sustulit, emersus Stygiis fornacibus, Orcus.

Valer. Flacc. lib. 5. Argonaut.

Aut Sicula sub rupe choros, hinc gressibus hærens
Palladis, hinc claræ Proserpina juncta Dianæ,
Altior, & nulli comitum cessura, priusquam
Palluit.

Stat. lib. 2. Achilleid. v. 150.

——— Qualis Siculæ sub rupibus Ætnæ
Naiades Ætnæas inter Diana, feroxque
Pallas, & Elysii lucebat sponsa tyranni.

Et de hoc comitatu existimo intelligendum Nævium lib. 2. belli Punici:

Prima incedit Cereris Proserpina puer.

Quippe lib. 2. de Raptu dixit Claudianus:

Quas inter Cereris proles, nunc gloria matris,
Mox dolor, æquali tendit per gramina passu.

Ceres ergo redux Ennam Siciliæ civitatem venit ubi filii raptus admonita est. Vnde & *Ennæa* dicitur, Lactant. Firmian. lib. 2. Divin. Instit. cap. 4. sive Ætnæa, quod cognominis ab *Ætna*, sub qua rapta filia, ut est apud Valerium Flaccum, Statium, & Ausonium nuperrime citatos. Claudian. lib. 1. de Raptu:

Ætnææ Cereri proles optata virebat
Vnica.

Hadrianus Turnebus lib. 8. Adversarior. cap. 12. censuit legendum, & tota pene criticorum caterva post illum:

Ennææ Cereri proles optata virebat
Vnica.

M. Tull. Orat. 4. in C. Verrem: *Cereris numen, sacrorum vetustatem, sacrorum religionem, istius sceleratissimi, atque audacissimi supplicio expiari volebant, omnia se cætera pati, ac negligere dicebant, hic dolor erat tantus, ut Verres, alter Orcus, venisse Ennam, & non Proserpinam asportasse, sed ipsam abripuisse Cererem videretur: Etenim urbs illa, non urbs videtur, sed fanum Cereris esse, habitare apud sese Cererem Ennenses arbitrantur, ut mihi non cives illius civitatis, sed omnes sacerdotes, omnes accolæ, atque antistites Cereris esse videantur. Enna tu simulachrum Cereris tollere audebas?* Arnob. cont. gent. lib. 5. Consimiliter & in altera fabula: *Ennæa, nemus, & flores quid sunt? quid sumptus ignis ex Ætna, comprehensæque istæ faces, quid peragratio cum his orbis, quid Attica regio, quid Eleusinus pagus, quid Banbonis tugurium atque hospitium rusticanum?* Hinc ergo & Ceres, & Proserpina *Ennææ* nomine passim appellatæ. L. Sen. Herc. Furente Act. 3. sc. 2.

——— Teque quam tota irrita quæsivit Ætna mater.

In melioribus editionibus habetur:

Quæsivit Enna mater.

Sil. Ital. lib. 1. Punicor.

Hic crine effuso, atque Ennææ numina divæ,
Acheronta vocat, Stygia cum veste Sacerdos.

Et lib. 13. Punicor.

Cæditur Ennææ casta cervice juvenca.

P. Ovid. lib. 4. Fastor.

Sic dea nec retinet gemitus, & concita cursu
Fertur, & à campis incipit Enna tuis.

Et eodem libro:

Grata domus Cereri, multas ea possidet urbes,
In quibus est culto fertilis Enna solo.

Et lib. 5. Metamorphoseos:

Haud procul Ætnæis locus est à mænibus altæ
Nomine Pergusæ.

In MS. codice Herculis Ciofani:

Haud procul Ennæis locus est à mænibus.

M. Lucan. lib. 6. v. 742.

Eloquar immenso terræ sub pondere, quæ te
Contineant, Ennæa, dapes.

Conjecturam quidem Turnebi & emendationem hæc promovent. At ego priorem lectionem posse defendi puto: præter auctores citatos proximè supra. Stat. lib. 4. Thebaid. v. 124.

Et qui rura domant Epidauria, dexter Iaccho
Collis, at Ætnææ Cereri negat avia Dyme.

Servius ad v. 39. lib. 1. Georgic. Illud Lucani laudatum legit:

Detineant Ætnæa dapes.

Hinc ergo errores suos Ceres exorsa est, & frustra diu filiam quæsivit, ut inde natum sit proverbium: *Ceres Proserpinam quærit*, de his, qui incassum laborant. Suid. in voce ἀζησία. Et in voce ἀμαία τὴν ἀζησίαν μετῆλθεν. *Ceres Proserpinam quærit.* Claudian. lib. 1. de Raptu:

Sollicito genitrix erraverit anxia cursu.

Et lib. 3. de Raptu, sic Ceres de se:

Impius errantem videat per rura, per urbes
Iupiter.

Q. Aurel. Prudent. in Romano Martyre:

Cur si deorum nemo rapuit virginem,
Quam nocte quærens mater errat pervigil.

Investigata tandem diligenter filia Proserpina, deprehendit Ceres apud Inferos eam agere. Servius ad v. 39. lib. 1. Georg. *Cum raptam à Plutone Proserpinam filiam diu Ceres quæsisset, tandem aliquando eam esse apud inferos comperit, pro qua re, cùm Iovis implorasset auxilium, ille respondit posse eam reverti, si nil apud inferos gustavisset, illa autem jam punici mali grana in Elysio gustaverat, quam rem Ascalaphus Stygis filius prodidit, unde Proserpina ad superos remeare non potuit. Sane Ceres à Iove meruisse postea dicitur, ut Proserpina sex esset cum matre mensibus, sex cum marito.* Ex hoc raptu sequutum est beneficium frugum inventarum: nam antea homines solis vescebantur glandibus. Claud. lib. 1. de Raptu:

——— Et glande relicta
Cesserit inventis Dodonia quercus aristis.

Et lib. 3. de Raptu:

——— Si frangunt communia pabula glandes.

Scio multis hoc proditum; sed tamen celebriores authores advocabo. Macrob. l. 2. in som. Scipion. c. 10. A. Gell. l. 5. cap. 6. L. Apul. lib. 11. Milesiar. in principio: *Sive tu Ceres alma frugum parens originalis, quæ repertu lætata filiæ, vetustæ glandis ferino remoto pabulo, miti commonstrato cibo, Eleusinam glebam percolis.* Fur. Pub. Fulgent. lib. 1. Mytholog. in præfatione. *Quidam sunt, qui spreta capitis generositate, Atricinis atque Arcadicis sensibus, glandium quippiam sapiunt.* Vet. scholiast. Iuvenal. ad v. 57. sat. 13. *Divitiæ autem in fragis & in glande taxabantur.* & ad v. 184. Sat. 14. *Quia ante homines fraga & glandes comedebant.* Arnob. lib. 2. cont. gent. *Sit panis ex farre, aut ut sæcula imitemur antiqua, ex calido cinere glandes.* C. Plin. lib. 7. Nat. histor. cap. 56. *Invenit Ceres frumenta cum antea glande vescerentur.* Et in præfat. ad lib. 12. *Primumque munus homini datum, arbores, sylvæque intelligebantur, hinc primum alimentum.* Iul. Pollux lib. 6. cap. 7. βαλανηφάγοι, βαλανηφαγεῖν, *glandium comestores, glandes comedere.* Hinc poëtæ, Ovid. l. 3. Amor. eleg. 9. Virgil. lib. 1. Georg. in principio. & Serv. ibid. Tibull. l. 2. eleg. 3. Hor. l. 1. Sat. 3. Iuvenal. Sat. 6. in princ.

Et sæpe horridior glandem ructante marito.

T. Lucret. lib. 5.

Glandiferas inter curabant corpora quercus.

Sulpitia poëtria in Satyra sua:

Non aliter quàm cum primo surreximus ævo,
Glandibus, & puræ rursus procumbere lymphæ.

Valer.

Valer. Flacc. lib. 1. Argonaut.

——— Flava quercum damnavit arista.

Fest. Avien. descript. orb. terræ:

Conjugibus natisque simul cibus aspera glando.

D. Auson. in Monosyll.

Olim communis hominis cibus & pecori glans.

Aurel. Prudent. lib. 2. in Symmach.

Ilignis melius saturatur glandibus alvus.

Quod non Romanæ tantum consuetudinis, sed & Græcæ fuit. Nam apud Athenienses in nuptiis puer canistrum præferebat pane plenum, clamabatque ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον. *Fugi malum, inveni melius.* Sed & antiquiores Atheniensibus Arcades non alios, quam glandes, cibos habebant; unde & in notam antiquitatis suæ appellantur βαλανηφάγοι, *glandivori*. Cæl. Rhodigin. lib. 16. Antiquar. lect. c. 3. Iul. Pollux lib. 1. cap. 12. num. 9. δρῦς, τάχα δ' ἂν εἴη ἀμφίβολος πρὸς τὰ ἔγκαρπα διὰ τοὺς βαλανηφάγους Ἀρκάδας, καὶ μάλιστα, εἰ πρὸ πυρῶν τοὺς ἀνθρώπους ἔθρεψεν ἡ βάλανος. *Quercus, dubium autem mox erit, an frugifera habetur, propter glandivoros Arcades, & maximè quod homines ante frumenti usum, glande pascebantur.* Ælian. var. hist. l. 3. c. 39. ὅτι βαλάνους Ἀρκάδες, Ἀργεῖοι δ' ἀπίους, Ἀθηναῖοι δὲ σῦκα, Τιρύνθιοι ἀχράδας δεῖπνον εἶχον. *Arcades glandes, Argivi pyra, Athenienses ficus, Tirynthii sylvestria pyra comedebant.* Artemidor. Daldian. l. 2. Oneirocrit. c. 25. δρῦς ἄνδρας σημαίνει πλουσίους, διὰ τὸ τρόφιμον, ταύτης γὰρ τὸν καρπὸν ἤσθιον οἱ Ἀρκάδες; καὶ ὁ Ἀρχαῖος φησίν.

Ἀρκάδες ἔσαν βαλανηφάγοι.

Quercus viros significat opulentos, ob alimentum, hujus enim fructum comedebant Arcades, & Archæus inquit: Arcades sunt glandivori. Huc pertinet oraculum illud vetustissimum, quod extat apud Herodotum lib. 1. pag. 28.

Ἀρκαδίην μ' αἰτεῖς; μέγα μ' αἰτεῖς, οὔτοι δώσω,
Πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίῃ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασιν.

Vertit Valla:

Me petis Arcadiam? multum petis, haud tibi tradam,
Multi apud Arcadiam vescentes glandivori sunt.

Vnde in Xviralibus tabulis cautum, ut *glandem in alienum fundum procidentem colligere liceret*, inquit Plinius lib. 16. c. 5. Rævardus ex illo in legg. 12. Tabular. cap. 26. Ludov. Charondas ad easdem leges cap. 73. Theodor. Marcilius in easdem cap. 51. Hinc puto derivatum, ut *glans* pro *quolibet fructu* usurpetur. Nam *glandes palmarum* apud Suidam in voce βάλανοι. ubi ait, *selectas quasdam glandes dominorum fuisse, alias in servorum usus expositas, ex iisque & vinum factum.* Et *Cerrus glandifera arbor* apud Moderatum Columellam lib. 8. c. 17. Et disertè Vlpianus IC. definit glandis nomine omnes fructus intelligi, *l. un. ff. de verbor. significat.* ut mihi sit mirum in tanto antiquitatis consensu Homerum siluisse, qui glandibus pinguiores fieri sues l. 13. Odyss. scripsit, de hominibus toto opere silet, quod non fecisset puto, si suo sæculo ullus glandium usus mortalibus fuisset cognitus.

Cereris quidem id beneficium, sed Triptolemi opera frugum satio gentibus cognita, is & *Celeus pater* Græcis dictus. Aristoph. Acharnensibus, Act. 1. sc. 2. Martian. Capella l. 2. de Nupt. Merc. & Philolog. *Qui primi mortalibus usum rerum, majoraque commoda præstiterunt, ut vitem Dionysius apud Thebas, Osyris apud Ægyptios haustum vini, usumque comperiens, frumentum Isis in Ægypto, Triptolemus apud Atticos docuere, eademque Isis lini usum, sementemque monstravit.* Narrat fuse C. Iulius Hyginus Fabular. cap. 147. Et obiter eodem opere cap. 259. *Lyncus rex Siciliæ fuit, qui missum à Cerere Triptolemum, ut hominibus frumentum monstraret, susceptum hospitio, interimere cogitavit.* Et cap. 277. *Ceres fruges serere, boves domare, & alumno suo Triptolemo fruges serere commonstravit.* Eleganter Freculphus Lexoviensis Chron. Tom. 1. lib. 2. cap. 12. *His temporibus* (Pelopis regis) *Triptolemus, quem Philochorus ait, longa navi ad urbes accedentem, distribuisse frumenta, & ob id dedisse suspiciones, quod navis ejus serpens pennatus fuerit, sive ut alii fingunt, quod jubente Cerere, anguibus portatus alitibus, indigentibus terris frumenta volando contulerit.* Lege, *Triptolemus*, & est auctor optimus fœde in nominibus propriis sæpe corruptus. Quod in annum mundi 3797. rejicit Ado Viennensis Chron. pag. 27. *His temporibus fabulæ fictæ sunt de Triptolemo, quod jubente Cerere serpentium pennis gestatus, indigentibus frumenta volando distribuit.* Dionys. Halicar. l. 1. hist. Rom. pene in limine. Et curiose Hubertus Vellejus, & Fr. Laziardus in histor. univers. Epitoma c. 21. *Triptolemus agriculturam ampliasse, & quadrigas junxisse, dicitur. Ceres etiam, præter instrumenta arandi, mensuras invenit, cum prius per acervos triticum numeraretur.* Lutat. Placid. ad v. 658. lib. 4. Thebaid. *Cum Triptolemus beneficio Cereris, fruges per omnes spargeret gentes.* Et ad l. 12. v. 629. *Ceres à Dite filiam raptam dum quærit, hospitio regis Eleusi fertur fuisse suscepta, cujus filium Triptolemum pro beneficii gratia sustulit nutriendum, cui agriculturam, & inveniendi frumenti artificium Ceres ostendit.* Ipse Stat. præter loca citata lib. 4. syl. 2.

——— Ætherei fœlix sic orbita fluxit
Triptolemi.

Sidon. Apollinar. Carm. 9. v. 180.

Non cum Triptolemo verendam Eleusin,
Qui primas populis dedere aristas,
Pastis Chaonium per Ilicetum.

D. Auson. epist. 22.

Triptolemon olim, sive Meden, quem vocant,
Aut Tullianum Buzigen.

Nonnus Panopolit. lib. 19. v. 84.

Τριπτόλεμος σπόρον εὗρε φερεσταχύων ἐπὶ δίφρων.
Triptolemus segetem invenit spiciferis in curribus.

Claudian. lib. 1. de Raptu in limine:

Angues Triptolemi strident, & squammea curvis
Colla levant attrita jugis.

Quem versum, nescio, cur insana critices prurigine, in deteriorem, & minus numerosum mutare voluerit Scaliger senior hoc modo:

Triptolemi strident angues.

L. Sen. in Hippolyto Act. 3. sc. 1.

Iam quarta Eleusis dona Triptolemi secat.

Valer. Flacc. lib. 1. Argonaut.

——— Aut cursu sævos frænasse dracones
Triptolemi, ignaras Cereris qui vomere terras
Imbuit.

Martian. Capella lib. 2.

Atys pulcher item, curvi & puer almus aratri.

In memoriam accepti hujus beneficii decreto totius populi Atheniensis, in honorem Cereris instituta sunt sacra, quæ *Thesmophoria* dicebantur ut infra probabo, & à patre Triptolemi *Eleuso Eleusina*, præter laudatos scriptores, narrat Lactant. Placid. ad v. 383. lib. 2. Thebaid. Statianæ. Strabo l. 15. Geographiæ. noctu celebrarentur.

Crinagoras lib. 1. Antholog. cap. 28. epigr. 3.

Δήμητρος μεγάλας νύκτας ἴδῃς ἱερῶν.
Cereris magnas noctes videas sacrorum.

Stat. lib. 7. Thebaid. v. 412.

Et non assuetis pernox ululavit Eleusis
Mensibus.

Et lib. 12. Thebaid. v. 132.

Noctivagumque gregem, quamvis sibi luget, Eleusin
Flevit, & arcanos errantibus extulit ignes.

Arcani ignes sunt faces, quæ in Thesmophoriis accensæ gestabantur; exemplo Cereris, quæ sub noctem quærendæ filiæ laborem exorsa est. Claudian. l. 3. de Raptu:

Noctivago tædas inflammatura labori.

Apollodor. Atheniens. Bibliothec. l. 1. Δήμητρα δὲ μετὰ λαμπάδων νυκτός τε καὶ ἡμέρας, κατὰ πᾶσαν τὴν γῆν ζητοῦσα περιῄει. *Ceres accensis facibus, noctesque & dies universum terrarum orbem lustravit vestigando.* L. Sen. Herc. Fur. Act. 3. in Choro:

Libra Phœbeos tenet æqua currus,
Turba secretam Cererem frequentat,
Et citi tectis properant relictis
Attici noctem celebrare mystæ.

Ideo & faces adhibitæ. Claudian. l. 1. de Raptu in principio:

——— *Tem-*

—— *Templumque remugit*
Cecropidum, ſanctaſque faces attollit Eleuſis.
Quod uſque adeo verum eſt, ut Ceres ſemper cum face accenſa viſebatur, ſeu locata, ſeu picta. Martian. lib. 2. de Nupt. *In eo Siſtra Nilotica, Eleuſinaque lampas, arcuſque Dictynnæ, tympanaque Cybeleia videbantur.* Et Dianæ Segeſtanæ ſimulachrum dextra manu facem præferebat, tanquam materni laboris & ſollicitudinis argumentum. M. Tull. 6. Verrina. Aur. Prudent. in Romano martyre:
Facem recincta veſte prætendit Ceres.
Lactant. Firmian. lib. 1. c. 21. *Quia facibus ex Ætnæ vertice accenſis Proſerpinam Ceres quæſiiſſe in Sicilia dicitur, idcirco ſacri ejus ardentium tædarum jactatione celebrantur.* Cum iſtis faculis luto & furfure obliti currebant, obſervat Brodæus. Vet. Schol. Iuvenal. Sat. 15. v. 141. egregium ritum tradit; nam unaquæque non geſtabat facem, ſed currentes ſibi mutuo tradebant. *Face arcana dignus ſacerdotii, ac per hoc juſſus arcana, imbutum ſacris dicit pontificem, aut arcana dicit myſtica, cum in templo Cereris ſibi invicem facem curſores tradunt.* Quod fiebat hac potiſſimum ratione, unus ab ara facem accenſam manu comprehendebat, & ad certum in templo locum currebat, qui cum perveniſſet, alteri ſucceſſuro & curſuro eandem tradebat, Georgius Alexandrinus ex M. Varrone in Re Ruſtica notavit antiquè dictum *Tibe trado*, id eſt, *tibi*. Quod nolim de Cereris ſacris tantum intelligi, nam Athenienſes *tria feſta agebant lampadis, Panatheneis, Vulcanalibus, Prometheis*: & primus quidem lampadis in ſacrificiis uſus Vulcano tribuitur, quod *is ignis uſum primus reperiſſet*, & mortalibus oſtendiſſet, ut ſcribit Iſter apud Suidam in voce λαμπάδος. Communior tamen eſt & receptior conſuetudo, in Cereris myſteriis faces geſtari ſolere; unde poëtæ. P. Ovid epiſt. 2. Phyllid. ad Demoph.
Et per tædiferæ myſtica ſacra deæ.
Et lib. 3. Faſtor.
Quos cum tædifera nunc habet illa dea.
D. Iuvenal. Sat. 2. v. 90.
Talia ſecreta coluerunt orgia tæda
Cecropiam ſolida Baptæ laſſare Cotyton.
L. Sen. Agamem. Act. 2. in Choro:
Tibi votivam matres Grajæ
Lampada jactant.
Et in Herc. Furente.
Longas Eleuſi tacita jactabo faces.
Et in Hippol. Act. 1. ſc. 2.
Iactare tacitis conſcias ſacris faces.
Scholiaſt. Apollonii Rhodii citat Bachylidis lyrici verſum hunc:
Ἑκάτα δαδοφόρε Νυκτὸς μεγαλοκόλπε θύγατερ.
Hecate tædiferæ noctis magnum habentis ſinum filia.
Inde δαδουχία, *facis geſtatio* ſolemnis in Theſmophoriis & ἱεροφάνται δαδοῦχοι, *doctores ſacrorum, faciferi*, in ſacris recepta ſunt vocabula, Iul. Poll. l. 1. cap. 1. Onomaſt. num. 31. & Callis Cereris Sacerdos δαδοῦχος, *tædæ geſtator*, appellatur à Plutarcho in Ariſtide in principio. Et facis iſtius non in ſacrorum annua celebratione tantum, ſed & in omnium Sacerdotum initiationibus teſtis Heliodor. l. 9. pag. 424. Iuvenal. Sat. 15. pulchrè, ut ſemper:
—— *Quis enim bonus, & face dignus*
Arcana, qualem Cereris vult eſſe Sacerdos.
Stat. lib. 4. ſyl. 8.
Tuque Actæa Ceres, curſu cui ſemper anhelo,
Votivam taciti quaſſamus lampada myſtæ.
Et lib. 2. Thebaid. in fine:
Actæas tibi rite faces, & ab arbore caſta,
Nectent purpureas niveo diſcrimine vittas.
Vitium autem in editionem Georgii Cedreni irrepſit. Nam in hiſtoriar. Compendio pag. 139. à Xylandro, *Daduchus*, pro *Claduchus*, verſum eſt.

In his ſacris perpetua taciturnitas obſervabatur; ideo Papinius paulo antea laudatus, *tacitos myſtas* dixit. Ad quorum ritum & Cereales ludi inſtituti, ut expediam infra l. 5. cap. 14. C. Sueton. in Auguſto cap. 93. *Athenis initiatus, cum poſtea Romæ pro Tribunali de privilegio Sacerdotum Atticæ Cereris cognoſceret, & quædam ſecretiora proponerentur, dimiſſo concilio, & corona circumſtantium, ſolus audiit diſceptantes.* L. Sen. libr. 7. Nat. quæſt. cap. 31. *Non ſemel quædam ſacra traduntur, Eleuſis ſervat, quod oſtendat reviſentibus, rerum natura ſacra ſua non ſemel tradit, initiatos nos credimus, in veſtibulo ejus hæremus, illa arcana non promiſcue nec omnibus patent, reducta & in interiore ſacrario clauſa ſunt.* Myſteria ob id dicta ἀπὸ τοῦ μύειν, quod eſt *os claudere*, erantque duplicia: *parva*, quæ Proſerpinæ filiæ, Plut. in Demetrio. Tatian. Orat. cont. gent. *magna*, quæ in honorem ipſius Cereris inſtituta. Scholiaſt. Ariſtophanis in Pluto Act. 4. ſc. 2. addit Gerardus, *parva ſacra* fuiſſe veluti προκάθαρσιν, & κατήχησιν, *luſtrationem primam & inſtructionem*. At in magnis ſacris qui initiari volebat, moris fuit, ut, quam veſtem quis eo tempore geſtaret, quo initiaretur, non prius eam exueret, quam longo uſu detrita, geſtari amplius non poſſet: nam tum ferebatur in templum dicanda illi deo, cujus religionis candidatus eſſet, qui ſacrandam offerebat. Ipſe Ariſtophanes loco laudato:
Μῶν ἐν ἐμυήθης δῆτ' ἐν αὐτῷ τὰ μεγάλα;
Vertit Nicodemus Friſchlinus:
Numnam hæc ea veſtis eſt, qua tu magnis ſacris
Initiatus es?
Helenius Acron Interpres Horatii ad lib. 3. od. 2. *Sacra Cereris myſtica erant, nec vulgari licebat, propter hoc quod conſiliis occultis dea uſa eſt, donec filiam reperiret.* Ipſe Horatius:
—— *Quis Cereris ſacrum*
Vulgarit arcanum.
Lactant. Firmian. l. 2. divinar. Inſtit. cap. 4. *Vnum libet commemorare de Cerere Catanenſi vel Ennenſi, quarum alterius tanta fuit religio, ut adire templi ejus ſecreta penetralia veris nefas eſſet, alterius antiquitas tanta, ut omnes hiſtoriæ loquantur.* Idem alibi l. 5. rationem reddit, *Ea ſcilicet à callidis hominibus inſtituta, ut populus, quid coleret, ignoraret.* D. Auſon. epiſt. 24.
At tu juratis velut alta ſilentia ſacris
Devotus teneas, perſtas in lege tacendi.
P. Ovid. l. 1. de Arte:
Tectaque ſint ſolita myſtica ſacra fide.
Et l. 2. de Arte:
Quis Cereris ritus audet vulgare profanis,
Magnaque Threicia ſacra reperta Samo?
Moſchus Eidyllio 3. v. 75. εὐέανος Δημήτηρ, *bene velata Ceres*. *Licmæa Ceres* etiam dicta, *à ventilabro*, cum quo depingebatur. Suid. in voce λικμαία.

Eleuſina, & *Attica*, & *Actæa*, à locorum nominibus, ut ſupra dictum eſt.

Profunda, Ian. Parrhaſ. epiſt. 55.

Flava, à colore frugum jam matureſcentium.

Panda, & *Pantica*, Lud. Carrio in Antiquis lectionibus docuit, quem adi.

Mammoſa, quod grandibus & protenſis mammis depingeretur. Arnob. l. 5. cont. gent. & l. 3. *Avet animus, atque ardet in Chalcidicis illis magnis, atque in palatiis cœli, deos deaſque conſpicere intectis corporibus, atque nudis, ab Iaccho Cererem (Muſa ut prædicat Lucretii) mammoſam.* Locus autem, quem ex Lucretio laudat, l. 4. Rer. Nat. extat:
At gemina, & Mammoſa Ceres, eſt ipſa ab Iaccho.
Sic enim emendat Dionyſ. Lambinus, cum antea legeretur in aliis editionibus, nec ſenſu, nec lege metri conſtante:
At lamina & mammo ſacer eſt ipſa ab Iaccho.

Alumna, quod frugum beneficio alantur homines. Ceres autem nihil aliud quam frumentum. Martian. Capella l. 1. ſive, ut alii volunt, quod terra omnes nutriat. Orpheus in hymnis:
Γῆ μήτερ πάντων, Δημήτερ πλουτοδότειρα.
Terra mater omnium, Ceres cuncta ſubminiſtrans.
Author carminis ad Meſſalam:
—— *Communis alumna*
Omnibus injecta tellus cumulavit arena
Sancta Ceres.
Claudian. l. 2. de Raptu:
Si tu ſancta Ceres, & te non Caſpia tigris

Edidit, heu fulvas animo tranſgreſſa leones.
Legendum eſt, nam Proſerpina loquitur:
—— *Et me non Caſpia tigris*
Edidit.
Quam correctionem debeo Flavio conjectaneor. cap. 9. & ille MSS. At ego priorem verſum ſic legi poſſe cenſeo ex MS.
Si tu nota Ceres.
Hoc eſt, ſi levitas indulgentiaque materna mihi hactenus probata fuit, & innotuit. Vel ſic melius:
Si tu ſalva Ceres.
Id eſt, ſi mecum non ipſa periiſti.

Legifera denique Serv. Honorat. ad libr. 4. Æneid. verſ. 57. *Leges Ceres dicitur inveniſſe, nam & ſacra ipſius Theſmophoria, id eſt, legumlatio vocantur, ſed hoc ideo fingitur, quia ante inventum frumentum à Cerere paſſim homines ſine lege vagabantur, quia feritas interrupta eſt, poſtquam ex agrorum diſcretione nata ſunt jura: Theſmophoria autem vocantur legum latio, an quia in æde Cereris in ære inciſæ fuerunt leges.* Clemens Alexandrin. in Protrept. Arnob. libr. 5. cont. gent. *Vultis conſideremus & illa divina, quæ Theſmophoria nominantur à Græcis, quibus gente ab Attica, ſancta illa pervigilia conſecrata ſunt, & pannychiſmi graves?* Herodot. lib. 2. καὶ τῆς Δήμητρος τελετῆς πέρι τὴν οἱ Ἕλληνες Θεσμοφόρια καλέουσι, καὶ ταύτης μοι πέρι εὔστομα κείσθω, πλὴν ὅσον αὐτῆς ὁσίη ἐστὶ λέγειν. *De Cereris quoque initiatione, quam Græci Theſmophoria vocant, abſit ut eloquar niſi quatenus ſanctum eſt, de illa dicere.* Plutarchus lib. adverſus Colotem Δήμητραν Θεσμοφόρον. *Cererem legiferam* appellat. Et inter recentiores adi ad Lilium Gyraldum ſyntag. deor. gentil. 14. Wolfgang. Lazium libr. 11. Commentarior. Reip. Rom. cap. 7. Baptiſt. Pium Annotat. poſterior. cap. 9. Callimach. in Hymno ejus:
ὡς πολίεσσιν ἑαδότα τέθμια δῶκε.
Vt urbibus placidas leges daret.
Virgil. lib. 4. Æneid.
Legiferæ Cereri.
Calvus, antiquus poëta, de Cerere:
Et leges ſanctas docuit, & chara jugavit
Corpora conjugiis, & magnas condidit urbes.

CAP. XII.

De Vulcano & Veſta.

VULCANVM etiam & VESTAM, utpote duos ignes, veteres conjunxerunt, de quibus hoc capite nonnihil dicemus. VULCANVS, ut *Servius* docet, quaſi *Volicanus* dictus eſt, quod per aërem volet. *Varro* autem eum à majore ignis vi & violentia nomen hoc accepiſſe tradit. Quis hic Deus fuerit, non liquido conſtat: variant enim inter ſe ſcriptores veteres. *Cicero* libro 3. de Natura Deorum, plures à veteribus *Vulcanos* proditos fuiſſe affirmat, ex quibus quatuor ipſe recenſet. *Primus*, inquit, Cœlo natus, ex quo & Minerva Apollinem, eum cujus in tutela Athenas antiqui hiſtorici eſſe voluerunt. *Secundus* Nilo natus, *Opas*, ut Ægyptii appellant, quem cuſtodem eſſe Ægyptii volunt. *Tertius* ex tertio Iove & Iunone, qui Lemni fabricæ traditur præfuiſſe. *Quartus* Mænalio natus, qui tenuit inſulas prope Siciliam, quæ *Vulcaniæ* appellantur. Horum ille, qui Iovis & Iunonis filius fuiſſe à *Cicerone* traditur, is fortaſſe eſt, qui uſque adeo cultus ab antiquis eſt. *Heſiodus* & *Lucianus* ſcribunt, eum à ſola Iunone citra virilem congreſſum editum, admodum fortunatum: claudum etiam ex ruina cum præceps à Iove datus eſſet è cœlo, ubi periturus fuiſſet, niſi à Lemniis pro ſua bonitate, dum adhuc in aëre ferretur, fuiſſet ſuſceptus. Hic ignis inventor fuiſſe ab Ægyptiis proditur, *Diodoro* teſte, fabrorumque fornacis auctor, quia ſine igne nullum metalli genus fundi extendique poſſet. *Iſidorus*. *Euſebius* libro de Præparatione Euangelica ſcribit: Ignis virtutem *Volcanum* appellatam, & in forma hominis ei ſimulachrum conſtitutum, in cujus capite pileus eſſet cæruleus, cœleſtis ſymbolum volutionis, ubi integer ſynceruſque ignis invenitur, nam qui è cœlo in terram delapſus eſt, cum imbecillior ſit, materiaque indigeat, claudicans fingitur. *Venus* ei uxor fuit quam tamen Cincius *Majam*, Piſo, *Majeſtam* appellatam dicit. Templum *Vulcano* Romæ voviſſe Titum Tatium *Varro* & *Dionyſius Halicarnaſſeus* lib. 2. ſcribunt. *Plutarchus* in Quæſtionibus, ſive cauſis Romanis, quæſtione 47. prodit, ipſum Romulum Vulcani fanum ædificaſſe extra Vrbem, & cauſas ejus rei inquirens, dicit feciſſe id Romulum, vel quod cum Martis filius exiſtimaretur, propter fabuloſam illam Vulcani adverſus Martem, Veneris cauſa ſimultatem, *Vulcanum* in eadem urbe, eodemque cum Marte domicilio eſſe noluerit: vel quod in hoc templum illud à Romulo conditum ſit, ut ibi una cum Tatio collega curiam haberet, in qua de rebus arcanis cum Senatu abſque interventoribus quietè poſſent conſultare: vel denique cum Romæ ab incendiis ſtatim à primis temporibus multum periculi eſſet, colendum quidem Deum igni præfectum: ſed extra urbem locum ei aſſignandum Romulus ſtatuerit. In hoc templum Romulus cum reliquis ſpoliis ex Cameria quadrijugum æreum currum deportavit, & ſtatuit, ſuique ſtatuam ex victoria coronatam locavit. Auctor in vita ejus *Plutarchus*. *Auguſtinus* paſſim *Vulcani* meminit, de civitate Dei, quod ei templum à *Tatio* votum ſit, & libro 7. cap. 16. ignem mundi leviorem *Veſtæ* eſſe, violentiorem *Vulcani*, ubi *Vives* ex Phurnuto addit, *Vulcanum* eſſe ignem hunc craſſum, quo paſſim utimur. Ille enim ſubtilior *Iupiter* eſt, & idem *Prudentius*:

-------- Ipſe ignis noſtrum qui ſervit ad uſum,
Vulcanus perhibetur, & in virtute ſuprema
Finditur, ac delubra Deus, & nomine & ore
Aſſimilatus habet: necnon regnare caminis
Fertur, & Æoliæ ſummus faber eſſe, vel Ætnæ.

VESTA.

Vnde *Vesta* nomen acceperit, inter scriptores non convenit: Ovidius enim à *vi stando* derivat, cum scribit:

Stat vi terra sua, vi stando Vesta *vocatur.*

Alii à *vestiendo*, quod terra variis tum herbis, tum plantis, cæterisque vestiatur. *Cicero Vestæ* nomen à Græcis esse vult: Ea enim, inquit, est, quæ ab illis ἑστία dicitur: vis autem ejus omnis ad aras & focos pertinet. Libro de Divinationum generibus ait, *Vestæ* & ἑστίας nomen nihil significare, neque Latinorum neque Græcorum lingua, sed utramque vocem Latinam, & Græcam Hebrææ originis esse, & quidem compositam ex *Eschia*, quod *ignem Dei* significat: unde etiam probat hanc colendi ignis consuetudinem defluxisse à Patribus, & remansisse inter Ethnicos cum tenui umbra depravatorum rituum. Fuit *Vesta*, ut *Diod. Siculus* & *Apollodorus* volunt, Saturni filia: ut verò *Q. Fabius Pictor*, Iani uxor, cui etiam adstipulatur *Berosus* ille, de quo tamen eruditi non sine causa dubitant, qui eam Noæ, qui *Ianus* dictus est, fuisse uxorem scribunt, cujus proprium nomen cum fuerit *Tidea*, *Aretiam*, id est, *terram*, & *Estam*, id est, *ignem*, post mortem eam cognominatam esse, quia fuisset Regina sacrorum & puellas docuisset sempiternum ignem sacrorum inextinctum servare.

Simulachrum ejus varium fuit. Pingebatur nonnunquam forma mulieris sedentis, & gestantis tympanum, quod terra ventos in se contineat: interdum aliter, ut ostendit hic, quem adjeci, nummus, notatus littera M. Fuit *Vesta* diu ante Romam conditam culta in Italia, maximè à Tyrrhenis, teste *Myrsilo Lesbio*, qui eam Tyrrhenorum lingua *Labith Horchiam* appellatam esse, dicit, quam appellationem etiam auctore *Herodoto* apud Scythas habuit.

Macrobius eam unam ex Diis Samothracibus, sive *Penatibus*, vel saltem eorum comitem esse vult. Huic ignis sacer est, & à virginibus, quæ ob hoc *Vestales* dicuntur, custoditur, de quibus alibi, tandem etiam à Romanis culta fuit. Alii ab Romulo putant ei templum primum conditum fuisse: alii ab Numa, quod libr. 2. vehementer *Dionys.* probare nititur: qui tamen paulo ante scribit, & cum eo *Terentius Varro*, Titum Tatium receptum à Romulo in regni societatem tum aliis Diis, tum Vestæ etiam templum condidisse. *Onuphrius Panvinius* in descriptione XIV. regionum Vrbis meminit templi *Vestæ*, ædis, & ædiculæ, cujus sicut etiam templi meminit *Sextus Ruffus*, & *P. Victor*.

Templum VESTÆ extruxit *Numa Pompilius*, de quo sic *Plutarchus*: Traditur Numam custodiæ causa perenni igne Vestæ templum circumdedisse: quod rotundum ab eo extructum est, non ut terræ (quasi ea Vestæ esset) sed ut universi figuram exprimeret, in cujus medio ignem collocatum Pythagorei censent, eumque *Vestam* & *Vnitatem* appellant. *Festus*. Rotundam ædem Vestæ *Numa Pompilius* Rex Romanorum consecrasse videtur, quod eandem esse terram, qua vita hominum sustentaretur, crediderit, eamque pilæ forma esse, ut sui simili templo Dea coleretur. In hac æde præter ignem Vestæ alia quoque sacra asservata fuisse à quibusdam traditur, qua de re *Dionysii* & *Plutarchi* verba adscribam: *Dionysius* libro 2. ita scribit. Alii tradunt præter ignem occulta quædam sacra in Deæ fano esse deposita, solis ædituis cognita, & virginibus: adduntque argumentum non leve ex ejus incendio, quod accidit, quando primum Romani cum Pœnis bello conflictabantur, propter Siciliam: tunc enim Virginibus metu diffugientibus, ædituorum unus *L. Cæcilius Metellus* vir Consularis, is qui devictis in Sicilia Carthaginensibus in celebri illo triumpho CXXX. elephantos traduxerat, posthabito publicæ utilitati privato periculo, irrupit in ardens penetrale, sacraque à virginibus deserta è flammis eripuit: quamobrem honores maximos à civitate grata est promeritus, sicut ex elogio patet, quod adscriptum est ejus statuæ in Capitolio. Ex hac confessa re nectunt conjecturas proprias: quidam dicunt hîc servari partem sacrorum Samothraciæ, quæ quondam ex hac insula *Dardanus* in Vrbem à se conditam deportaverat, eaque capta Æneas Troia profugus secum attulit in Italiam. Alii *Minervæ Iliensis* effigiem esse veram, & notam Æneæ, perito rerum talium, cum alteram ad hujus similitudinem formatam Achivi furto sustulerint: cujus facti crebra mentio reperitur apud poëtas, æque ac Historicos. Ego sane à multis accepi, custodiri à virginibus: non solum ignem, sed & sacra quædam vulgo incognita: ea tamen nec ipse scrutari ausim curiosius, nec aliis fas puto. *Plutarchus* in Camillo: Alii ignem, ut & apud Græcos, in vestibulo templi ardere lustrationis causa censent, reliqua sacra intus abscondi, neque à quoquam, præter *Vestales virgines*, conspici ea fas esse. In iis autem arcanis esse Troianum illud *Palladium*, ab Ænea in Italiam allatum, multorum sermonibus est traditum. Alii fabulam addunt, Dardanum è Samothracia asportatum *Palladium*, cum Troiam condidisset, in ea urbe consecrasse: Æneam id, quo tempore Troia capta est, clam sustulisse, ac usque ad migrationem in Italiam adservasse. Qui sibi majorem harum rerum notitiam arrogant, duo dicunt dolia haud ita magna ibi esse reposita: alterum apertum & inane, alterum plenum, & obsignatum: solis autem sacris istis Virginibus licitum ea videre. Alii hos errare putant, eos deceptos quod tum (scilicet bello Gallico) *Vestales* pleraque sacra in duo dolia conjecta, terra obruerint sub templum Quirini: cui loco etiam nunc à doliis nomen sit. Hactenus *Plutarchus*. De *Palladio*, quia ejus mentio facta est, adhuc dicendum videtur, de quo *Ioannes Ludovicus Vives* ad caput 2. libri 1. *Augustini* de Civitate Dei, hæc collegit: *Palladium* simulacrum est Palladis, de quo tam varia tradunt rerum scriptores, ut ineptum ducam persequi longius eorum opiniones. Excerpam tamen ex *Varrone*, *Dionysio Halicarnassæo*, *Ovidio*, *Plutarcho*, & *Servio*, quæ mihi verisimiliora videbuntur. Chrysas Pallantis filia, cum Dardano nuberet, pro dote secum attulit *Palladium*, & magnorum Deorum simulachra. Quibus templa Dardanus in Samothracia construxit: quæ postea sacra in Ilium sunt, nepotum tempore, transvecta, accepto oraculo mansuram Vrbem, quamdiu & in ea *Palladium* illud. Quocirca in intimam arcis partem est reconditum, efficto altero quodam Palladio illi simillimo, quod in publico negligentius asservabatur. Cumque Pyrrhus ex Heleno vate Priami filio inexpugnabilem esse Troianam urbem, salvo in ea *Palladio* cognovisset, idque Principibus Græcorum renunciasset, Vlysses & Diomedes per fraudem primum ingressi, deinde facta in custodes vi, *Palladium* illud imaginarium surripuerunt. Alterum capta jam urbe Sycas Æneæ tradidit cum magnis Diis, quos *Penates* Troianos vocant. Æneas in Italiam illa omnia secum advexit. Hinc ex Alba longa, sive, ut *Varro* putat, ex Lavinio Romam *Palladium* translatum est, statutumque in æde Vestæ, quæ cum deflagraret, *L. Metellus Pontifex* Maximus, *Palladium* medio ex incendio sustulit, amissis luminibus. *Palladium* vulgo conspectum est. Heliogabalo Imperatore incensa æde Vestæ. *Herodianus*. Fuit alterum *Palladium*, quod Athenis in arce dicavit *Nicias*. Hæc *Vives*. In veteribus nummis & Vestæ templum rotundum, & Æneas patrem Anchisem in humeris portans, atque una manu *Palladium* ferens, altera filium *Iulum*, alia sacra gestantem, ducens, cernuntur, quorum duo notati litteris N. O.

AD CAP. XII. PARALIPOMENA.

Vestæ cultus, statuæ, templa, Ignis, Virgines, earum jura & privilegia.

Peculiare hoc Trojanorum numen. Sidon. Apollinar. Carm. 9. vers. 133.

Thebis Euhion. Ilioque Vestam.

Et in senatu Atheniensium aram habebat, notat Ioan. Brodæus. eamque pene omnes scriptores, quantum reminiscor, *ignem* interpretantur. Servius Honoratus, pro *terra* sumit, *quam ignem*, inquit, *habere non est dubium*, ad illud lib. 1. Æneid.

Cana fides & Vesta.

Idem ad v. 283. lib. 3. Æneid. *Nam & Vestam ideo Trojani colunt, quia eadem terra, terrigenes autem Athenienses nemo dubitat.* Et hanc depingebant muliebri forma, tympanum gestantem, quod *terra ventos in se contineat*. Suidas in voce γῆς ἄγαλμα, *terræ simulachrum*. Cæl. Rhodigin. lib. 15. cap. 14. scio ab Ovidio dictum l. 6. Fastor.

Effigiem nullam Vestæ nec ignis habet.

Sed & Plutarchus lib. de primo frigido ad finem, Vestam eandem cum terra esse in veteri Theologia docet; nec dissentit Isidorus Hispalensis l. 8. Etymolog. cap. 12.

Inter Penates colebatur, & deos domesticos Romanorum, ideoque & *mater* peculiari nomine dicebatur. M. Cic. Orat. pro domo sua. *Teque Vesta mater, cujus castissimas sacerdotes ab hominum amentia, furore & scelere defendi.* P. Virgil. lib. 1. Georg. in fine:

Dii patrii, indigetes, & Romule, Vestaque mater,
Quæ Thuscum Tiberim, & Romana palatia servas.

Et rectè, *palatia servas*, quod in omnibus ædium privatarum vestibulis apud Romanos Vestæ simulachrum staret, ut Mercurii apud Athenienses, quemadmodum supra explicui. Eugraphius vetus grammaticus in Andriam Terentii Act. 4. sc. 3. *Romanis omnibus mos est in atrio, hoc est, in vestibulo, habere Vestam (quippe cum inde vestibulum nominarint) cui sacrificium quotidie facerent, illic ei fuerat collocata ara, idcirco dictum est:*

Ex ara sume hinc verbenas tibi.

Neque vero hujus sacrificii idem ritus, qui in aliorum deorum sacris, (licet sciam molam etiam in illis receptam, Fest. lib. 3. in *casta*) nam *sal rusum tantum* offerebatur, Lil. Gyrald. syntag. deor. gent. 17. quod *in calicibus fictilibus* asservabatur, Helenius Acron & Porphyrion veteres Interpretes ad Q. Horat. libr. 1. od. 31. non abhibita quælibet aqua, sed tantum ex Numico flumine. Servius ad illud lib. 7. Æneid.

——— *Hæc fontis stagna Numici.*

Aut libo, aut farre. Iuvenal. Sat. 6. v. 384.

Cum farre, & vino, Vestam, Ianumque rogabat.

Perpetuus æternusque ignis in templo ejus, tanquam imperii certissimum pignus asservabatur. Valer. Maxim. libr. 5. cap. 4. tit. 6. *Ignoscite vetustissimi foci, veniamque æterni date ignes, si à vestro sacratissimo templo, ad necessarium, magisque speciosum urbis locum contextus operis nostri progressus fuerit.* T. Liv. 1. Decad. libr. 5. *Quid de æternis Vestæ ignibus, signoque, quod, imperii pignus, custodia ejus templi tenetur?* Idem 3. Decad. lib. 6. *Vestæ adem petitam, & æternos ignes.* Poëtæ passim. P. Virgil. libr. 2. Æneid.

——— *Manibus vittas, Vestamque potentem*
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Et Servius ad illud l. 4. Æneid.

——— *Vigilemque sacraverat ignem.*

Illud notatu dignissimum, ignem hunc non in focis aut altaribus, sed suspensum in vasculis quibusdam fictilibus, ut jam supra admonui proximè. Valer. Maxim. libr. 4. cap. 4. in fine: *Namque per Romuli casam, perque veteris Capitolii humilia tecta, & æternos Vestæ focos, fictilibus etiamnum vasis contentos, juro.* Serv. ad illud lib. 7. Æneid.

——— *Consilii habitus non futilis author.*

Tantum fiduciæ in hoc igne erat, ut oportuerit eum nunquam extingui, quod si contigisset, non carebat res infaustitatis præsagio, quare inextinctum vocant. P. Ovid. libr. 6. Fastor.

Ignis inextinctus templo cælatur in illo.

Vetus marmor.

ANTIQVA. GENEROSE. DOMO.
CVI. REGIA. VESTÆ.
PONTIFICI. FOELIX. SACRATO.
MILITAT. IGNE.

Vide quæ sequuntur in cultissimo Epigrammate apud Onuphrium de Civitate Rom. pag. 149. Orpheus in hymnis:

Η' μέσον οἶκον ἔχεις πυρὸς ἀναίδο μεγίστου.
Quæ mediam domum habes ignis æterni maximi.

Sil. Italic. lib. 1. Punicor.

Et vos virginea lucentes semper in ara
Laomedonteæ Troianæ altaria flammæ.

Et libr. 3.

Et Vestæ secreta feramus.

Et libr. 7.

——— *Primum Vestæ detersit honorem.*

M. Lucan. lib. 9. v. 995.

Dii cinerum, Phrygias colitis quicunque ruinas,

Æneaque mei, quos nunc Lavinia sedes
Servat, & Alba lares, & quorum lucet in aris
Ignis adhuc Phrygius, nullique aspecta virorum
Pallas, in abstruso pignus memorabile templo.

Et nunquam sine portento aut prodigio credebatur extingui, & anxia sollicitudine expiabant, notavit Gaspar Peucerus in Divinat. extispic. quod contigit ante initia bellorum civilium, motaque inter Cæsarem & Pompejum arma. Præter historicos idem Lucanus libr. 1. v. 549. certissimum futurorum argumentum ab eo igne desumptum insinuat:

——— *Vestali raptus ab ara*
Ignis, & ostendens consectas flamma Latinas,
Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit
Thebanos imitata rogos.

Ovid. lib. 15. Metam. fab. ult.

——— *Facinusque repellite, neve*
Cade sacerdotis flammas extinguite Vestæ.

Quod ubi contigerat, omnia publica privataque intermittebantur nego ia, eratque justitium indictum, donec procuratio solemnis institueretur, & tamdiu durare imperium quamdiu ignis fuisset inextinctus. Papin. l. 4. syl. 3.

Donec Troicus ignis, & renata
Tarpeius pater intonabit aulæ.

Et virgo cujus in curia id evenisset, à pontifice severè plectebatur, nam puto virgines igni fovendo excubuisse alternatim, seu forte, seu præcepto pontificis ad id officii ductas. Valer. Maxim. l. 1. cap. 1. tit. 7. *Licinio pontifici maximo, virgo Vestalis, quia quadam nocte parum diligens æterni ignis custos fuisset, digna visa est, quæ flagro admoveretur.* malim legere: *admoneretur.* Iul. Obsequens de Prodigiis cap. 62. *Vestæ penetralis ignis extinctus, virgo jussu Æmilii pontificis maximi flagro cæsa.* Fest. Pomp. libr. 9. *Ignis Vestæ si quando interstinctus fuisset virgines verberibus afficiebantur à pontifice, quibus mos erat tabulam fœlicis materiæ tamdiu terebrare, quousque exceptum ignem cribo æneo virgo in ædem ferret.* Vbi scio viros doctos legisse, non *tabulam fœlicis materiæ*, sed *clabulam.* Diminutivum enim id à clava esse volunt, B. quippe & V. olim sæpe in se invicem transibant, & in nonnullis editionibus non *terebrare*, sed *verberare* scriptum extat. Q. Flor. Tertullian. lib. de Pœnitentia: *Quid illum thesaurum ignis æterni æstimamus, cum fumariola quædam ejus tales ictus flammarum suscitent?* Atque etiamsi non fuisset extinctus, accendebatur tamen quotannis Calendis Martiis, & renovabatur ignis, quem asservabant in operto, non autem sub tecto, ostendit Ian. Parrhas. Epist. 57. P. Ovid. l. 3. Fastor.

Adde quod arcana fieri novus ignis in æde
Dicitur, & vires flamma resecta capit.

Interim corrigendus è M. Manilio l. 4. Astronomic. locus insigniter corruptus:

Festinos, Capricorne, foves penetralibus ignes,
Hinc artes, studiumque trahis.

Sic legit Iosephus Scaliger, & exponit ignes festinos à natura elementi; velocissimi motus, ταχυδαπάνους. Sunt qui censuerint legendum:

Feste tuos Capricorne foves.

Aliis placuit potior hæc lectio:

Vestinos Capricorne foves.

Neque desunt, quibus placuerit:

Festives Capricorne foves.

Vt ignes festivi sint festi, seu sacri, sed nulla harum lectionum placet, ideoque suadeo legas:

Vesta tuos, Capricorne, foves penetralibus ignes.

Quam lectionem optimam esse, vel ex iis quæ subjungit ipse Manilius eodem loci liquet:

Hinc artes studiumque trahit, nam quicquid in usus
Ignis alit, poscitque novas ad munera flammas,
Sub te censendum est.

Et eodem libro:

Ast Augusta fovet Capricorni sidera Vesta.

Claudian. lib. de Bello Gildonico:

——— *Sanctæque memor Tritonia Vestæ.*

Ad virgines ejus descendo, de quibus multa sunt à viris doctis observata, istud tamen, quod à C. Plinio l. 7. epist. 19. à nullo, quod sciam, est animadversum, nec memini me alibi legisse, post illum notat Cæl. Rhodigin. Antiquar. lect. l. 15. cap. 14. ita igitur ille: *Angit me Fanniæ valetudo, contraxit hanc, dum assidet Iuniæ virgini Vestali, sponte primum, (est enim affini) deinde etiam ex authoritate pontificum, nam virgines, cum vi morbi atrio Vestæ coguntur excedere, matronarum curæ custodiæque mandantur, quo munere Fannia dum sedulo fungitur, hoc discrimine implicata est, insident febres, tussis increscit,* in aliis libris legitur, *insidens febris tussim injecit.* quod probabilius duco. Mamertinus in panegyrico Iuliani: *Nulli gratificemini, in neminem sæviatis, toto in orbe terrarum nullius virginis fama violetur, sit lectulus etiam sine inconcessis, sed legitimis voluptatibus Vestalium thoris purior:* corrigendum est, *sit lectulus etiam sine concessis, & legitimis voluptatibus, Vestalium thoris purior,* Fr. Modius Novantiquar. lection. Epist. 25. Iam vero quantus iis exhibitus honor, quanta dignatio nemo ignorat. Nam & *si vitia fugitiva, nondum urbem egressa, retineri in loco earum precatione credebantur ab iis,* ut loquitur C. Plinius l. 28. Nat. histor. cap. 2. *Et Claudia Vestalis, cum patrem suum è curru triumphantem, violenta Tribus plebis manu detrahi animadvertisset, mira celeritate utrisque se interponendo, amplissimam potestatem inimicitiis accensam depulit, igitur alterum triumphum pater in Capitolium, alterum filia in ædem Vestæ duxit.* Vt verba usurpem Valerii Maximi l. 5. cap. 4. tit. 7. Scio Suetonium in Tiber. cap. 2. non patrem hunc, sed fratrem Claudiæ facere. Et Iulius Cæsar *per virgines Vestales, Mamercum Æmilium, & Aurelium Cottam, propinquos & affines suos, veniam impetravit.* Sueton. in eo cap. 1. & Aulus Vitellius Aug. *Suasit senatui ut legatos cum virginibus Vestalibus mitterent, pacem, aut certe tempus ad consultandum petituros,* inquit idem Suetonius in vita ejus cap. 16. Ergo inde liquet gravissima diffidia earum interventu componi consuevisse. Adde & Vibidiæ Vestalis precibus Messalinam tentasse veniam à Claudio principe marito obtinere, narrante C. Tacito l. 11. Annal. Huc spectant & illa M. Ciceronis Orat. 2. Agraria. *Si quicquam deliquero, nullæ sunt virgines, quæ me à vobis deprecentur.* Testamenta penes eas erant asservata, de testamento M. Antonii Plutarchus in eo. de testamento Augusti C. Sueton. cap. ult. Vbi notandum inter eas unam fuisse authoritate præcipuam, quæ Maxima dicebatur. Idem Sueton. in Cæsare cap. 83. *Testamentum ejus aperitur, recitaturque in Antonii domo, quod Idibus Septembribus proximis in Lavicano suo fecerat, demandaveratque virgini Vestali Maximæ.* Et in Domitiano cap. 8. *Corneliam virginem Maximam* vocat. Sed nemo melius earum prærogativas expresserit L. Seneca l. 6. Controv. 8. *Tibi* (Vestali virgini) *magistratus fasces suos submittunt, tibi consules, prætoresque via cedunt, nunquid exigua mercede virgo es? sacerdos raro juret, nec unquam nisi per Vestam suam moriar. nunquid de nuptiis appellata es?*

Sed ut magnus eis honor habitus, ita & delinquentes gravissimis afficiebantur suppliciis; nam *adulter veberibus necabatur,* ex lege quam in Libertatis atrio fixam M. Cato loquitur apud Festum Pompeium l. 14. in voce *probrum Virginis Vestalis.* De virginis pœna, vet. scholiast. Iuvenal. ad Sat. 4. v. 10. *Hæc virginibus Vestæ pœna fuit decreta, si vitiatæ fuissent, vivæ in parietibus struebantur, aut sub terra obruebantur.* C. Plin. l. 4. epist. 11. *Fremebat Domitianus, æstuabatque ingenti invidia destitutus, nam cum Corneliam Maximillam Vestalem desodere vivam concupisset, ut qui illustraret seculum suum ejusmodi exemplo arbitraretur, pontifices Maximi jussu, seu potius immanitate tyranni, licentia domini reliquos pontifices non in regiam, sed in Albanam suam convocavit:* legendum est omnino: *Nam cum Corneliam Vestalium Maximam desodere vivam concupiss.* Auctor correct. Suet. laudato loco in Domit. cap. 8. supra, tota lugebat civitas, ut in clade publica, eratque is dies lugubris, ut ostendit multis Andr. Tiraquellus in Alexandrum Neapolitanum lib. 5. cap. 12. quod usque adeo observatum, ut in annalibus, pro prodigio Vestalis damnatio notetur, Euseb. Chronic. Olymp. 73. Locus in

in quem defodiebantur erat prope portam Collinam. T. Liv. 1. Decad. l. 8. de Minutia Vestali. Festus l. 17. *inceleratus campus.* Ovid. lib. 6. Fast.

——— *Nec viva desodiatur humo.*

Sil. Ital. lib. 13.

Nec par pœna tamen sceleri, sacraria Vestæ
Polluit exuta sibi virginitate sacerdos.

Cùm defossa in terram Vestali virgine *panem* & *lac* ponebant, *ne videretur fame interisse.* Guilielm. Canterus Novar. Lection. l. 7. cap. 6. ex scholiaste Sophoclis ostendit. Rationem habes apud Iacobum Durantium Caselium l. 2. variar. lect. cap. 2. ex Clemente Alexandrino Pæd. 3. quod terra, impura hujusmodi, & libidinosa, corpora purgari crederentur, ideoque in terra occultabantur expianda. Iuvenal. loco proxime citato:

Nemo malus felix, minime corruptor, & idem
Incestus, cum quo nuper vittata jacebat,
Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.

MS. meus, *cum quo vittata jacebat.* Sed male, ut infra ostendam. Vt ignis nihil patitur impuri, ita virgines istæ omni corporei contagii labe carere debebant, usque ad annum ab electione trigesimum, quo tempore licebat nubere; præter scriptores ab aliis observatos, Sext. Propert. l. 4. Eleg. 4.

Et satu una malæ potuit mors esse puellæ,
Quæ voluit flammas fallere Vestæ tuos.

Fallere flammas Vestæ, interpretor *impudicam esse*, aut adulterium admittere, aut ad nuptias convolare, quod ante trigesimum annum, ut monui, non licebat. Aurel. Prudent. l. 2. in Q. Symmachum: *Tandem virgineam fastidit virgo senectam.* Et post in eodem opere:

Transfert emeritas ad fulcra jugalia rugas,
Discit & in gelido novo nupta tepescere lecto.

D. Auson. Epist. 7. de triginta ostreis:

Quot numero annorum Vestalis virgo ministrat.

Qui anni sic dividebantur, ut primis decem sacros ritus diligenter discerent, aliis insequentibus decem ministrarent, denique ultimis decem, quæ percepissent, alias docerent. Dionys. Halicarnass. l. 2. hist. Rom.

Locum in Amphitheatralibus, & scenicis, Circensibusque habuisse ludis ostendam infra l. 5. c. 4. Carpentis seu pilentis, ut alias matronas, vectas, certum ex C. Suetonio in Tib. cap. 2. & dicam alibi. Ad ornatum descendo. Vestitus *suffibulum* appellabatur. Fest. Pomp. lib. 17. *Suffibulum vestimentum album prætextum, quadrangulum, oblongum, quod in capite Vestales virgines sacrificantes habebant, idque fibula comprehendebatur.*

Vittas capitis ornamenta, ut aliæ matronæ, gestabant. vide l. 5. cap. 35. infra. D. Ambros. Epist. ad *Valentinianum. Vix septem Vestales capiuntur puellæ, en totus numerus quem insula vittati capitis.*

M. Lucan. l. 1. Pharsaliæ v. 596.

Vestalemque chorum ducit vittata sacerdos,
Troianam soli cui fas vidisse Minervam.

P. Ovid. l. 3. Fastor.

Decidit ante sacros lanea vitta focos.

Idem l. 6. Fastor.

Nullaque dicetur vittas temerasse sacerdos.

Allusere poetæ. Virgil. l. 2. Æneid.

Virgineas ausi divæ contingere vittas.

Valer. Flacc. Argonautic. l. 8.

Vltima virgineis tum flens dedit oscula vittis.

Nec Vestales modo vittatæ, sed & aliæ sacerdotes. C. Tacit. l. 1. Annal. *Sacerdos apud aram Vbiorum creatus, ruperat vittas.* Virgil. l. 3. Æneid.

Rex Anius, rex idem hominum Phœbique sacerdos,
Vittis, & sacra redimitus tempora lauro.

Aurel. Prudent. in Romano Martyre:

Summus sacerdos nempe sub terram scrobe
Acta in profundum consecrandus mergitur,
Mire infulatus, festa vittis nectens tempora.

Denique est hæc vetus Inscriptio:

MANSIONES. PALATINORVM. SALIORVM. A. VETERIBVS. OB. ARMORVM. MAGNATIVM. CVSTODIAM. CONSTITVTAS. LONGANIMITATE. NEGLECTAS. PECVNIA. SVA. REPARAVERVNT. PONTIFICES. VESTÆ. VV. CC. PROMAGISTRO. PROTIACILII. LVCILII. PRÆTEXTATI.

CAPVT XIII.

De Neptuno.

NEPTVNVM à *nubendo* dictum putavit *Varro*, quod nubat, id est, operiat terras, quod idem scribit *Arnobius*. At *M. Cicero* à *nando* vocatum existimat. A Græcis dictus Ποσειδῶν, quod pedibus terram quatiat, quamquam alii alias hujus appellationis rationes afferant, quas hic prætereo.

Fuit NEPTVNVS Saturni & Rheæ filius: qui cum navigandi artem invenisset, classem instituisse, ejusque præfectus à *Saturno* factus esse dicitur. Quapropter traditum est posteris *Neptunum* imperasse mari, sacraque ei à navigantibus facta. Addunt etiam *Neptunum* equos primum domuisse, artemque equitandi ab illo traditam: ex quo *Hippius* sit appellatus. *Diodorus* lib. 6. cap. 15. Hic à primo Vrbis exordio à Romanis cultus fuit, *Dionysio*, *Livio*, *Plutarcho*, aliis minorum gentium auctoribus, cognomine *Consi*, quod ei fuit inditum à *consiliis dandis*. Sunt tamen qui *Consum* diversum à *Neptuno* faciant, videlicet *Deum consilii*, à quo Romulus consilium de rapiendis Sabinis acceperit. *Aurelius* Augustinus *Consum* à consilio dando denominatum ait. *Cyprianus*, Romulum dicit *Consum* Deum fraudis, velut consiliorum Deum coluisse *Arnobius* in 3. adversus Gentes lib. *Consum* dictum putat, quod salutaria & fida consilia nostris suggerat cogitationibus. Cum etiam *Dionys.* lib. 2. docet, quosdam *Neptunum* & *Consum* eundem Deum, quoidam diversos eos fecisse. Verum utut hæc sint, non anxie laborandum nobis est. *Conso*, teste *Dionysio*, ara subterranea fuit constructa juxta Circum maximum: in qua sacra ipsi fiebant *Consualibus*, de quibus agemus suo loco. Ideo autem hujus Dei ara subterranea erat, ut significaretur consilia occulta esse oportere, *Plutarchus*.

EQVESTER NEPTVNVS dictus est Græce *Hippius*, quia primus equos domuisse, artemque equitandi tradidisse fertur, quemadmodum ex *Diodoro* audivimus.

REDVCIS NEPTVNI mentio extat in antiquis nummis quorum unum hic subjecimus, litera P not.

Templum NEPTVNI Romæ fuit in regione Vrbis IX. item ædes, cujus meminit *P. Victor.*

NEPTVNO addunt SALACIAM & VENILIAM. *Salaciam* quidam putant *Neptuni* uxorem fuisse, sic dictam à *salo*, quod salum moveret, teste *Varrone*. *Festus*. *Salaciam* dicebant Deam aquæ, quam putabant *salum* ciere, hoc est mare movere. *Augustinus* ex Varrone lib. 7. cap. 22. scribit, *Veniliam* undam esse, quæ ad litus venit, *Salaciam* undam, quæ ad salum redit. *Ioseph. Scæliger* in appendice ad conjectanea in Varronem: *Venilia*, inquit, est accessus seu exæstuatio maris: *Salacia* recessus. *Varro*, ut citatum reperi, *Venilia* unda, quæ ad litus venit: *Salacia*, quæ ad salum redit. Atque ita quidem Romani vocabant maris reciproca incrementa, aut decrementa. Sed postquam in Oceanum Germanicum penetrarunt (quod primus *Drusus Germanicus* fecit) Germanicis nominibus veterum Saxonum ea vocarunt, pro *Venilia Malinam*, pro *Salacia Lidunam* dicentes. Atque ita quidem scriptum reperi in veteri libro Bedæ Anglosaxonis. Hæc ipse. Paulo post addit, *Veniliam* & *Salaciam* significare accessus & recessus maris quotidianos: *Malinam* & *Lidunam* etiam lunaria Oceani incrementa, & decrementa, &c. Atque tantum de his. Dicendum etiam de aliis marinis Diis, & Nymphis, &c. sed cum ad Græcam potius historiam pertineant, nos hic ea prætermittemus: *Ægeriæ* tantum & *Iuturnæ*, quæ à Romanis cultæ fuerunt, mentionem facientes.

ÆGERIAM nympham Numæ Pompilii Regis uxorem ajunt fuisse. Sic enim de ea *Dionys.* libr. 2. Fabulantur congressum Numam sæpius cum *Ægeria* nympha, cujus è præceptis hauserit regiam prudentiam. Alii non *Nympham*, sed unam Musarum palam ad eum ventitasse perhibent. Addit deinde *Dionysius* narrationem, quo facto Numa Romanis parum credulis suum cum *Ægeria* congressum probarit. Cum, inquit, prisci illi Quirites parum creduli, pro figmentis haberent, quæ audirent de Diis, ajunt noluisse Numam eis manifesto signo facere fidem suæ cum numinibus consuetudinis, *Ægeriaque* jubente vocasse domum præcipuos civium, ostensaque vili supellectile, atque apparatu, qui non caperet frequens convivium, tunc dimissos, invitasse ad cœnam sub vesperam, quibus ad conditam horam reversis, ostendisse lectisternia splendida, mensasque refertas multis egregiis poculis, ac mox discumbere jussis, epulum præbuisse instructum omnigenis ferculis, qualia nemo facile pararet quantumvis longo tempore. Romanos vero attonitos, tam vario spectaculo constanter posthac opinatos, Deam quampiam cum illo familiariter degere. Hactenus ille. Plura de *Ægeria Plutarchus* & alii habent.

Huic ædem Romani extruxere, cujus meminit *P. Victor*. Dicatus ei & lucus fuit, quem, ut ait *Livius*, medium ex opaco specu fons perenni rigabat aqua, qui lucus Camœnis sacer erat. *Pompeius Festus Ægeriæ* lucum juxta portam Capenam constituit. *Ovidius* libro Metamorphoseon 15. *Ægeriam* inducit in fontem mutari à Diana. De *Ægeria* sive *Egeria* cui sacrificabant prægnantes, suo dicemus loco.

IVTVRNAM Nympham *Varro* scribit dictam fuisse, quæ juvaret. Itaque multos ægrotos propter id nomen aquam petere è fonte *Iuturna* solitos. *Servius* in Virgilium: *Iuturna*, inquit, fons est in Italia saluberrimus, juxta Numicum fluvium, cui nomen à *juvando* inditum est. De hoc autem fonte Romam ad omnia sacrificia aqua afferri consueverat. Tradunt alii, *Iuturnam* in lacu submersam ei nomen indidisse.

Ædes ejus Romæ fuit ad aquam virginem, ut ait *P. Victor*, in regione Circi Flaminii. *Ovidius* in Fastis innuit, fuisse illam ædem in campo Martio prope aquam Virginem. Verba ejus sunt:

Te quoque lux eadem Turni Soror æde recepit,
Hic ubi Virginea campus obitur aqua.

PORTVMNVS etiam ab his Diis non est segregandus: de quo tamen uno tantum atque altero verbo dicam. *Portumnus*, sive, ut aliis magis placet, *Portunus*, aut geminato, *n*, *Portunnus*, Deus marinus erat, portubus præfectus. *Festus*: *Portumnus*, qui & *Palæmon*, à Romanis inter Deos colebatur. Hic alio nomine *Melicerta* dictus, de quo fabula hæc refertur. Athamas post furorem à Iunone immissum, cum occiso Learcho qui etiam *Clearchus* dictus, *Melicertam* alterum filium cum Ino uxore sua persequeretur, & illi se in mare præcipitassent, voluntate numinum in Deos versi sunt. *Melicerta* in Portumnum, qui Græce *Palæmon* dicitur, *Ino* in *matrem Matutam*, quæ Græce dicitur *Leucothea*. Historiam prolixe recitat *Ovidius* in 4. Metamorph. Ædes Portumni Romæ duæ fuerunt, utraque in XI. Vrbis regione, altera rotunda ad pontem Æmilium, olim sublicium appellatum; altera in Apollinem Cœlispicem, & Herculem Olivarium. Atque hæc tantum de his.

AD CAP. XIII. PARALIPOMENA.

De Neptuni sortitione.

Sortitum *Plutonem*, cum fratribus sorti hæreditatem submittere placuisset, nemo ignorat. Et prodidere Diodorus Siculus lib. 4. Bibliothec. & Homerus v. 190. lib. 15. Iliad. Serv. ad v. 143. l. 1. Æneid. *Iupiter & Neptunus, & Dis pater, Saturni & Opis filii, cum de mundi positione certamen inissent, placuit ut imperium sorte dividerent, ita effectum est, ut cœlum Iupiter, maria Neptunus, Dis pater inferos sortirentur.* Id ego corrigendum ducerem, legendumque *de mundi possessione certamen inissent.* Idem l. 10. Æneid. v. 39. *sors rerum, id est, regnum: nam per sortem inter se fratres Iupiter, Neptunus, & Pluton mundi regna diviserunt.* Vet. Scholiast. Iuvenal. ad v. 50. Sat. 13. *Cum adhuc nec Iupiter regnum cæleste teneret, nec Neptunus mare, nec Pluton infera cum Proserpina.* Lactat. Placid. ad l. 8. Thebaid. v. 196. *Claria civitas est in qua tres dii, id est, Iupiter, Neptunus, & Pluto, mundum dicuntur fuisse sortiti.* Euhemerus antiquus historicus, qui ex sacris Inscriptionibus & titulis templorum gesta

gesta deorum collegit, apud Lactantium lib. 1. Divinar. Instit. cap. 11. *Ajunt Iovi cælum obtigisse, Neptuno mare, Inferna Plutoni. Cur non terra potius in sortem tertiam venit?* Sic intellige poëtas. Cl. Claudianum l. 1. de Raptu:

Tertia supremæ patior dispendia sortis.

Valer. Flacc. l. 1. Argonaut.

Tuque fretum, divosque pater sortite biformes.

Sil. Italic. l. 17. Punicor.

——— *Cujus proles terramque fretumque*
Sideraque & manes, regnorum sorte gubernat.

P. Virgil. in Ætna:

——— *Sors data cælo*
Prima, sequuta maris, subsedit quæ infima tellus.

Alb. Tibull. l. 3. eleg. 5.

Parcite pallentes umbras quicumque tenetis,
Duraque sortiti tertia regna Dei.

D. Auson. in Mosella:

——— *Haud ille finit, cui cura secundæ*
Sortis, & æquorei cessit tutela tridentis.

Tellus ad Iovem apud Ovidium l. 2. Metamorph.

——— *Cur illis tradita sorte*
Æquora decrescunt?

L. Sen. Hercule Oetæo:

Et si placerent tertia sortis loca
Regnare poteram.

Quod tamen factum negat Callimachus in hymno Iovis. Quod licet fabulosis poëtarum involucris traditum sit, non caret tamen antiquitatis insigni ratione. Nam *regna olim sorte inter hæredes dividebantur.* Id Alexandri successores, mortuo eo fecerunt, Plutarch. in Eumene. Et Augustus, Antonius, & Lepidus, *orbis terrarum imperium sorte inter se sunt partiti.* Appian. bellor. Civil. lib. 1. quin imo & Apostoli in omnes mundi partes cum Euangelii luce missi, *provincias sorte elegerunt.* Ruffin. histor. Ecclesiast. lib. 10. Id consuetudinis Persicæ fuisse docemur ex Paulo Orosio l. 2. cap. 8. *Anno ab urbe condita 245. Darius, Cyro apud Scythas interfecto, post aliquantum intervallum, sorte regnum adeptus est.* Quod idem inter Græcos prodidere Herodot. lib. 3. & ex illo Polyænus stratagemat. l. 7. iisque posterior Ammian. Marcellin. libr. 23. Gothos idem factitasse videri posset ex Sidonio Apollinare lib. 6. Epist. 6. *Limes Gothicæ sortis.* Et libr. 8. epist. 3. *Promotæ limitem sortis.* lib. 9. Epist. 5. *Diversarum sortium jure revocaremur.* In Italia idem juris observatum. Vell. Patercul. l. 1. cap. 1. *Per hæc tempora Lydus & Tyrrhenus fratres cum regnarent in Lydia, sterilitate frugum compulsi, sortiti sunt, uter cum parte multitudinis decederet patria, sori Tyrrhenum contigit.* Eadem Servius ad l. 2. Æneid. v. 161.

——— *Vbi Lydius arva*
Inter opima virum leni fluit agmine Tibris.

Et ad illud l. 8. Æneid.

——— *Lydia quondam*
Gens bello præclara.

Denique & in Græcia invaluisse testes sunt Etheocles & Polynices, qui regnum Thebarum sortis arbitrio inter se diviserunt, ut est apud Diodorum Siculum l. 5. c. 6. & Euripides in Phœnissis. Quod voluntate patris factum narrat Iulius Hyginus Fabular. cap. 67. L. Sen. Thebaid. Act. 2.

Iam regna repetens frater ex pacto venit.

Stat. Papin. l. 1. Thebaid.

——— *Iam sorte cadebat*
Dilatus Polynicis honos.

Et lib. 2. Thebaid.

Quippe animum subit illa dies, qua sorte secunda
Fratris, Eehionia steterat privatus in aula.

Et eodem libro postea:

Quæ sors justa mihi, quæ non indebitus annis
Sceptra dicavit honos, teneo.

Idem in dividendo Mycenarum regno Atreus & Thyestes admiserunt. L. Sen. Thyeste Act. 1. in choro:

Alternæ scelerum ne redeant vices.

Plura dicam infra l. 4. cap. 11. ubi de Neptunalibus, sive Neptuni feriis agetur.

CAPVT XIV.

De Genio.

Sequitur inter Deos selectos GENIVS, de quo non omnes idem sentiunt. *Sextus Pompeius Festus: Genium* appellabant Deum, qui vim obtineret rerum omnium gerendarum. Aufustius, *Genius*, inquit, *est Deorum filius, & parens hominum, ex quo homines gignuntur, propter ea Genius meus nominatur, quia me genuit.* Sunt qui dicant, duodecim signa cœlestia esse *Genios*, universaliores scilicet. Nam alioqui suus est cuique loco *Genius* quem ei faciunt præsidere. quin & unicuique hominum *Genius* est. *Aurelius Augustinus: Genius* est Deus, qui præpositus est, ac vim habet omnium rerum gignendarum. Et paulo post Varronem affirmare dicit, *Genium esse uniuscujusque animum rationalem, & ideo esse singulos singulorum.* Geniorum etiam meminit præter alios multos *Ammianus Marcellinus*, plurimis verbis. *Servius* Grammaticus triplices *Genios* facit, in 1. Georgicorum Virgilii: *Genium*, inquit, dicebant antiqui, naturalem Deum, uniuscujusque loci, vel rei, aut hominis, De *Genio* hominis sic *Censorinus. Genius* ita nobis assiduus observator appositus est, ut ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab utero matris acceptos, ad extremum vitæ diem comitetur. Appellatum autem hoc numen *Genium* ait, sive quod in ejus tutela ut quisque natus est vivit: sive quod ut generemur curet: sive quod una gignatur nobiscum: sive etiam quod nos genitos suscipiat, ac tueatur. Cæterum veteres unicuique hominum duos *Genios* attribuebant, alterum bonum, alterum malum; non aliter atque nos ex sacris literis edocti scimus, unumquemque suum *Angelum* custodem habere, & contra malum Angelum, infidiatorem. Docet id præter alios *Servius* Grammaticus in hoc Virgilii, *Quisque suos patimur Manes:* Cum nascimur, inquit, duos *Genios* sortimur, unus est, qui hortatur ad bona; alter, qui depravat ad mala, nec incongrue dicuntur *Genii*, quia cum unusquisque genitus fuerit, ei statim observatores deputantur: quibus assistentibus post mortem aut asserimur in meliorem vitam, aut condemnamur in deteriorem: per quos aut vacationem meremur, aut reditum in corpora. Ergo *Virgilius* Manes, *Genios* dixit, quos cum vita sortimur. *Censorinus* scribit à nonnullis binos *Genios* in his duntaxat domibus quæ maritæ essent, colendos creditum esse. Alii *Genios* proprie masculis, Iunones fœminis affirmarunt, qua de re alibi erit dicendi locus.

Simu-

Simulacrum *Genii* fuit varium, interdum effingebatur imagine ſerpentis: interdum puerili, vel juvenili forma: interdum etiam ſenis, ut apud Cebetem. Coronabatur verò *Platani* foliis, utpote arboris genialis. *Albius Tibullus* poëta ita eum ſuis verſibus exornat:

Ipſe ſuos adſit Genius viſurus honores,
Cui decorent ſanctas florea ſerta comas.
Illius è puro deſtillent tempora nardo,
Atque ſatur libo ſit, madeatque mero.

In vetuſtis nonnullis monetis Traiani & Adriani, aliorumque Principum, *Genius* pateram dextra ſupra aram porrigere, quæ ara eſſet ſertis ornata: læva verò manu propendulum flagellum, vel ſimile quiddam tenere videbatur.

GENIO res ſacra fiebat mero, ac floribus, cujus rei cauſam explicant *Varro* & *Cenſorinus*, his ferè verbis: id moris inquiunt, inſtitutique majores noſtri tenuerunt, ut cum die natali munus annale *Genio* ſolverent, manum à cæde & ſanguine abſtinerent, ne die, qua ipſi lucem accepiſſent, aliis demerent. Et addit *Cenſorinus*, quod ſacro Genio facto, neminem oportuerit ante guſtare, quam eum, qui ſacrum feciſſet.

De geniis plurima habet *Plurarchus* in eo Commentario, in quo diſputat, cur oracula edi deſierint, ubi etiam docet alium *Genium* alio & virtute, & ſapientia, & viribus præſtitiſſe.

In deſcriptione XIV. regionum Vrbis mentio fit ædiculæ *Genii Liberorum*, & ædiculæ *Genii Larium*, regione VI. Sacelli *Genii* Sangi regione VII. A quibus autem condita fuerint, mihi non liquet. Hactenus de *Genio* diximus, quibus antequam ad alia accedamus, adjiciemus, quædam de *Penatibus* & *Laribus*, quia vicina numina fuerunt. Ac de *Penatibus* primum.

PENATES.

PENATES, quaſi *penites*, quod penitiſſimi Dii ſint & proprii. *Macrobio* illorum ſententia placet, qui *Deos Penates* dixerunt, per quos penitus ſpiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi poſſidemus. Itaque *Penates* ſunt præſides & cuſtodes Dii. *Cicero* exiſtimat *Penatium* nomen à penu dictum eſſe, quod vocabulum ſignificet omne id, quo homines veſcuntur, vel ab eo, quo penitus inſideant: ex quo etiam *Penetrales* à Poëtis dicantur. Varia *Penatium* genera fuerunt. Alii *Penates* totius generis humani, quales putarunt eſſe *Pallada* ſummum æthera, *Iovem* medium æthera, & *Iunonem* infimum: alii *Penates cœli*, ut *Martianus Capella* in nuptiis ludit: alii terræ, alii cujuſque civitatis: alii cujuſque domus. Sed ut de *Penatibus* dicam, quos Æneas in Italiam portavit, quorumque templum in octava Vrbis regione collocatur, quinam illi fuerint, inter auctores non convenit: alii enim volunt *Neptunum* & *Apollinem* eos eſſe, de quibus legitur, quòd muros Trojanos extruxerint: alii *Veſtam* dicunt: alii alios. *Dionyſius Halicarnaſſæus* refert, ſe vidiſſe Romæ in templo obſcuro & humili, quod non procul à foro abſit, ſimulacra Deorum Trojanorum, cum hac inſcriptione, *Denates*, per quod vocabulum *Penates* intelligat, quia veriſimile ſit, veteres antè inventum P. pro eo literam D. uſurpaſſe, Fuiſſe autem duos haſtatos juvenes, habitu ſedentium, admodum antiqui operis, & addit ſimilia horum Deorum ſimulacra, militari habitu, etiam in multis aliis templis conſpici. *Ludovicus Vives* dicit, putare ſe *Veſtam* non tam fuiſſe ex *Penatibus*, quàm *Penatibus* additum focum, & duos illos juvenes, de quibus *Dionyſius* loquitur, putat eſſe Caſtorem & Pollucem, quos tamen negat *Penates* Trojanorum fuiſſe, cùm ſub ipſum bellum Trojanum, rapta jam Helena, primùm vitæ conceſſerint. *Penatibus* & *Veſtæ* Dictator, cæterique Magiſtratus Romani, quo die dignitatem inibant, ſacra faciebant.

LARES.

LARES ſunt Dii domeſtici: unde & pro ædibus ipſis accipiuntur, atque hinc *Lar familiaris*, qui ab antiquis, teſte *Plauto*, in canis figura efformabatur. Fuerunt *Lares* Maniæ filii quemadmodum *Varro* & *Macrobius* docent. *Ovidius* in Faſtis, Mercurii & Laræ Nymphæ, quæ & *Muta* dicta eſt, filios eos facit. *Lactantius* & *Auſonius* Larundæ. De *Lara* verò, ſive *Larunda*, hæc fabula narratur, quòd Nympha hæc Tiberiona fuerit, cui ab Iove lingua ſit abſciſſa, quòd *Iuturnæ* cum Iove concubitum Iunoni indicaſſet. Quæ cùm poſtea à Iove Mercurio tradita eſſet, ut ad inferos eam deferret, Mercurius inter eundum forma puellæ illectus, rem cum ea habuit, unde nati ſunt gemini *Lares*. *Arnobius* ſcribit *Lares* vicorum atque itinerum Deos eſſe, ex eo, quòd Græci vicos cognominant *Lauras*. *Nigidius* modò tectorum, domuumque cuſtodes, modò *Curetas* illos, qui occultaſſe perhibentur æribus Iovis vagitum, *indigetes Samothracios*. De ſimulacris ipſorum *Plutarchus* ſcribit, *Laribus*, quos propriè *Præſtites* vocant, canem aſſiſtere: ipſoſque *Lares* canina pelle veſtiri, ejuſque rei hanc ponit cauſam: cum ſcilicet cuſtodiæ & curæ domus committantur, convenire eos alienis terrori, domeſticis autem manſuetos, qualis ſit natura canum. Addit & alteram cauſam, quòd *Lares* à quibuſdam putentur eſſe *Genii* quidam diri, ac furiarum naturæ affines ad puniendum facti, qui in vitas & familias hominum inſpiciant: itaque

canum exuviis eos veſtiri, & canem eis aſſidere, ut puta qui ſint callidi ad ſcrutandum & ulciſcendum malorum facinus. Solebant & coronari *Lares*. De cultu eorum ſuo dicemus loco.

In VIII. Vrbis regione templum, ſacellum, & delubrum *Larium* fuerunt: fuit item lucus *Larium*, & ſacellum eorundem in Velia regione X. Primus *Laribus* ædem vovit & extruxit *T. Tatius* Sabinorum Rex, teſte *Varrone*.

LARIBVS PERMARINIS in campo Martio ædem vovit bello contra Antiochum Regem *L. Æmilius Regillus*, quæ annis undecim pòſt dedicata fuit, ſupra cujus ædis valvas tabula cum hoc titulo fixa eſt: _Duello magno Regibus dirimendo * caput * ſubigendis * patrandæ pacis * hæc pugna exeunti L. Æmilio M. F. Regillo Prætori auſpicio, imperio, fœlicitate, ductuque ejus inter Epheſum, Samum, Chiumque claſſis Regis Antiochi ante diem_ XI. _Kalend. Ian. victa, fuſa, contuſa, fugataque eſt, ibique eo die naves longæ cum omnibus ſociis captæ_ XLII. _ea pugnatæ Rex Antiochus, regnumque ejus * ejus rei ergo ædem Laribus permarinis vovit._ Eodem exemplo tabula in æde Iovis in Capitolio ſupra valvas fixa eſt. Hæc *Livius* l. 40. quæ quidem miſere depravata ſunt: quæ *Carolus Sigonius* ad hunc modum ex parte reſtituit. *Permarinos* autem *Lares* vocavit L. Æmilius, quia in mari ſibi adfuerant.

Aram Laribus Præſtitibus dicavit *Curius*, quod præfuiſſent mœnibus Vrbis, auctore *Ovid.* lib. 5. Faſtor. Sed de his hactenus.

AD CAP. XIV. PARALIPOMENA.

De Genio, ejus cultu, ſacrificiis, ſtatua.

Genium virorum eſſe tutelam, & veluti præſidem ſupra expoſui, ut & mulierum Iunonem, cap. 6. hoc libro. Nunc dicendum non modo hominum, ſed & regionum, regnorum, urbiumque ſuos eſſe Genios. Plutarch. lib. de Oracul. def. τὸ τῶν δαιμόνων γένος ἐν μέσῳ θεῶν καὶ ἀνθρώπων. *Dæmonum genus in medio inter Deos & homines.* Genios exponit, & nuncios inter Deos & homines Plato apud eundem lib. de Iſide & Oſiride, Ian. Parrhaſ. in Milonianam, Servius Maurus ad v. 742. lib. 6. Æneid. *Manes* eſſe vult. Et *Genius* Larum in 6. reg. ponitur à ſexto Rufo. Q. Symmachus in Relatione ſua ad AAA. pro reſtaurando deorum gentilium cultu: *Suus cuique mos, ſuus cuique ritus eſt, varios cuſtodes urbibus cunctis mens divina diſtribuit, ut animæ naſcentibus, ita populis fatales Genii dividuntur. Et obſeſſis Hieroſolymis audita vox eſt, numen urbis alio migrare, id eſt, Genium.* Nicephor. Hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 3. c. 4. Et inter Ethnicos C. Tacit. lib. 5. Hiſtoriar. Tertull. lib. de Idololat. Anton. Delr. in Troiadas L. Sen. obſervat. Et huc trahit illud ejuſdem poëtæ Act. 1. ſc. 1. Troad.

Superique teſtes ſceleris, & quondam ſacrum
Regni jacentis.

C. Petron. in Satyr.

Peritura Troia perdidit primum deos.

Sil. Italic. Carm. 7. v. 475.

——— *Fortuna priorem*
Arripuit Genium.

Cl. Claudian. Epiſt. ad Serenam:

Quid non proficient ſcribentis voce Serenæ,
Vel Genius regni, vel pietatis amor.

Aurel. Prudent. lib. 2. in Symmachum:

Aut fatum aut Genium cujus moderamine regnant.

Aufuſtius vetus ſcriptor apud Feſtum Pompeium libr. 7. *Alii Genium eſſe putarunt uniuſcujuſque loci Deum.* Arnob. l. 1. cont. gent. *Qui Faunos, qui ſtatuas civitatumque Genios, qui Pauſas reverentur, atque Bellonas.* Vetus Lapis Viennæ cujus hæc ſunt verba:

I. O. M. IVNONI. GENIO. LOCI. HVIVS. Q. CECILIVS. SECVNDVS. LEG. C. SERENI. PROCOS. GALLIÆ. TRANSALPINÆ.
V. S. L. M.

Et alter lapis:

FORTVNÆ. CONSECRATVM. GENIO. QVE. HVIVS. LOCI. HONORATEI. IVN. TIBERINIACI. TRIB. MIL. LEG. X. C. PP. T. CLAVD. VALENTINVS. CORNICVLARIVS. EX. VOTO. AQVIL. ET. ÆMIL. COSS.

At ſi quis hic Deus ſit? diſquiramus, rem totam, Theologiamque Ethnicam aperiet Iſidorus Hiſpalenſis lib. 8. Etymologiar. cap. ultim. *Genium dicunt, quod quaſi vim habeat omnium rerum gignendarum, ſeu à gignendis liberis, unde & geniales lecti dicebantur à gentibus, qui novo marito ſternebantur.* Cenſorin. libello elegantiſſimo de die Natali c. 3. *Genius eſt Deus, cujus in tutela, ut quiſque natus eſt, vivit, ſive quod, ut generemur, curat, ſive quod una gignitur nobiſcum, ſive etiam, quod nos genitos ſuſcipit ac tuetur, certè à genendo Genius appellatur, eundem eſſe Genium & Larem multi veteres memoriæ prodiderunt, in queis etiam Gravius Flaccus, in libro, quem ad Cæſarem de Indigetamentis ſcriptum reliquit. Hunc in nos maximam imo omnem habere poteſtatem, creditum eſt. Nonnulli binos Genios in iis duntaxat domibus, quæ eſſent maritæ, colendos putaverunt. Euclides Socraticus duplicem omnibus omnino nobis Genium dicit appoſitum, quam rem apud Lucilium in libro Satyrarum nono licet cognoſcere.* Et deinde paucis interjectis: *Genius autem ita nobis aſſiduus obſervator appoſitus eſt, ut ne puncto quidem temporis longius abſcedat, ſed ab utero matris exceptos ad extremum vitæ diem comitetur.* Feſt. lib. 7. *Genium appellabant Deum, qui vim obtineret omnium rerum gerendarum.* Malim legere, ex Cenſorino ſupra, *rerum genendarum, vel rerum gignendarum.* Sequitur enim infra apud eundem Feſtum; *Genius eſt deorum filius, & parens hominum, ex quo homines gignuntur, & propterea Genius meus appellatur, quia me genuit.* Et rectiſſime Nonius Marcel. c. 2. n. 392. *Genius generis Deus.* Certe enim veteres *Geno* pro *gigno* efferebant. M. Cic. l. 2. de Orat. *Si mihi filius genitur, iſque prius moritur*, in margine erat *gignitur*. Et l. 2. de Inventione: *Si mihi filius genitur, pluresve, is mihi hæres eſto.* M. Varro Rei Ruſt. l. 1. cap. 31. *Id ex pabuli ſegete viridi ſectum, antequam genat ſiliquas.* T. Lucret. Carus l. 3. apud Priſcianum l. 10.

Totum poſſe extra corpus durare, genique.

Corrigendus idem lib. 1. in eadem dictione:

Nobis eſt ratio, ſolis, lunæque meatus
Quæ fiant ratione, & qua vi quæque genantur.

Ante malè legebatur, *quæque gerantur.* Laberius poëta in Imagine:

Genius generis noſtri parens.

Sed elegantiſſima extat apud Ammianum Marcellinum l. 21. in hæc verba diſſertatio: *Poſthæc confeſſus eſt convictoribus proximis, quod tanquam ſecretum deſolatus aliquid videre deſierit, quod interdum adfuiſſe ſibi ſquallidius æſtimabat, & putabatur Genius quidam tutelæ ſalutis appoſitus, eum reliquiſſe mundo citius digreſſurum. Ferunt enim Theologi in lucem editis hominibus cunctis, ſalva firmitate fatali, hujuſmodi quædam velut actus rectura numina ſociari, admodum tamen pauciſſimis viſa, quos multiplices auxere virtutes. Idque & oracula & authores docuerunt præclari, inter quos eſt etiam Menander Comicus, apud quem hi ſenarii duo leguntur:*

Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ τῷ γενομένῳ
Ἅπαντος ἐστὶ μυσταγωγὸς τοῦ βίου.

(Omni homini naſcenti Genius totius vitæ myſticus ductor eſt) itidem ex ſempiternis Homeri carminibus intelligi datur non Deos cæleſtes cum viris fortibus colloquutos, nec adfuiſſe pugnantibus,

vel juvisse, sed familiares Genios cum iisdem versatos, quorum adminiculis præcipuis Pythagoras enituisse dicitur, & Socrates. Et de Socratis Genio, seu Dæmone liber est Plutarchi. Q. Hor. l. 2. epist. 2. v. 187.

Scit Genius, natale comes qui temperat astrum,
Naturæ Deus humanæ, mortalis in unum
Quodque caput, vultu mutabilis.

Sacrificia illi non minus quàm aliis diis oblata, & præcipuè die natali; libatumque illi interdum mola salsa. Calphurn. Sicul. Eclog. 5.

——— *tu cespite vivo*
Pone focum, Geniumque loci, Faunumque, Laremque
Salso farre voca.

Animali hostia; idem Horat. l. 3. od. 17.

——— *Cras genium mero*
Placabis & porco bimestri.

Aut Floribus, idem lib. 2. Epist. 1. v. 144.

Tellurem Porco, Sylvanum lacte piabant,
Floribus & vino Genium, memorem brevis ævi.

Aut vino solo. A. Persius Sat. 6. in limine:

Funde merum Genio.

Aut thure. Alb. Tibull. lib. 4. de Natali Cherinthi:

Magne Geni, cape thura libens, votisque faveto,
Si modo cum de me cogitat, ille cadet.

In quo versu multiplex est lectio, alii enim legunt, *Mane veni*, alii *mane Geni.* Vt matutinum tempus potior diei pars ei nuncupetur, qui nascentibus lucis exordium præbuit. In secundo versu, legunt, *ille valet*, alii, *ille volet.* tu lector elige. Plaut. in Persa, sc. Iovi.

Nunc & amico meo prosperabo, & Genio
Meo multa bona faciam.

Idem corrigendus in Bacchidib. sc. Petulans; ut Dionysius Lambinus admonuit:

Petulans, protervo, iracundo animo, indomito, incogitato,
Sine modo & modestia sum, sine bono jure, atque honore.
Incredibilis, imposque animi, inamabilis, illepidus vivo,
Malevolente ingenio latus.

Legendum est, *Malevolente Genio natus:* quia natis infantibus custos apponebatur, ut dixi, Genius. Simili mendo laborat P. Terentius Afer Heautontim. Act. 3. sc. 1.

Aut ego profecto ingenio egregiè ad miseriam
Natus sum, aut illud falsum est, quod vulgo audio.

Rescribendum censuerat Ianus Mellerus Palmerius in Spicilegio suo, non male, meo judicio, imò necessaria correctione:

Aut ego profecto Genio egregio ad miseriam
Natus sum.

Invenio & mentionem *Genii centuriæ* in antiqua inscriptione, cujus verba apponam ex Wolfgango Lazio lib. 4. Commentar. Reip. Rom. cap. 8.

C. MARCIVS. C. F. SERE. SALVIANVS. HORBA. GENIO. CENTVRIÆ. COH. X. PR. ET. MARI. BASSI. IN. QVA. MILITAVIT. ANNIS. XIX. VOTO. SVSCEPTO. MISSVS. HONESTA. MISSIONE. PR. NON. IANVAR. Q. FABIO. CAPVLLINO. M. PLAVTO. APRO. COSS. ANIMO. LIBENS. ARAM. SVA. PECVNIA. POSVIT.

Huic Deo & in urbe votum extructumque templum, ut habetur, in Dionis Cocceiani narratione libro 50. pag. 423. ὅτι τῷ ναῷ τῷ Γενίῳ τῷ δήμου ἱδρύθη. *In templo Genii populi consedit.* Idem libro 47. in limine inter prodigia recenset, *vultures templum Genii P. R. insedisse.* Nec minus in provinciis Geniis erecta fana. Nam & Alexandriæ templum commemorat Ammianus Marcellinus lib. 22.

Inde derivata est consuetudo *Genium principis obtestandi.* L. Apulejus lib. 9. Milesiar. *Contra commilitantes, ibi nec uspiam eum delitescere, adjurantes Genium principis, contendebant.* Quod interpretatur C. Suetonius in Iulio cap. 85. *Interposito per Cæsarem jurejurando.* Eleganter C. Tacit. libr. 1. Annal. ad finem: *Rubrio crimini dabatur violatum perjurio nomen Augusti.* Minutius Fœlix in Octavio: *Est eis tutius per Genium Iovis pejerare, quàm regis:* Et Claudius neque crebrius, neque sanctius sibi jusjurandum instituit, *quàm per Augustum.* Sueton. in eo c. 11. Q. Flor. Tertullian. Apolog. cap. 28. *Citius denique apud vos per omnes deos, quam per unum genium Cæsaris pejeratur.* Et in eodem opere cap. 32. *Sed & juramus sicut non per Genios Cæsarum, ita per salutem eorum quæ est augustior omnibus Geniis. nescitis Genios dæmonas dici, & inde diminutiva voce dæmonia?* Et pauculis interjectis: *Cæterum dæmonas, id est, Genios adjurare consuevimus, ut illos de hominibus exigamus, non dejerare, ut illis honorem divinitatis conferamus.* Ita intelligendus Vlpian. *l. 12. ff. de jurejurando, si quis juraverit in re pecuniaria per Genium principis, dare se non oportere, & pejeraverit, fustibus eum esse castigandum.* Alexander Aug. *l. 2. C. de reb. cred. Etsi per principis venerationem quodam calore fuerit pejeratum, inferri non placet.* Itaque principis nomen venerationemque violare censebantur, qui per Genium ejus pejerarent. Sic accipe M. Lucanum de Pompejo suo lib. 7.

Inque Deum templis jurabit Roma per umbras.

Claud. de Bello Gildon.

——— *venerabilis illi,*
Ceu præsens numenque vocor.

Et de 6. Hon. Consul.

——— *juratur Honorius absens.*

Sed de jurejurandi formulis, authoritate, & ritu dicam infrà hoc opere abundantissimè, Deo duce. Genio huic loci sacra reduces instituebant, eumque tanquam custodem soli, ut propitius foret. rem multi inter criticos notarunt. Q. Symmach. l. 5. epist. 72. *Octava demum die, multa eluctatus itineris difficultate, Larem patrium salutavi.* Scholiast. Apollonii in fine l. 2. Argonautic. Stephan. de urbib. in βουθρωτός. Sic Æneas Italiam salutaturus lib. 7. Æneid.

——— *frondenti tempora myrto*
Implicat, & Geniumque loci, primamque deorum
Tellurem, Nymphas, & adhuc ignota precatur
Flumina.

Sil. Italic. lib. 6.

——— *Nymphas, numenque precamur*
Gurgitis ignoti.

Ovid. lib. 5. Metamorph. Fab. 1.

Cadmus agit grates, peregrinæque oscula terræ
Fugit, & ignotos montesque agrosque salutat.

M. Acc. Plaut. Bacchidib. sc. Herilis:

Herilis patria salve, quam ego biennio
Postquam hinc in Ephesum abii conspicio libens.

Et Cydippe ad Acontium apud Ovid. in Epist.

Protinus egressæ, superis quibus insula curæ,
Flava salutatis thura merumque damus.

Hanc sive tutelam, seu regionis numen, seu denique Gentium, anguis specie depingebant. Isidor. l. 12. Origin. cap. 4. angues autem apud veteres pro Geniis locorum erant habiti semper. Et sic describunt poëtæ. Virgil. l. 5. Æneid. post ambitiosam serpentis descriptionem, subdit deinde:

Incertus Geniumne loci, famulumne parentis
Esse putet.

Et non minori pompa idem non tentat modo, sed assequitur etiam Statius lib. 5. Thebaid.

Interea campis nemoris sacer horror Achæi
Terrigena erigitur serpens, tractuque soluto
Immanem sese vehit, ac post terra relinquit.

Et paucis interjectis:

Inachio sanctum dixere Tonanti
Agricolæ, cui cura loci, & sylvestribus aris
Pauper honos.

Sext. Propert. lib. 4. Eleg. 8.

Lanuvium annosi vetus est tutela Draconis.

Persius Sat. 1. & interpretes:

Pinge duos angues, pueri, sacer est locus, extra
Mejite.

CAP. XV.

De Orco; sive Plutone, & reliquis Diis inferorum, Parcis, & Furiis.

Inter Deos selectos, sive præcipuos, & *Orcus* fuit, quem ab *urgendo* dictum volunt: tametsi quidam Græcum potiùs nomen putavêre, à juramento deductum, & cum aspiratione scribunt *Horcum.* Festus. *Orcum*, quem dicimus, ait *Verrius*, ab antiquis dictum *Vragum*, quòd & V, literæ sonum pro O, efferebant, & per C, literæ formam nihilominus G, usurpabant; sed nihil affert exemplorum, ut ita esse credamus, nisi quòd is Deus nos maximè urgeat. Hactenus ille. *Orcum*, ait *Varro* apud Augustinum; terrenam & infimam partem mundi esse putabant. Hic fuit Saturni filius, Iovis & Neptuni frater, alio nomine *Pluto* nuncupatus à divitiis.

PLVTO nuncupatur à divitiis, πλοῦτος enim *divitias* significat, quas veteres solis terris deputari credebant. Extat elegans distichon, quo comprehenduntur nomina trium illorum fratrum Deorum, *Iovis, Neptuni* & *Orci*, sive *Plutonis*, & quomodo imperium paternum inter se diviserint:

Iupiter astra, fretum Neptunus, tartara Pluto,
Regna paterna tenent tres tria, quisque suum.

ORCVS sive potius ORCVM, genere neutro, dicebatur etiam locus inferorum. Cur autem veteres *Plutoni* imperium inferorum, & hominum mortuorum tribuerint, docet *Diodorus Siculus* lib. 6. cùm scribit: *Plutonem sepulchrorum, funerum, atque honorum, qui mortuis impenduntur, usum introduxisse, cùm anteà nulla eorum apud homines esset consuetudo. Quæ causa extiterit, ut vitâ functis dominari sit existimatus, antiquitate illi hujus curæ principium tribuente.* Cæterum & aliæ hujus Dei appellationes erant: dicebatur enim *Dis pater, Summanus, Altor, Rusor*, & *Februus.*

Dis appellatus est, ut ait *Cicero*, quòd terrena vis omnis ac natura ipsi dicata putaretur: nam & omnia in terras recidunt, & ex iis oriuntur. Alii tamen, ut est apud *Fabium Quintilianum*, inde *Ditem* vocatum volunt, quod minime dives sit. Mortui enim omnibus exuti bonis credebantur.

Idem etiam SVMMANVS erat, quasi *summus Manium*, cui (ut *Plinius* scribit) attribuebantur nocturna flumina. Hujus simulacrum fictile in fastigio templi Iovis Opt. Max. fuit, quòd cùm cœlo ictum esset, nec usquam ejus caput inveniretur, Haruspices in Tiberim id depulsum esse dixerunt: idque inventum est eo loco, qui est ab Haruspicibus demonstratus. Cic. de Divinat.

ALTOR dictus, quòd ex terra alantur omnia, quæ nata sunt.

RVSOR, quòd rursus cuncta eôdem revolvantur.

FEBRVVS appellatus est à purgationibus & lustrationibus funerum, de quibus alibi. Ædes Orci in x. Vrbis regione fuit.

Summani sacellum fuit in regione VIII.

Ædes autem in regione XI. quàm vovit Titus Tatius Rex, *Varrone* teste.

ORCI, sive Plutonis uxor *Proserpina* fuit, Cereris filia, cujus paulo ante in Cereris historia meminimus.

PLVTONI adduntur *Parcæ* & *Furiæ* de quibus uno atque altero verbo.

PARCAS nomen habere volunt κατὰ τὴν ἀντίφρασιν, quòd nemini parcant: & tres numerant, *Clothon, Lachesin, Atropon*; quarum *Clotho* colum teneat, *Lachesis* fusum, *Atropos* filum rumpat: vitæ cursum statumque designantes. Vnde versus ille;

Clotho colum retinet, Lachesis net, & Atropos occat.

Fulgentius; Tria, inquit, ipsi *Plutoni* destinant fata, quarum prima *Clotho*, secunda *Lachesis*, tertia *Atropos. Clotho* enim Græcè *Evocatio* Latinè dicitur: *Lachesis* verò sors nuncupatur: *Atropos* quoque sine ordine dicitur: hoc sentire volentes, quod *prima*, sit nativitatis evocatio: *secunda*, vitæ sors, quemadmodum quis vivere possit: *tertia*, mortis conditio, quæ sine lege vivit. Hæc ille. Græci aliter de *Parcis* scribunt, quæ apud *Lilium Gyraldum* videri possunt. *Hesiodus* auctor est, Noctis & Erebi filias esse, propter occultam & abdicatam fatorum vim. *Varro* apud *Agellium* lib. 3. c. 17. scribit Antiquos *Parcis* nomina fecisse à *pariendo*, & à nono atque decimo mense. Nam *Parca*, inquit, immutata litera una, à partu nominata: item *Nona* & *Decima*, à partus tempestivi tempore. *Cesellius* autem Vindex in lectionibus suis antiquis: Tria, inquit, nomina Parcarum sunt, *Nona, Decima, Morta.* Et versum hunc Livii antiquissimi Poëtæ ponit ex Odyssea:

Quando dies adveniet, quem profata Morta est.

Sed homo minimè malus *Cesellius*, *Mortam* quasi nomen accepit, cùm accipere quasi μοῖραν deberet. Atque hæc quidem ille.

FVRIÆ, etiam Græcè *Erynnies*, Plutoni deserviebant, quibus veteres commotæ mentis affectus adumbrabant, propterea que furoris Deas existimabant. Semper verò virgines etiam proverbio dictæ, quòd cùm malefactorum ultrices sint, facilè corrumpi non possint, quinetiam pœnas de delinquentibus sumunt, *Suidas.* Erant autem tres Furiæ sorores, *Alecto, Tisiphone*, & *Megæra*, quidam & quartam addunt *Lyssam*, id

est, *Rabiem*. *Isidorus* de Furiis sic scribit: Ajunt & tres *Furias* antiqui, fœminas crinitas serpentibus, propter tres effectus, qui in animis hominum multas perturbationes gignunt, & interdum cogunt ita delinquere, ut nec ad famam, nec ad periculum sui respectum habere permittant. IRA, quæ vindictam cupit. CVPIDITAS, quæ desiderat opes. LIBIDO quæ appetit voluptates, quæ ideò *Furiæ* appellantur, quòd stimulis suis mentem feriant, & quietam esse non sinant. Rectè de Furiis *Cicero* in 1. de Legibus: *Agitant & infectantur impios* Furiæ, *non ardentibus tædis, sicut in fabulis, sed angore conscientiæ*. Atque hæc quidem de Diis inferorum repetere hoc loco voluimus. Plura qui cupit, legat *Lilium Gyraldum* Syntagmate 6. historiæ Deorum Gentilium, & alios.

CAPVT XVI.

De Fortuna.

Explicatis Diis Majorum gentium, quos & *Selectos* dicebant, eorum historia nunc nobis pertexenda est, qui ex hominibus inter Deos relati sunt, quique communi nomine *Indigetes* dicuntur. De quibus tamen antequam dicere aggrediar, videor mihi non absurde facturus, si de *Fortunæ* cultu, & templis nonnihil in medium afferam, quæ licet inter *Selectos* Deos à veteribus non sit numerata, credita tamen ab iisdem vel potentissima fuit, & pluribus nominibus ornata, id quod *Iuvenalis* graviter reprehendit, inquiens:

Nullum numen abest, si sit prudentia: sed te
Nos facimus, Fortuna, Deam, cœloque locamus.

Et *Plinius* lib. 2. cap. 7. *Toto*, inquit, *mundo & locis omnibus, omnibusque horis, omniumque vocibus* Fortuna *sola invocatur, & una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & conviciis colitur, volubilis vero à plerisque & cæca existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorumque fautrix: huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium sola utramque paginam facit: adeoque obnoxiæ sumus sortis, ut* Sors *ipsa pro Deo sit, quæ Deus probatur incertus.* Hactenus Plinius. *Fortunam* definiere quidam accidentium rerum subitum, ac inopinatum eventum. Verum plurimorum & Oratorum, & Poëtarum, & aliorum Scriptorum dicta & testimonia de *Fortuna* coacervare, nobis propositum non est, reperiuntur illa alibi. Satis est scire, potentissimum id numen creditum fuisse, quemadmodum etiam servus ille Pseudolus apud *Plautum* testatur:

Centum doctúm hominum consilia hæc devincit Dea
Fortuna, atque hoc verum est, perinde ut quisque Fortuna utitur,
Ita præcellet, atque exinde sapere eum omnes dicimus.

Iam vero, quod instituimus, cognomina *Fortunæ* recitabimus, & quæ illi templa consecrata fuerint, quantum ex veterum monumentis cognoscere poterimus, ostendemus. Etenim permulta ei, quemadmodum *Plutarchus* ait, antiqua & splendida omnis generis fere honoribus posita sunt templa, & permixta partibus, ac locis Romæ potissimis.

Primus Romæ *Fortunæ* templum dedicavit *Ancus Martius* sorore Numæ natus, quartus à Romulo Rex. Videturque *Fortunam* cognomen fecisse *Fortitudini*, cui ad obtinendam victoriam *Fortuna* plurimum confert. *Plutarchus* Commentario *de Fortuna Romanorum*. Consecravit autem *Fortunam virilem*, id quod idem auctor lib. eodem docet his verbis: *Virilis Fortunæ templum ab Anco Marcio quarto Rege est ædificatum, nomenque inde petitum, quod ad Victoriam parandam Fortitudini Fortuna plurimum adfert adjumenti.* Meminit hujus templi præter alios *P. Victor* in descriptione XVI. Vrbis regionum regione.

Post Ancum religiose *Fortunam* coluit, & plurima templa ei posuit *Servius Tullius*, qui omnium regum maxime & potentiam auxit populi, & Rempublicam ornavit, ordinemque census, ordinem militiæ instituit, primusque censor & inspector vitæ ac modestiæ civium fuit; creditusque est vir fuisse fortissimus ac prudentissimus: is se ipsum ad *Fortunam* rejecit, eique regnum suum acceptum tulit: ita ut etiam cum eo consuescere *Fortuna* putaretur per fenestellam in domum ejus descendens. Is ergo *Fortunæ* templa posuit *Primigeniæ, Obsequentis, Privatæ, & Viscosæ*, quarum appellationum rationes paucis annotabimus.

PRIMIGENIÆ FORTVNÆ templum in Capitolio fuit, *Plutarcho* teste, qui in Quæstionibus Romanis causam, cur hoc nomine à Romanis colatur, inquirens; ait ideo id fieri, vel quod ejus beneficio, Servio Tullio ex ancilla nato Romæ regnum obtigerit: vel potius, quod ipsi Romæ sui ortus initia sugesserit, vel quod omnium rerum principium sit *Fortuna*, & quod natura ex eventis fortuitis constituatur, quando fortuita eventa ordinem inter se sortiuntur. *Dion.* lib. 42. scribit *Primigeniam dictam*, quod omnia quæ ante oculos, ac post se posita sint, cernat, atque expendat, moneatque debere unumquemque meminisse, à quibus majoribus ortus, qualisque ipse sit.

Fuit & alia *Fortunæ primigeniæ* ædes, vota à *P. Sempronio Consule* cum *M. Cornelio Cethego*, anno IOXLIX. bello secundo Punico, quem ipse Censor postea locavit in colle Quirinali. *Q. Marcius Ralla*, Duumvir ad id ipsum creatus, dedicavit, anno IOLV. decem annis postquam vota erat. *Livius* lib. 26. & 34.

OBSE-

OBSEQVENS FORTVNA dicta est, quasi indulgens, vel clemens. Hujus ædes fuit in regione octava.

PRIVATÆ FORTVNÆ, sive propriæ, delubrum in Palatio à Servio fuit excitatum. *Plutarchus*.

PVBLICA FORTVNA in valle Quirini, quæ inter Esquilias fuit, & Quirinalem collem culta est. *Ovidius* meminit 4. Fastor.

VISCOSA dicta, quod nos eminus captet, & rebus adhibeat. *Plutarch.* in Quæstionibus Romanis, & Commentariolo de *Fortuna* Romanorum. Ædes hæc collocatur à P. Victore in regione Vrbis.

PARVA dicta ab eodem *Servio*, vel quod initio humilis & obscurus, matre natus Captiva, *Fortunæ* beneficio ad regnum Romæ evectus fuerit: vel quod significare voluerit *Servius*, animum rebus esse advertendum, nihilque eorum, quæ offeruntur, ob parvitatem esse negligendum. *Plutarch.* in Quæstionibus Rom. quæst. 74.

MASCVLÆ FORTVNÆ ædes, quæ prope templum Veneris fuit, meminit *Plutarchus* Commentariolo de *Fortuna Romanorum*, dedicata est à Servio.

BARBATÆ FORTVNÆ ædem in Regia sua Tullius habuit.

Fuerunt & *Fortunæ, Bonæ spei, averruncæ, blandæ, convertentis, bene sperantis, & virginis* à Servio Tullio ædes extructæ, & consecratæ. *Plutarchus* in Quæstionibus Rom. quæst. 74.

DVBIÆ FORTVNÆ vicus in Aventino fuit, in regione Vrbis XIII. ut *P. Victor* tradit.

PLEBEIÆ FORTVNÆ templum etiam à Servio conditum est, quod is ex plebe ad Imperii gubernationem venerit. *Ovid.* 6. Fastor.

Plebs colit hanc: quia qui posuit, de plebe fuisse
Fertur, & ex humili sceptra tulisse loco.

FORTVNA MVLIEBRIS, culta, eique templum constitutum est, in memoriam liberatæ Vrbis ab obsidione *C. Marcii Coriolani*, intercessione *Veturiæ*, & *Volumniæ*, quam historiam prolixe describunt *Dionysius Halicarnassæus* lib. 8. *Plutarchus* in Coriolano, & alii, qui etiam annotant, *Fortunæ* hujus simulacrum, cum dedicatum esset matronis præsentibus, bis Latinè locutum esse, his verbis: RITE ME MATRONÆ DEDICASTIS. *Valerius Maximus* lib. 1. cap. 8. *Fortunæ* etiam *Muliebris* simulacrum, quod est via Latina, ad quartum miliarium, eo tempore cum æde sua consecratum, quo Coriolanum ab excidio Vrbis maternæ preces repulerunt, non semel, sed bis locutum constitit, his pene verbis: RITE ME MATRONÆ VIDISTIS, RITEQVE DEDICASTIS. Addit *Dionysius*, mulieres monitu primæ Sacerdotis hunc morem instituisse, ne simulacrum hoc à nuptis coronaretur, neque à viduis: sed ut solis recens nuptis, hoc honoris & ministerii tribueretur. Plura apud *Dionysium* vide.

EQVESTRI FORTVNÆ ædem *Q. Fulvius Flaccus* Prætor in Hispania eo die, quo postremum cum Celtiberis pugnavit, vovit: eandem Censor locavit, eoque studio fecit, ne ullum Romæ amplius aut magnificentius templum esset, qua de causa *Iunonis Laciniæ* ædem in Brutiis ad partem dimidiam detegit, ut ædem suam ornaret tegulis illis, quæ erant marmoreæ. *Livius* lib. 41. & 42. Collocatur hæc ædes à *P. Victore* in regione Vrbis IX. *Corn. Tacitus* autem lib. 3. Annal. scribit, Tiberio Romæ imperante, nullum ibi *Fortunæ Equestris* templum fuisse: quod certe mirum est.

FORS FORTVNA quæ à plerisque *Fortis Fortuna* appellatur, non recte, à *Servio Tullio* consecrata est, qui ei primus ædem fecit, extra Vrbem in ripa Tiberis, quam bello Hetrusco, vel auxit, vel restituit *Carvilius*, multòque post *Claudius Tiberius* Imperator. Hanc Deam colebant qui sine arte aliqua vivebant. Vide *Donatum* in Terentii Phormionem, & in eundem *Georgicum Fabricium*, idem hujus Romam cap. 9.

FORTVNA hujusce diei consecrata à *Q. Catulo* est, docet *Plutarchus* in Mario, de bello Cimbrico agens: Vovit *Catulus* etiam sublatis manibus, se consecraturum *Fortunam* illius diei. Ad hujus Deæ ædem signa seminuda fuisse à Pythagora Samio pictore facta, *Plinius* lib. 34. cap. 8. scribit: ubi tamen pro *Fortuna* hujusce diei, perperam legitur, *Fortuna* hujus Deæ, quem errorem observarunt, ac notarunt *Adrianus Turnebus* Adversariorum lib. 16. c. 12. & *Paulus Leopardus* Emendationum lib. 1. cap. 14. fortunæ hujusce diei etiam meminit Cicero lib. 2. de legibus.

FORTVNÆ MALÆ templum, seu (ut *Cicero* ait) ara consecrata in Esquiliis fuit, de quo apud suspectum sibi scriptorem se legisse, scribit *Livius*.

FORTVNÆ SEIÆ ædem extruxit *Nero* Imperator, de quo *Plinius* l. 37. cap. 22. A Nerone principe in Cappadocia repertus est lapis duritia marmoris, candidus atque translucens, etiam qua parte fulvæ inciderant venæ, ex argumento *Phengites* appellatus: hic construxerat ædem *Fortunæ*, quam *Seiam* appellatione dicebat, à Servio Rege sacratam, aurea domo complexus: quare etiam foribus opertis interdiu claritas ibi divina erat, haud alio, quam specularium modo, tanquam inclusa luce, non transmissa. Vnde cognomen hoc habuerit incertum.

MAMMOSÆ FORTVNÆ ædes fuit in capite viæ Novæ, à qua etiam vicus nomen accepit: dicta vel ab ubertate, vel à forma ſtatuæ.

FORTVNÆ REDVCIS templum à Domitiano factum eſt. *Martialis* lib. 8. Ara etiam Fortunæ reduci conſecrata Romæ eſt, ob reditum Auguſti. *Dion.* lib. 54. Atque de *Fortuna* hæc jam ſufficiant.

AD CAP. XVI. PARALIPOMENA.

De Fortuna Dea, ejus cultu, cognominibus, ſimulachro.

Ab Anco Martio à Romanis cultam Fortunam ex hiſtorica conſtat relatione, quam varie, docet ex infinitis ſcriptorum locis diligentiſſime collatis Andreas Tiraquellus in Alexandrum Neapolitanum lib. 1. c. 13. Lactant. Firmian. l. 3. divinar. Inſt. cap. 29. *Simulachro Fortunæ cum copia & gubernaculo fingitur, tanquam hæc opes & humanarum rerum regimen obtineat.* Suid. in voce ἀστάθμητος Franciſc. Parer. l. 1. cap. 22. alas ad inconſtantiam notandam appoſitas habebat. Q. Horat. lib. 3. od. 29.

—— ſi celeres quatit
Pennas, reſigno, quæ dedit.

Etiam ejus inconſtantia, levitas cæcitaſque tempore antiquiſſimo memorata. Ariſtot. Problemat. 8. ſect. 29. Pacuvius poëta, ut retulit lib. 2. Rhetoricor. ad Herennium ſeu Cornificius, ſeu quilibet alius, certe Ciceronis non illud eſt opus, certe varia ejus cognomina complectitur:

Fortunam inſanam eſſe, & cæcam, & brutam perhibent philoſophi.
Saxoque illam globoſo inſtare prædicant volubili,

Malim legi, *volubilem.*

Ideo, quo ſaxum impulerit Fors, cadere eo Fortunam autumant.
Cæcam ob eam rem eſſe iterant, quia nihil cernat, quo applicet.
Inſanam autem ajunt, quia atrox, incerta, inſtabilisque ſit.
Brutam, quia dignum, atque indignum nequeat internoſcere.
Sunt alii autem Philoſophi, qui contra Fortunam negent
Eſſe ullam, ſed temeritate omnia autument regi, id magis
Veriſimile eſſe ajunt, quod uſus reapſe experiundo edocet:
Velut Oreſtes modo fuit rex, modo mendicus factus eſt:
Naufragis res contigit; nempe ergo haud Fortuna obtigit.

M. Manil. Aſtronom. lib. 4. in limine:

Fortunamve ſuis in vitam prendere votis,
Aut fugere inſtantem.

C. Petron. in Satyrico:

Rerum humanarum divinarumque poteſtas
Fors.

Auſon. Epigr. 133. in Profeſſorib. Carm. 19. Eidyllio 7. & alii ſæpe. Mirum mihi, veteres quoſdam tantum potentiæ & authoritatis illi attribuiſſe, ut unicam rerum humanarum, adeoque etiam actuum noſtrorum dominam, non modo arbitram eam fingerent. Res notiſſima, & mihi dicta ad principium libri 1. in Ruffinum, apud Claudianum, cujus verſus correctione egentes apponam:

—— vacuo qui currere ſemina motu
Affirmat, magnumque novas per inane figuras
Fortuna, non arte regi, qui numina cenſet
Ambigua, vel nulla putat, vel neſcia veri.

Optime MS. meus codex:

—— qui numina ſenſu
Ambiguo, vel nulla putat, vel neſcia noſtri.

Mirum inquam, illud mihi videtur, quum in perfectiſſimo illo humani ingenii opere Homerus nuſquam ejus meminerit, quod à Ioanne Spondano obſervatum video, licet futilibus in divinum poëtam curis. Sed ante illum jam prodiderat Saliſburienſis lib. 3. Policrat. cap. 9. *Siquidem hæc* (malim legere *huic*, id eſt, Deo) *adſcribenda ſunt omnia, potius quam Fortunæ, quæ aut ab ipſo, aut quod magis reor, omnino non eſt. Ait enim Ethicus* (Valerius Cato:)

Noli Fortunam, quæ non eſt, dicere cæcam.

Homerus quoque in illo celeberrimæ perfectionis opere, dedignatus eſt noſſe Fortunam, adeo quidem ut in nulla parte tanti carminis nominetur; maluit enim ſoli Deo, quem Morphan nominavit, univerſa regenda committere, quam ut aliquid adſcriberet temeritati Fortunæ, quam utique ſic conſtat minime eſſe Deam, ſicut certum eſt dici & pingi cæcam. Fruſtra ergo cæcitas ejus arguitur, quæ in rerum natura inveniri non poteſt. Locus corruptus eſt; reſcribendum eſt enim hoc pacto, *maluit enim ſoli Deo, quem* Μοῖραν (id eſt, fatum) *nominavit univerſa regenda committere.* Auctor mihi ſeu conjecturæ, ſeu emendationis certiſſimæ Aurel. Macrobius lib. 5. Saturn. cap. 16. *Fortunam Homerus neſcire maluit, & ſoli Deo, quem μοῖραν vocat, omnia regenda committit, adeo ut hoc vocabulum τύχη in nulla parte Homerici voluminis nominetur. Contra Virgilius non ſolum novit, & meminit, ſed omnipotentiam quoque eidem attribuit, quam & philoſophi, qui eam nominant, nihil ſua vi poſſe, ſed decreti, ſive providentiæ miniſtram eſſe voluerunt.* Locus, quem ex Virgilio innuit, lib. 8. Æneid.

Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum.

Quod apud Homerum nomen Fortunæ non reperiri afferant illi, diſſentiunt à Pauſania, qui in Arcad. in hymno Cereris ſe ait reperiſſe id nominis, certe hodie non extat, ut præteream pleroſque non Homero, ſed alteri cuidam hymnos adſcribere. Sit penes Grammaticos diſceptatio.

Vſque adeo tamen potentia adſcripta, ut quicquid ductu alicujus Imperatoris geſtum eſſet, id *Fortunæ* daretur. Serv. ad v. 41. lib. 9. Æneid. *Fortunam, bellicum caſum*, exponit. Mamertinus Panegyrico Maximiani Aug. *Veſtræ Fortunæ, veſtræ felicitatis eſt, Imperator, quod jam milites veſtri ad Oceanum pervenere victoria.* Malim legere, *victores.* L. Flor. l. 4. Hiſtor. cap. 6. *Stabat pro partibus in victa Fortuna & ultoris, & qui vindicabatur.* Q. Horat. lib. 4. od. 14.

Fortuna luſtro proſpera tertio
Belli ſecundos reddidit exitus.

Claudian. lib. de Bello Gildon.

Si mihi tempeſtas Libyam ventique negabunt,
Auguſti Fortuna dabit.

Corripp. Præfat. operis ſui:

—— cum milite tuto
Alternas gentes domini Fortuna necaret.

Hoc ipſum alii *fatum*, nonnulli *auſpicia* appellant, utriuſque producam exempla. Q. Curt. Rufus lib. 5. *Novis initiis & ominibus opus eſt, auſpicium & imperium alii trade.* Ammian. Marc. lib. 16. *Quicquid per omnem terræ ambitum agebatur, fœlicibus auſpiciis ejus aſſignantes.* P. Ovid. l. 1. de Arte amandi:

Auſpiciis animiſque patris puer arma movebis,
Et vincet animis, auſpiciisque patris.

Claudian. de 4. Hon. Conſul.

—— civile ſecundis
Conficis auſpiciis bellum.

Et lib. de Bello Gildon.

Illius auſpiciis immenſa per æquora miles,
Non plauſtris Arctove regor.

Fata, inquam, dicuntur pro Fortuna hujuſmodi bella adminiſtrandi. Idem Claudian. de 3. Honor. conſul.

—— pugnaſtis uterque
Tu fatis, genitorque manu.

Sidon. Apollinar. carm. 5.

—— certatum eſt jure magiſtri,
Auguſti fato.

Atque etiam abſente duce proſpere geſta, ejus fortunæ imputabantur. C. Sueton. in Auguſto cap. 21. *Domuit autem partim auſpiciis ſuis, Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam.* Ita eſt, ut puto, *Fortuna*, quæ in vetuſtis marmoribus, SALVTARIS vocatur, ut ex fragmento iſto apparet; quod reperiri apud Fr. Modium Novantiquar. lection. Epiſt. 5.

FORTVNIS. SALVTARIBVS..... ÆSCVLAPIO. HYGIÆ..... Q. VENIDIVS. RVF.....
MARIVS. MAXIM..... CALVINIANV.....
LEG. LEG. I. M. P..... LEG. AVG..... PR.....
PROVINC. CI..... C..... D....

Sed jam celebriora ejus cognomenta exequar: ac primum à loco, in quo colebatur, *PRÆneſtina*, vocata. Vet. Scholiaſt. Iuvenal. Sat. 14. v. 90. *Apud Præneſte & Fortunæ & Herculis habent ædes: aut certe quod in Capitolio, poſt ædem Dianæ & Iovis, ſecundam de miraculo operis habent gloriam Fortunæ atque Herculis ædes. Fortunæ apud Præneſte ædem pulcherrimam ferunt fuiſſe.* Suet. Domitian. c. 15. *Præneſtinæ Fortunæ ſortem lætam dare aſſueta.* T. Livius 5. Decad. l. 2. in principio. Itaque cenſeo Herculem cum Fortuna ſimul cultum, ut fortitudo caſibus fortuitis conjuncta cernatur, Iuvenal. ibidem 20.

—— Vincens Fortunæ aut Herculis ædem.

Papin. lib. 1. ſylv. 3.

Quod ni templa darent alias Tyrinthia ſortes,
Et Præneſtinæ poterant migrare ſorores.

Sil. Italic. lib. 8.

—— ſacriſque dicatum
Fortunæ Præneſte jugis.

M. Lucan. lib. 2.

—— vidit Fortuna colonos
Præneſtina ſuos cunctos ſimul enſe reciſos.

Regia Fortuna, quæ in interiori principum cubiculo colebatur. C. Tacit. l. 15. Annal. *Nero præcepit, ut effigies Fortunarum aureæ in ſolio Iovis Capitolini collocarentur.* Iul. Capitolin. in Antonino Pio. *Fortunamque auream, quæ in cubiculis principum poni ſolebat, tranſferri ad eum juſſit.* Idem in Antonino Philoſopho: *Signo Æquanimitatis Tribuno dato, Fortunam auream, quæ in cubiculo ſolebat eſſe, ad Marci cubiculum tranſire juſſit.* Forte eadem eſt cum illa quam *Publicam* lego apud L. Senecam lib. 1. de Ira c. 11. *Habuit in conſilio Fortunam publicam.*

Obſequens P. Victor in 1. Reg. L. Sen. in Octavia Act. 2. ſc. 2.

Crede obſequenti parcius, levis eſt dea.

Hera, ſeu *domina.* Q. Ennius apud Ciceronem lib. 1. de Officiis:

Nec cauponantes bellum, ſed belligerantes.
Voſne velit an me regnare hera, quid ve ferat fors,
Quorum virtuti belli Fortuna pepercit.

In MS. erat. *quidne ferat Fors.* Plaut. in Mercatore Act. 5. ſc. 2. in limine:

Divum atque hominum quæ ſpectatrix, atque hera
Eadem es hominibus.
Spem ſperatam quum hanc obtuliſti mihi, grates ago.

Equeſtris. De qua I. Lipſius in Commentar. ad lib. 3. Annal. C. Taciti.

Redux: quam celebratam reditu ducum exercituumque victorum conſtat ex Claudiano de 6. Hon. conſul.

Aureæ Fortunæ reduci ſi templa priores
Ob reditum vovere ducum, non dignius unquam
Hac dea, pro meritis, amplas ſibi poſceret ædes.

Fortis. Iul. Obſequens lib. de Prodig. c. 38. *Romæ intra cellam fortis Fortunæ, de capite ſignum, quod in corona erat, in manus ſponte ſua prolapſum.* P. Ovid. lib. 6. Faſtor.

Quam cito venerunt Fortunæ fortis honores.

Muliebris. D. Auguſt. de Civit. Dei lib. 4. c. 19. ejus imago ſæpius loquuta. Plutarch. l. de Fort. Romanor. Valer. Maxim. lib. 5. cap. 2. tit. 2. *Super hoc ædem & aram Fortunæ muliebri in eo loco, quo Coriolanus exoratus fuerat, faciendam curavit.* Fuit ergo hujus ædes extra urbem, non intra urbis pomœrium. Addendum eſt iſtud; *Fortunam hanc muliebrem à bis neptis non potuiſſe coronari*, ut loquitur Servius ad illud lib. 4. Æneid.

Huic uni forſan potui ſuccumbere culpæ.

Proſpera, ſeu fecunda. Ælian. var. Hiſt. lib. 13. cap. 43. aliique paſſim. Stobæus ſerm. 105. Cebeti Thebano in Tabula eſt ἀγαθὴ τύχη, id eſt, *bona Fortuna.*

Comitem hanc *Fortunam Fidei* faciebant, Horat. l. 1. od. 35.

Te ſpes & albo rara Fides colit
Velata panno.

Quod, ut Ovid. loquitur, *cum Fortuna ſtetque cadatque fides.* Sive quod dubii amici Fortunæ faventioris ſequantur nutum. Suid. in voce ἀγχίστροφοι. Nam *Fides conſilia, Fortuna opes ſignat, Fides, ut velit, Fortuna, ut poſſit promiſſa implere, vel Fortuna, de noſtris poſſeſſionibus, Fides, quantum nobis creditur ab inimicis.* Serv. ad l. 9. Æneid. v. 260. C. Petron. Satyr.

Cum Fortuna manet, vultum ſervatis amici,
Cum cecidit, turpi vertitis ora fuga.

Corrige mecum; *Cum cedit.* Cedere enim, id eſt abire, & redire dicitur Fortuna. Viri docti authoritatibus confirmarunt.

CAPVT XVII.

De Diis Indigetibus.

CICERO ſecundo *Nomotheſiæ* ſuæ lib. leges de religione ferens, tres Deorum claſſes, quibus divini honores & cultus tribuendi eſſent, facit: *primam* eorum, qui cœleſtes ſemper ſint habiti: *alteram* eorum, quos merita in cœlum vocarint: *tertiam* Divarum, propter quas detur aſcenſus in cœlum. Hæc enim ſunt ipſius verba: *Divos & eos, qui cœleſtes ſemper habiti ſunt, colunto: & illos, quos in cœlum merita vocarint: Herculem, Liberum, Æſculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum. Aſt illa, propter quæ datur homini aſcenſus in cœlum, mentem, virtutem, pietatem, fidem, earumque laudum delubra ſunto.* Cum igitur de prima Deorum claſſe hactenus ſatis multa attulerimus, conſequens eſt, ut de altera etiam & tertia claſſe quædam proferamus. Et quidem de alterius claſſis Diis hoc capite agere propoſitum nobis eſt, qui dicti ſunt *Indigetes*, vel quod nullius rei egerent, ſecundum *Lucretium*, vel quod in Diis agerent, qui ex hominibus ad divinitatem perveniſſent. Sic *Gloſſarium* vetus, teſtante *Scaligero*: *Indigetes* ἡμίθεοι κεκρῖται. Alii alias appellationis rationes afferunt, quas hic omitto. Feſtus *Indigetes* Deos putat eſſe eos quos *indigetari*, hoc eſt, *vocari*, & nuncupari nefas ſit. Sed nos de iis tantum dicemus, qui ex hominibus Dii facti ſunt, quales apud Romanos fuerunt, *Hercules, Faunus, Carmenta, Evander, Caſtor, Pollux, Æſculapius, Acca Laurentia, Quirinus.*

DE HERCVLE.

HERCVLEM dictum volunt * *Macrobius* lib. 1. Saturnalium, cap. 2.

Plures autem hoc nomine fuerunt. *Diodorus Siculus* tres numerat, *Cicero* ſex, *Terentius Varro* quadraginta quatuor fuiſſe ſcribit. *Ciceronis* verba ex 3. libro de Natura Deorum hæc ſunt: Plures, inquit, *Hercules* tradunt nobis ii, qui interiores ſcrutantur, & reconditas literas. Antiquiſſimum Iove natum, ſed

ſed antiquiſſimo item Iove. Nam *Ioves* quoque plures in priſcis Græcorum literis invenimus. Ex eo igitur & Lyſito eſt is *Hercules*, quem concertaviſſe cum Apolline de tripode accepimus. *Alter* traditur Nilo natus Ægyptius, quem ajunt Phrygias literas conſcripſiſſe. *Tertius* eſt ex Idæis Dactylis, cui inferias afferunt. *Quartus* Iovis eſt & Aſteriæ Latonæ ſororis, quem Tyrii maxime colunt, cujus Carthaginem filiam ferunt. *Quintus* in India, qui *Belus* dicitur. *Sextus* ex Alcmena, quem Iupiter genuit, ſed tertius. Hactenus Cicero. De hoc *Hercule*, quem ille ſexto loco commemorat, ejuſque natalibus, videatur *Plauti Amphitryo*, & *Hyginus*. Meminit ejus & *Diodorus Siculus* libro 5. cap. 2. cujus hæc ſunt verba: Iovem, inquit, ferunt tribus noctibus in unam redactis, (alii duas tantum ponunt) Alcmenæ operam dediſſe, maximumque futuri roboris indicium, tantum temporis in eo puero creando impenſum. Quod non amoris cupiditate, prout in aliis mulieribus contigit factum eſt, ſed pueri gignendi gratia. Itaque nolens vi Alcmenam aggredi, neque fidens poſſe illi coitum, ob ejus prudentiam, perſuadere, dolo mulierem aggreſſus eſt, Amphitryonis forma aſſumpta. Adveniente partus tempore Iovem Diis aſtantibus, prædixiſſe ferunt, ea die puerum, qui naſceretur, ſe perfidarum regem facturum. Quibus verbis mota Iuno, Lucinam filiam juſſit comprimere Alcmenæ partum, Euryſtheum ante tempus in lucem educere. *Iupiter* licet conſilio fruſtratus, quod prædixerat ratum, & *Herculis* famam claram eſſe volens, dixiſſe Iunoni fertur permittere ſe, *Euryſtheum*, ut prædixerat, Regem eſſe, *Herculemque* ei ſubjici velle: duodecim quoque certamina ab eo perfici quæ *Euryſtheus* mandaſſet: quibus conſummatis fieret immortalis. *Alcmena* poſt partum Iunonem verita, puerum in loco expoſuit, quem nunc ab eo *Herculeum campum* dicunt. Quo tempore Minerva una cum Iunone profecta, cum infantis naturam admiraretur, Iunoni ſuaſit, ut illi mammam præberet. Qua, præter ætatem, violentius ſumpta, Iuno dolore mota puerum abjecit. Minerva illum matri detulit nutriendum. Hactenus *Diodorus*. Ex quibus verbis intelligitur, quomodo à Iove procreatus ſit. Cum autem tantæ virtutis hic *Hercules* fuerit, ideoque factum, ut omnes viri fortes *Hercules* dicerentur, & omnia præclara fortiſſimorum Heroum facinora uni *Herculi* adſcriberentur. De duodecim laboribus *Herculis* multa habet *Diodorus Siculus* lib. 5. cap. 2. *Hyginus*, *Servius*, & alii; & noti ſunt verſus *Auſonii*, falſo hactenus Virgilio adſcripti:

Prima Cleonæi tolerata arumna Leonis.
Proxima Lernæam ferro face contudit hydram.
Mox Erymanthæum vis tertia perculit aprum.
Æripedis quarto tulit aurea cornua cervi.
Stymphalidas pepulit volucres diſcrimine quinto.
Threiciam ſexto ſpoliavit Amazona balteo.
Septima in Augiæ ſtabulis impenſa laboris.
Octava expulſo numeratur adorea tauro.
In Diomedæis victoria nona quadrigis.
Geryone extincto decimam dat Iberia palmam.
Vndecimum mala Heſperidum diſtracta triumphum.
Cerberus extremi ſupremæ eſt meta laboris.

Quorum laborum mythologiam eruditiſſimo hoc carmine complexus eſt *Andreas Alciatus* Emblemate 137.

Roboris invicti ſuperat facundia laudis,
Dicta Sophiſtarum, laqueoſque reſolvit inanes:
Non furor aut rabies virtute potentior ulla eſt.
Continuum ob curſum ſapienti opulentia cedit:
Spernit avaritiam, nec rapto aut fœnore gaudet:
Vincit fœmineos, ſpoliatque inſignibus aſtus:
Expurgat ſordes & cultum mentibus addit.
Illicitos odit coitus, abigitque nocentes:
Barbaries, feritaſque dat impia denique pœnam:
Vnius virtus collectos diſſipat hoſtes.
Invehit in patriam externis bona plurima ab oris:
Docta per ora virûm volat, & non interit unquam.

Quos verſus eleganter & multis verbis explicat *Claudius Minos*, in ſuo ad Alciati Emblemata Commentario. Verum nos iis omiſſis, hoc loco dicemus qua occaſione à Romanis cultus fuerit. Id vero *Dionyſius*, *Livius*, *Plutarchus*, *Diodorus Siculus*, & *Aurelius Victor*, in fragmento illo de Origine gentis Romanæ, quod primus nuper in lucem protulit *Antonius Schotus*, docent: videlicet eum (fragmentum Aurelii Victoris refert, alio nomine *Recarnanum* dictum, quod ſane apud nullum alium ſcriptorem hodie legitur) Geryone devicto, armenta agentem in Italiam veniſſe, quanquam Dionyſius & *Diodorus Siculus* ipſum non armenta egiſſe, ſed cum exercitu in Italiam deveniſſe ſcribant, quod etiam eſt veriſimilius: quem ubi Euander adeſſe didiciſſet, admonitum à matre Carmenta eſſe in fatis, ut natus Iove & Alcmena *Hercules* immortalis ex mortali, virtutis ergo fieret, divinis eum dignatum eſſe honoribus, extructaque ara ei juveneum mactaſſe, oraculo prius cum hoſpite communicato, precatumque eum eſſe, ut libaret. De hac ara maxima *Dionyſius* lib. 1. Ara in qua *Hercules* obtulit, à Romanis vocatur *maxima* prope forum boarium, nulla inferior, quod ad civium venerationem attinet: nam & jusjurandum apud eam, ac conventa, quæ volunt eſſe firma peragunt, & decimas facultatum ex voto ſæpe illuc offerunt. Apparatus tamen ejus parum reſpondet opinioni hominum. De decimis, quæ *Herculi* offerebantur, ſcribit *Diodorus Siculus*, diximſſe *Herculem*, eos qui ſibi, poſtquam ad Deos tranſlatus eſſet, decimam bonorum dicarent, vitam felicem victuros. Et addit, eveniſſe hoc uſque ad ſua tempora. Multos enim Romanorum non ſolum mediocri cenſu, ſed & qui ditiſſimi ſint habiti, decimas *Herculi* voviſſe, poſteaque fortunatiores factos bona ſua ad quatuor talentorum millia *Herculi* ſacraſſe. De qua re vide etiam *Plutarchum* in Quæſtion. Rom. quæſt. 18. *Aurelium Victorem*, *Macrobium*, *Servium*, & alios. Multa hujus

hujus Divi cognomina fuerunt. Dictus eſt enim *Cubans*, *Defenſor*, *Magnus*, *Triumphalis*, *Sylvanus*, *Victor Muſarum*, quorum pleraque per ſe ſunt aperta. *Herculis Cubantis* ſimulacrum fuit in regione Vrbis XIV.

HERCVLIS DEFENSORIS templum in regione eadem fuit, in quo, ut in Iovis propugnatoris milites honeſta miſſione miſſi, & gladiatores emeriti, arma, clypeoſque ſuſpendebant.

HERCVLIS MAGNI ædes fuit in regione IX. quam *L. Cornelius Sulla* ex carmine Sibyllino ædificaſſe dicitur. *P. Victor* ædes *Herculis Magni* cuſtodis Circi Flaminii.

HERCVLIS TRIVMPHALIS ſimulachrum fuit in foro boario poſitum, quod iis diebus, quibus Romæ triumphus agebatur, triumphali habitu induebatur.

HERCVLES VICTOR dictus, quod omne genus animalium vicerit. *Varro* lib. 4. Rerum divinarum. Ejus Romæ ædes duæ fuerunt, una ad portam vigeminam, altera in foro boario. Hæc ad aram maximam extructa fuit rotunda, in quam nec ſervi, nec mulieres admittebantur. *Plutar. Aurel. Victor*, qui ſcribit ex Caſſio propterea ab *Hercule* ſancitum, ne cui fœminæ fas eſſet, veſci ex eo, quod aræ maximæ ſacratum eſſet; ſed ut ab ea re divina fœminæ in totum removerentur, quod Carmentis ab *Hercule* invitata ad id ſacrum non veniſſet. Hanc ædem nec muſcæ nec canes intrabant. *Plin.* lib. 10. cap. 29. In hac etiam æde nullum fieri lectiſternium *Macrobius* in Cornelio Balbo, & *Servius* docent.

Alteram autem *Herculis Victoris* ædem, quæ ad portam Trigeminam fuit, fortaſſe extruxit *Marcus Octavius Herennius*, de quo *Maſſurius Albinus* lib. 1. Memorabilium apud *Macrobium*: Marcus, inquit, Octavius Herennius prima adoleſcentia tibicen, poſtquam arti ſuæ diffiſus eſt, inſtituit Mercaturam: & bene re geſta, decimam *Herculi* profanavit. Poſtea cum navigans hoc idem ageret, à prædonibus circumventus fortiſſime pugnavit, & victor receſſit. Hunc in ſomniis *Hercules* docuit ſua opera ſervatum, cui *Octavius* impetrato à Magiſtratibus loco, ædem ſacravit, & ſignum: *Victoremque* inciſis literis appellavit. Dedit ergo epitheton Deo, quo & argumentum veterum victoriarum *Herculis*, & commemoratio novæ hiſtoriæ, quæ recenti Romano ſacro cauſam dedit, contineretur.

HERCVLI MVSARVM ædem extruxit *M. Fulvius Nobilior*, Cenſor anno IOLXVI. triennio poſt quam de Ætolis triumphavit, in qua *Muſarum* ſigna, quæ capta Ambracia Romam tranſtulerat, poſuit *Livius* lib. 38. *Plin.* lib. 35. cap. 10. Hanc ædem vetuſtate collapſam reſtituit *Marcius Philippus* vitricus Auguſti. *Sueton.* in Auguſto. Cur ſic dictus fuerit, *Plutarch.* docet quæſtione 59. videlicet, quod Euandrum literas docuerit. *Melius Eumenius* Rhetor oratione de Scholis inſtaurandis ad præſidem Galliæ, cujus hæc ſunt verba: *Ædem Herculis* in Circo Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecunia Cenſoria fecit, non id modo ſecutus, quod ipſe literis, & ſumma Poëtæ amicitia duceretur: ſed quod in Græcia cum eſſet Imperator, acceperat *Herculem Muſagetem* eſſe, id eſt, comitem ducemque Muſarum: Idemque primus ſigna novem, hoc eſt, omnium Camœnarum, ex Ambracienſi oppido tranſlata, ſub tutela fortiſſimi numinis conſecravit: quia mutuis operis & præmiis juvari ornarique deberent, Muſarum quies defenſione *Herculis*: virtus *Herculis* voce Muſarum. Hæc ille. De Muſis, quia notiſſima ſunt, quæ de ipſis traduntur, hic dicere ſuperſedebo.

HERCVLEVM MVSAGETEM nomen Muſas diverſo habitu repræſentat nummis *Q. Pomponii Muſæ*, quem habet in ſuis Emblematis v. c. *Ioannes Sambucus*. Reperiuntur & alia *Herculis* cognomina in veteribus lapidum inſcriptionibus, ut *Paciferi*, *Invicti*, *Olivarii*, & alia, quæ petantur ex Theſauro *Hubertii Goltzii*.

FAVNVS.

Duo fuerunt FAVNI Reges Aboriginum, teſtibus *Manethone* Ægyptio, *Dionyſio Halicarnaſſæo*, & aliis, priſcus & junior: *Priſcus* vixit circa annum mundi 2520. ſecundum Funccium, regnante apud Aſſyrios Amynta. *Faunus junior*, anno 2724. regnare cœpit. Hic Pici filius fuit, & cives ſuos ritu ferarum viventes, mitiorem vitam docuit, & primus loca certis numinibus, & ædificia quædam ac lucos ſacravit, à quo & *fana* ſunt dicta, teſte *Probo*, ideoque cum inter homines eſſe deſiiſſet, antiquitas eum tanquam Deum coluit. Sic enim *Dionyſius*: Forte tum apud Aborigenes regnum à majoribus acceptum tenebat *Faunus*, à Marte, ut ferunt, oriundus, vir fortis ac prudens, à Romanis poſt, tanquam unus Indigetum ſacris honoratus & carminibus. *Plutarchus* eum Mercurii filium fuiſſe dicit, alii vero *Picum* patrem habuiſſe volunt, quorum verior eſt ſententia. *Virg.* eum Faunorum, Satyrorum, & reliquorum agreſtium numinum patrem facit. Hic Terentius Varro *Faunos Deos* Latinorum à *fando* dictos eſſe ſcribit, propterea quod in ſylveſtribus locis ſoliti fuerunt fari, cujus rei exemplum *Dionyſius*, quod in prælio inter Hetruſcos & Romanos de reſtitutione Tarquiniorum, vox è ſylva propinqua caſtris audita fuerit, eſſe eos victores, & uno plus Hetruſcorum in acie cecidiſſe. Ibidem addit, ad hunc Deum *Faunum* Romanos ſolere referre Panicos terrores, ſpectraque variis formis formidinem mortalibus incutientia, & ab eo dicere edi horrendas voces Dæmoniacas. *Porphyrius* ſcribit, *Faunum* exiſtimatum Deum inferum ac peſtilentem. Apud *Ciceronem* Cotta omnino negat *Faunos* eſſe, aut eorum voces unquam auditas fuiſſe. Habuit hic Deus Romæ poſt Romulum templum in monte Cœlio, circulari forma multis in ambitu columnis adornatum: & ædem in inſula Tiberina, quæ *Domitius Ahenobarbus* & cui *Scribonius* Ædiles, cum multos plurimos ad populi judicium adduxiſſent ex eorum qui condemnati fuerunt, mulctaticia pecunia.

CARMENTA.

CARMENTA, quæ alio nomine *Themis*, item *Nicostrata* dicta est, mater fuit Euandri, mulier vatidica. Sic enim de ea *Dionysius* scribit: Euander Mercurii filius, & Nymphæ cujusdam Arcadiæ, quam Græci *Themin* dicunt, plenam numine. Romanarum antiquitatum scriptores *Carmentam* patria lingua nominant, quod Nymphæ nomen fatidicam significet, deductum à carmine, juxta Romanam etymologiam. Hanc mulierem affirmant Dæmonis spiritu correptam futura populo præcinere solitam. Hæc ille. *Plutarchus*, qui etiam scribit, quosdam putare *Carmentam* esse *Parcam*, aliam hujus appellationis rationem indicat, quod scilicet dicta sit *Carmenta*, quasi *carens mente*, ob instinctus divinos, quibus ad fatiloqua fundenda carmina fuerit impulsa. Romani religiose eam coluerunt: aram enim ei, ut *Dionysius* scribit, dedicarunt apud Carmentalem portam sub Capitolio. Eadem templum Romæ habuit in regione IIX. quæ dicitur forum Romanum, quod templum ei matronas dedicasse *Plutarchus* scribit, tali de causa: Cum usu vehiculorum, quibus trahendis jumenta jungerentur, Senatus matronis interdixisset, conspirasse eas inter se, neque uterum gerere se, neque parere velle, ac viros hac ratione ulcisci, idque fecisse, donec mutata sententia, usus vehiculorum iis rursus concessus fuerit. Exinde cum parerent, fœcundas, & liberorum copia claras, templum Carmentæ posuisse.

EVANDER.

EVANDER Mercurii & Carmentæ filius, eo tempore quo Hercules in Italiam venit, Aboriginum Rex fuit. *Livius* tamen eum non Regem fuisse, neque imperio, sed auctoritate magis Aborigines, rexisse, auctor est. hunc *Aborigines* primum propter excellentem ejus eruditionem, & summam sapientiam, ut *Deum* coluerunt: deinde Romani etiam divinos ei honores tribuentes, aram condiderunt, & quotannis sacrificia obtulerunt, sicut & aliis heroibus iidem fecerunt, ut testatur *Dionysius* libro primo. Ara autem ei dicata fuit apud Aventinum collem, prope portam Trigeminam.

CASTOR ET POLLVX.

Hi duo fratres fuêre, Græcis dicti *Dioscuri*, id est, Iovis filii, sive pueri. *Cicero* libro 3. de Natura Deorum: *Dioscuri* etiam apud Graios multis modis nominantur: *primi* tres, qui appellantur *Anactes* Athenis, ex Iove Rege antiquissimo, & Proserpina nati, *Tricopatreus*, *Eubuleus*, *Dionysius*. *Secundi* Iove tertio nati ex Leda, *Castor* & *Pollux*. *Tertii* dicuntur nonnullis *Alco* & *Melampus*, *Emolus*, Atrei filii, qui Pelope natus fuit. Hæc *Cicer.* de *Castore* & *Polluce* Iovis & Ledæ filiis, Helenæ fratribus varia fabula est: alii enim tradunt Iovem in formam stellæ mutatum Ledam vitiasse, & *Castorem* atque *Pollucem* genuisse: deinde *Helenam*. Alii scribunt, Iovem in cygnum conversum Ledæ congressum, & nocte eadem Tyndarum, ex Iove *Pollucem* & *Helenam* natos, ex *Tyndaro Castorem*: mortalem hunc, immortales illos. Iuvat adscribere *Hygini* hac de re verba, quæ habet in Astronomico poëtico, in olore: Iupiter, ait, cum Nemesim flectere non posset, ut secum cubaret, jussit Venerem, aquilam simularet, se in olorem versum insecuturum eam: quo facto ipse fugiens aquilam Venerem, in Nemeseos gremium confugit: quem non aversata, & consopita, ab Iove compressa est: statutoque tempore ovum peperit, quod Mercurius in gremium Ledæ projecit, ex quo nata *Helena*. *Servius* auctor est, *Helenam*, & *Pollucem* de Iove natos, immortales fuisse. Nam *Castorem* Tyndari filium fuisse, cujus mortem suo interitu fraterna pietas redemerit: & addit, hoc ideo fingi, quia horum stellæ ita se habeant, ut occidente una, oriatur altera. Plura de iis passim leguntur.

Ædem sive templum CASTORI & POLLVCI vovit, extruxitque bello Latino *A. Posthumius* Dictator, anno Vrbis CCLVII. tali de causa, cum in bello Latino cum *Octavio Mamilio Tusculano*, & *Tarquiniis* Equitibus Romanis, apparuissent duo primæ lanuginis juvenes, præstantiore statura & forma, quam quæ videri posset mortalium, præcedentes Romanum equitatum, hostemque hastis ferientes cominus, & in fugam cogentes, ac rursum post fusos fugatosque *Latinos*, & castra eorum capta, fere jam finito prælio in *Romano foro* visi essent adolescentes duo militari cultu procerissimi, & pulcherrimi vultu adhuc retinente quam in pugna habuerant speciem, & equis sudore madentibus, cumque de equis descendissent ambo, lavissentque fontana, quæ ad ædem Vestæ profluens, parvam sed profundam facit lacunam, multis eos circumsistentibus, rogantibusque ecquid ab exercitu novi afferant, pugnam indicassent, atque victoriam: degressique foro, nusquam comparuissent postea, quamvis valde quæsiti à Præfecto urbis essent. Senatus certior factus à *Posthumio* eos in prælio etiam visos esse, verisimili conjectura, credidit *Castorum* eas imagines fuisse. Ideoque templum eis constructum in foro Romano, ubi visæ sunt eorum imagines, vicinusque fons hic sacer dictus. *Dionysius* lib. 6. *Livius* lib. 2.

Hanc ædem vetustate collapsam refecit de manubiis hostium *L. Metellus*, qui subactis Dalmatis, Dalmaticus est appellatus. *Cicero* 3. Verrina, & in eandem *Asconius*, item pro M. Scauro. Quanquam autem hoc templum utrisque & *Castori & Polluci* consecratum esset, tamen vulgo plerumque *Castoris* tantum, aut

aut *Castorum* templum appellatum fuit. Vnde jocus ille *M. Bibuli* apud *Suetonium*, qui cum *C. Cæsaris* in consulatu collega esset, & cum eo communi impensa venationes ac ludos ederet, omnium autem illarum impensarum & munificentiæ *C. Cæsar* solus gratiam caperet, dixisse fertur, idem sibi evenisse quod *Polluci*. Vt enim geminis fratribus ædes in foro constituta, tantum *Castoris* vocaretur: ita suam Cæsarisque munificentiam unius Cæsaris dici, *Suetonius* in Cæsare.

ÆSCVLAPIVS.

ÆSCVLAPIOS tres fuisse *Cicero* lib. 3. de Natura Deorum docet. *Primum*, Apollinis filium, quem Arcades colunt, quique specillum invenisse, primusque vulnus obligavisse dicatur. *Secundum*, secundi Mercurii fratrem, qui fulmine percussus, Cynosuris humatus sit. *Tertium*, Arsippi & Arsinoæ filium, qui primus purgationem alvi, dentisque evulsionem invenerit, cujusque in Arcadia, non longe à Lusio flumine sepulchrum & lucus ostendatur. *Æsculapium* autem illum nobilem Medicum, *Tarquitius* de illustribus viris differens, ut est apud *Lactant.* ait incertis parentibus natum, expositum, & à venatoribus inventum, canino lacte nutritum, Chironique traditum, didicisse medicinam, fuisse autem Messenium, sed Epidauri habitasse. Hunc *Cornel. Celsus* propterea in Deorum numerum receptum esse tradit, quod medicinam adhuc rudem paulo subtilius excoluisset. Qua ratione Romæ coli cœpit, multi tradunt. Cum enim *Q. Fabio*, *Maximi filio Gurgite*, *D. Iunio Bruto Scæva* Coss. ingens pestilentia Vrbem & agros infestaret, lib. Sibyllini aditi, & quæsitum quinam finis, aut quod remedium ejus mali à Diis daretur; inventumque in libris, *Æsculapium* ab Epidauro Romam accersendum, quod paulo post factum. Missi enim Legati in Epidaurum, & ab incolis benignissime accepti, & in templum *Æsculapii* perducti, anguem, quem Epidauri pro *Æsculapio* coluerant, sponte ad Romanorum navem pergentem, Romam vexerunt, ibique templo condito coluerunt. Scribunt hanc historiam *Valerius Maximus* prolixe. *Livius* lib. 10. & *Florus* Epitome libri 11. *Orosius* lib. 3. capite 22. *Aurelius Victor* de viris illustribus: qui liber hactenus falso *Cornelio Nepoti*, item *Plinio* secundo adscriptus fuit. *Ovidius* libro 15. Metamorph. ac alii.

Templum ei Romæ conditum extra Vrbem in insula Tiberina, cujus rationem *Plutarchus* in Quæstionibus Romanis, probl. 94. reddit, & *Festus*. In Insula, ait *Festus*, *Æsculapio* facta ædes fuit quod ægroti à Medicis aqua maxime sustententur, ejusdem esse tutelæ draconem, quod vigilantissimum sit animal, quæ res ad tuendam valetudinem ægroti maximè apta est. *Canes* adhibentur ejus templo, quod is uberibus canis sit nutritus. *Bacillum* habet nodosum, quod difficultatem significat artis. *Laurea* coronatur, quod ea arbor plurimorum sit remediorum. Huic *gallinæ* immolabantur.

In hoc templo incubabant ægroti valetudinis causa, unde qui morbo levatus non erat, apud *Plautum*, his verbis incusat Deum:

Migrare certum est, jam nunc è fano foras,
Quando Æsculapi ita sentio sententiam.

Vide *Hieronymum Mercurialem* Variarum lectionum lib. 1. cap. 13.

ACCA LAVRENTIA.

Quæ ACCA LAVRENTIA, sive, ut alii malunt, LARENTIA, fuerit, & qua occasione coli cœpta, in tanta veterum scriptorum discrepantia sane obscurum est. Vix enim duos reperias, qui uno & eodem modo de ea scribant. *Plutarchus* auctor est, duas fuisse *Accas*, & utrasque à Romanis cultas: alteram *Accam Laurentiam*, quæ Anco Martio regnante, Tarrutio, sive Taruntio nobili civi nupserit, à quo forte etiam *Tarruntia*, vel *Taruntia*, sive *Tarratia* est cognominata. *Plutarcho*, qui tamen etiam non ita distincte de iis scripsit, assentitur *Varro*, si verba ejus ita, quemadmodum *Ioseph. Scaliger* emendavit, legamus. *Laurentinæ*, inquit, feriæ, is dies quem diem quidam in scribendo *Laurentalia* appellant, ab *Acca Laurentia* nominatus: cui Sacerdotes nostri publice parentant festo die: quia altera dicitur ob ditem *Taruntium Acca Taruntia*. Hos ergo auctores secuti hanc *Accam Laurentiam* Romuli & Remi nutricem esse dicemus, cui aram & ferias annuas Romulus constituerit, quæ mense Decembri sunt habitæ, sicuti alio loco dicetur. De altera vero *Acca Tarrutia*, sive *Tarruntia*, quæ eadem *Flora* à plurimis putatur, infra agemus.

QVIRINVS.

CVRIS, inquit *Festus*, Sabinis est *hasta*; unde Romulus *Quirinus*, qui eam ferebat, est dictus, & Romani à Quirino *Quirites* dicuntur. Quidam eum dictum putant à *Curibus*, quæ fuit urbs opulentissima Sabinorum, cui postremæ sententiæ etiam adstipulatur *Varro*, nisi quod addit, *Quiritium* Martem esse quemadmodum & *Servius* scribit, *Quirinum* Martem esse, qui præsit paci, & intra civitatem colatur. Sed non inepta est etiam eorum sententia, qui per *Quirinum* Romulum intelligunt, cui divinos honores tributos fuisse, & templum conditum, vel solus *Flamen Quirinalis*, cum alius sit *Martialis* testis esse potest, ne alias rationes & veterum scriptorum testimonia necesse habeam in medium afferre. De apotheosi autem

tem Romuli, sive *Quirini* eleganter *Plutarchus* in Romulo, cum populus tumultuaretur, atque vociferaretur à Patribus sublatum è medio fuisse Romulum, eisque extrema quæque minaretur, *Iulius Proculus* vir inter Patres genere, virtute, auctoritate primus, fidus Romulo in primis, & ex Albanis Colonis necessitudine & familiaritate conjunctus, procedens in forum, juratus maximum & sanctissimum jusjurandum, præsentibus ait, *Romulum* sibi, dum iter faceret, è regione obviam se obtulisse, specie ipsa & forma insigni, ut antea nunquam, ornatum fulgentibus armis, ac se priorem illum ita allocutum: *Qua injuria, ô Rex, & qua mente impulsus, nos iniquis & improbis criminibus circumventos, Vrbem orphanam in luctu & gemitu, in squalore & sordibus reliquisti?* At contra regem respondisse: *O Procule ita Diis visum, nos è cœlo dimissos, condita Vrbe imperium permaximum, & gloriam habitura, rursus in cœlum reverti: proinde bono animo sis, ac Romanis nuntia, uti prudentiam & fortitudinem colant: his artibus fore, ut amplissimam inter homines potentiam consequantur. Ego vobis Quirinus facilis, propitiusque ero Deus.* His verbis & viri auctoritate, & jurejurando fide adhibita, veluti divino quodam furore afflatis mentibus, nemo contradicere, nemo adversari, sed rejecta omni suspicione & calumnia, invocare *Romulum* votis, Deumque appellare. Et paulo post: *Quirinum* autem *Romuli* cognomen, martium ac bellicosum quiddam referre existimant: quidam ex eo dictum, quod cives *Quirites* appellarentur. Alii tradunt, veteres lanceam *Quirim* vocare solitos, ac *Curetæ Iunonis* signum in pilo sublatum. Ad hæc lanceam in Regia positam, *Martem* vocari: lancea quoque donari consuevisse illos, qui in bellis quam acriter strenueque pugnantes fortitudinis laudem meruissent: proinde effectum esse, ut Romulus, veluti *Martius* quidam *Deus*, ac pugnax, *Quirinus* diceretur. Illius fanum in tumulo *Quirino* ab eo nuncupato, constitutum est, &c. id quod etiam *Varro* testatur lib. 4. de lingua Latina. De Proculo, quæ *Plutarchus* narrat, etiam *Livius* habet, sed brevius.

Pene præteriissem de ANNA PERENNA dicere, quæ & ipsa à Romanis culta: cujusque festum maxima hilaritate celebratum fuit, uti in Kalendario in Mense Martio dicemus. Quæ autem fuerit hæc *Anna Perenna*, varie traditur. Plerique existimant fuisse sororem *Didonis*, hoc nomine appellatam: cujus etiam *Virgilius* meminit, quæ extincta Didone, & Carthagine ab Iarba Getulorum Rege occupata, relicta Africa in Melitam insulam fugerit: inde ob metum fratris Pygmalionis, navi conscensa in agrum Laurentum delata, & ab Ænea hospitio excepta fuerit: ibique in somniis à Didone monita insidias sibi à *Lavinia* Ænea uxore strui, ideo suspectum hospitium fugeret, per fenestram nocte dilapsa ad amnem Numicium venerit, ac in eum se præcipitaverit. Postridie insanis clamoribus per Laurentum agrum diu quæsita, cum præter vestigia ad fluvium usque nihil appareret, visa fuerit clamantibus ex fluvio respondere:

—— Placidi sum Nympha Numici
Amne perenne latens, Anna Perenna vocor.

Itaque deinde pro Dea coli cœperit: id quod *Ovidius* prolixe explicat, ubi etiam hoc adjicit esse, qui hanc *Annam Perennam Lunam* esse putarint, quæ *Anna* vocaretur, quod annus ex mensibus, quos motu Lunæ metimur, fiat. Alios eam unam ex *Atlantidibus*, quæ Iovi ubera præbuerit, putasse: alios *Io*: quosdam etiam *Themin*: sic enim scribit:

Sunt quibus hæc Luna est, qui mensibus impleat annum,
Pars Themin Inachiam, pars putat esse bovem.
Invenies qui te Nymphen Atlantida dicant,
Teque Iovi primos Anna dedisse cibos.

Postremo etiam hanc opinionem affert, fuisse *Annam* vetulam quandam Bovillis oriundam, quæ plebi, cum in Aventinum montem secessisset, & jam commeatu destitueretur, placentas quasdam rusticas in montem detulerit. In cujus beneficii memoriam plebs, pace cum Patribus facta, statuerit, ut perenne nomen ejus coleretur, ipsaque *Anna Perenna* nuncuparetur. Quam narrationem sic concludit:

Pace domi facta signum posuere perenne,
Quod sibi defectis illa ferebat opem.

Macrobius à perennitate annorum *Annam Perennam* dictam scribit. Hujus & *Varro* in Satyra Menippæa meminit apud *Agellium* lib. 13. cap. 21. his versibus, quemadmodum eos legendos censet *Ludovicus Carrio*, I. C. Comment. 1. Antiq. lect. cap. 1.

Ted, Anna Perenna, Panda, te Lato, Pales,
Nerienes & Minerva, Fortuna ac Ceres.

De celebritate, quæ in ejus memoria peragebatur, in Kalendario. Atque hactenus de iis diximus, quos merita in cœlum vocarunt. De *Tiberino*, *Pico*, & aliis Latinorum Regibus, quos Romulus consecrasse fertur, nihil dicam: sicuti nec de Imperatoribus quicquam agam, qui tamen & ipsi post mortem consecrati, & templis, sacris, ac Sacerdotibus honorati sunt, quod qua ratione factum sit, libro proxime sequenti exponemus.

AD CAP. XVII. PARALIPOMENA.

Dii Indigetes, Æsculapius, ejus cultus, fanum, statua. De Inventione Medicinæ, Medicorum primo usu.

De diis omnibus, qui isto capite describuntur, eruditissime, & copiose Andr. Tiraquell. ad Alexandrum Neapolitanum libr. 4. Genial. dier. cap. 4. supple locum. P. Fulgentii lib. 3. Mytholog. de Berecynthia. *Ideo & apud Romanos Indigetes. Ergo Berecynthiam* rescribe. *Ideo & apud Romanos Indigetes, quasi nihil indigentes. ergo*, &c. A. Gell. l. 2. cap. 16. ex Apollinari Sulpitio qui hæc dicit ad filium; *Sciebat eum, cum ex hominum vita discessisset, immortalem indigetem futurum, & longo perpetuoque ævo potiturum.* Valer. Maxim. in præfat. *Reliquos deos accepimus, Cæsares dedimus.* Sil. Italic. l. 9. Punicor.

Hinc Vesta, & captæ stimulatus cæde Sagunti
Amphitryoniades, pariter veneranda Cybelle,
Indigetesque dei, Faunusque, Satorque Quirinus:
Alternusque animæ mutato Castore Pollux.

Virgil. l. 1. Georgic. in fine. M. Lucan. l. 1. Pharsal. v. 556.

Indigetes fleviisse deos.

Fr. Modius Novantiquar. lect. epist. 80. putavit legendum; *Indigenas fleviisse deos.* Ovid. l. 15. Metamorphos. fab. ult.

Dii precor Æneæ comites, quibus ensis & ignes
Cesserunt, diique Indigetes, genitorque Quirine,
Vestaque Cæsareos inter sacrata penates.

Claudian. lib. de Bello Gildon.

Mærent Indigetes, & si quos Roma recepit,
Aut dedit ipsa deos.

Alb. Tibull. l. 2. eleg. 6.

Illic sanctus eris, cum te veranda Numici
Vnde deum cælo miserit Indigetem.

In istorum deorum numero & Æsculapium ponunt, quem medicæ artis claritudo æternitate donavit. D. Auson. in præfat. Griphi. *Quem tu, ut Æsculapius, redintegrabis ad vitam.* Socrates infirmus vovit Æsculapio, si convalesceret, gallum. Plato in Phædone. Cujus cultus origo primum à Scythis, ad alias gentes, ut opinor, dimanavit. Suidas in voce ἄγιον, *sanctum. Locus*, inquit Hieronymus Wolfius interpres, *Scythiæ, in quo Æsculapius colitur, sanctum appellatur.* Sed & celebris ejus Epidauri cultus instituebatur, res nota, sed illud minus obvium, cruenta hostia ibi placatum, quod ab eodem Suida proditum in voce *Epidauri.* T. Liv. 1. Decad. lib. 10. *Inventum in libris, Æsculapium Romam Epidauro accersendum, neque eo anno, quia consules bello occupati erant, quicquam ea de re actum, præterquam quod unum diem Æsculapio supplicatio habita est.* Et 3. Decad. l. 9. *Nullas dum in Asia habebat socias civitates Populus Romanus, tamen memores Æsculapium quoque ex Græcia quondam haud ullo fœdere sociata, valetudinis populi causa, accersitum.* L. Sen. Hippolyto Act. 4. sc. 1.

—— Numen Epidauri dei.

Vnde oraculum apud Ovidium l. 15. Metamorphoseων fab. 50. ipse Apollo consultus:

Quod petis hinc, propiore loco Romane petisses,
Et pete nunc propiore loco, nec Apolline vobis
Qui minuat luctus, opus est, sed Apolline nato.
Ite bonis avibus, prolemque accersite nostram.

Corrigendus C. Petronius in civilibus:

Quid porro tu Dive, tuis cunctaris in armis,
Non frangis portas, non muris oppida solvis,
Thesauros que rapis? nescis tu, Magne, tueri
Romanas acies? Epidauria mœnia quære.

Vltimus versus afflictus est; legendum quippe suadeo:

Romanas arces, Epidamnia mœnia quære.

Ratione non probabili, sed & clara, historici omnes C. Sueton. in Cæsare cap. 34. *Secundum superum mare Brundusium tetendit, quo consules, Pompejusque confugerant, quamprimum transfretaturi.* Viris doctis observatum ex Cicerone l. 7. ad Att. Ep. 10. & lib. 8. Ep. 25. Et apertius Ep. 2. *Nihil ulla in gente iniquam ab ullo auctore reip. & duce turpius factum est, quam à nostro amico, cujus ego vicem doleo, qui urbem reliquit, id est, patriam, pro qua & in qua mori præclarum fuit.* Romanas arces ergo Pompejus nescivit tueri, quo nomine male audiit M. Lucan. lib. 1. Pharsal. v. 513.

—— Vrbem populis victisque frequentem
Gentibus, & generis, coeat si turba, capacem
Humani, facilem venturo Cæsare prædam
Ignavæ liquere manus.

Et recte arces, ad magnificentiam notandam ædificiorum, quæ illa ætate ad septuaginta cubitorum altitudinem attollebantur, ut jure, *alta Roma*, vocetur passim apud poetas. Et significantius est, *Carthaginis arces*, quam Carthago, & *Pergameæ arces*, quam Pergamus; ipse Petron. ibidem:

Omnia, quæ tribui Romanis arcibus, odi.

Claudian. lib. de bello Get.

Securas jam Roma levat tranquillior arces.

P. Virgil. l. 2. Georgic.

Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.

Et lib. 4. Æneid.

Ascanio vel pater Romanas invidet arces.

Lib. 10. Æneid.

Cum fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum, atque Alpes immittet apertas.

Fugiens itaque Roma Pompejus Dyrrachium se contulit, quod melioris vocabuli omine sic dicebatur, quum antea Epidamnus fuisset dictum. pessimo ergo omine, infortunatoque auspicio eo fugit. M. Plaut. Mænechm.

Ne mihi damnum in Epidamno duas.

Palmerius in spicilegio trahit huc illud Albinovani Consolat. ad Liviam Augustam:

—— Et nomina magna locorum.

Romam, Epidauro ut regrediar, Æsculapius, pestis levandæ gratia transfatus, in Insula Tiberina fanum extra urbem recepit (C. Sueton. in Claudio cap. 25. *Ægra & affecta mancipia, Æsculapii tædio medendi in insulam exponerent*) quod Æsculapium appellabant. M. Pollio Victruvius præfatione ad l. 7. & ex eo aliqui Criticor.

Inventorem hunc facit Medicæ artis M. Capella l. 2. de Nuptiis. *Communendæ frugis, farrisque fragmenta Pilumno signat Italia, adscribit Asclepio Græcia medicinam.* Q. Tert. Apol. cap. 23. *Ipse iste Æsculapius, medicinarum demonstrator.* Arnob. lib. 1. cont. gent. *Æsculapium medicaminum repertorem, post pœnas, & supplicia fulminis, custodem nuncupavistis & præsidem sanitatis, valetudinis & salutis?* certe *primus vulnus obligavit.* Cic. l. 3. de Nat. deor. Et tamen patrem habuit Apollinem. Serv. ad v. 316. l. 10. Æneid. qui Ovidio scribente lib. 1. Metamorphos. fab. 9. Medicinæ inventionem sibi vindicat:

Inventum Medicina meum est, opifexque per orbem
Dicor, & herbarum subjecta potentia nobis.

Et Epist. 5. Oenone Paridi:

Ipse repertor opis, vaccas pavisse Phereas
Dicitur.

Idem l. 3. Fastor. ad finem, & l. 3. Trist. eleg. 3. Q. Horat. Carmine sæculari, & Helenius Acron ibi. Aurel. Macrob. l. 1. Satur. cap. 17. Fab. Quint. l. 3. cap. 9. Diod. Sicul. Biblioth. l. 6. Virg. l. 12. Æneid. v. 393. Plato in Sympofio unde Apollinis cognomentum, *Acesius*, Pausan. Eliac. Et *Alexicacus* apud Athenienses, idem Arcad. Denique Q. Sammonicus Serenus cap. 1. Rei Medicæ:

Phœbe salutiferum, quod pangimus, asfere carmen,
Inventumque tuum prompto comitare favore.

Istis Apollinem authorem Medicinæ facere placuit, non Æsculapium, alii inventam assignant Chironi Centauro, saltem eam partem quæ ex herbis est. Iul. Hygin. Fabular. cap. 274. *Chiron Centaurus Saturni filius, artem Medicinam Chirurgicam ex herbis primus instituit.* vide quæ supra hoc opere de illo dixi. Probus Grammatic. ad l. 3. Georg. atque hic Æsculapii doctor fingitur. Ovid. l. 2. Metamor. fab. 9.

Non tulit in cineres labi sua Phœbus eosdem
Semina, sed natum flammis utroque parentis
Eripuit, geminique tulit Chironis in antrum.

Apollodor. Bibliothec. l. 3. Ἀπόλλων ἁρπάσας τὸ βρέφος ἐκ τῆς πυρᾶς, πρὸς Χείρωνα τὸν κένταυρον ἤνεγκε, παρ' ᾧ καὶ τὴν ἰατρικὴν, καὶ τὴν κυνηγετικὴν τρεφόμενος ἐδιδάχθη. Vertit Benedictus Ægius: *Apollo rapiens infantem è pyra, ad Chironem Centaurum alendum tulit, à quo etiam Medicinam, & venandi artem perdidicit.* Pindar. Nemeor. od. 3. in principio.

Potest solvi hic nodus, authorumque dissensus componi ex loco laudato Hygini. Nam *Medicinam Chirurgicam* Chiron excogitavit primus, Apollo ipse *ocularium*, ejus filius Asclepius *Clinicen.* Quare Plutarchus lib. 8. Sympofiac. cap. 14. καὶ τοὺς ἰατροὺς Ἀσκληπιὸν ἔχοντας ἴσμεν ἡγεμόνα. *Et medicos habere Æsculapium præsidem scimus.* Incertus poëta lib. Antholog. cap. 39. Epigr. 6.

Παιήων, Χείρων, Ἀσκληπιὸς, Ἱπποκράτης τε,
Τοῖς δ' ἔπι Νίκανδρος προφερέστερον ἔλλαχεν εὖχος.

Id est, ad verbum: *Pæon, Chiron, Æsculapius, Hippocratesque, post hos Nicander clarissimam consequutus est laudem.* Vnde data levitati poëticæ occasio fingendi Plutonem apud Iovem conquestum peritia Æsculapii Infernos destitui, neque amplius mori homines, aut certe jam mortuos resuscitari ab eo. quo allusit Bassus, vel ut aliis visum, Nicomedes:

Καὶ νεκρῶν ἦν σπάνις εἰν ἀΐδῃ.
Et mortuorum erat egestas in inferno.

Pindat. Pythior. od. 3.

Ἀσκληπιὸν
Ἥρωα παντοδαπᾶν ἀλκτῆρα νόσων.

Æsculapium heroëm omnigenorum propulsatorem morborum. Et cum Hippolytum ad vitam revocasset, fulmine percussus ab indignante Iove fatalem rerum seriem ab illo rumpi. Athenagoras in Apologia. Lucian. in concilio deor. D. Augustin. lib. 18. de Civit. Dei cap. 10. Euseb. Præparat. Euangel. l. 3. cap. 14. Arnob. lib. 4. cont. gent. *Nunquid Cupidinis atque avaritiæ causa (sicut canit Bæotius Pindarus) Æsculapium fulminis transfixum esse telo.* Cyprian. lib. de Idolor. vanitate. *Æsculapius, ut in deum surgat, fulminatur: Hercules, ut hominem exuat, Oetæis ignibus concrematur.* Tarquitius de Illustribus viris; *Incertis parentibus natum expositum, & à venatoribus inventum, canino lacte nutritum, Chironi traditum, didicisse Medicinam, fuisse autem Messenium, sed Epidauri moratum* scribit, ut refert Lactantius Firmianus l. 1. Divinar. Instit. cap. 10. M. Minutius Fælix in Octavio, & Generhardus Elmenhorst in Notis ad eundem auctorem. Varia disquisivi ad illud Claudiani lib. de Bello Getico; licet alia historia ibi:

Quem senior vates avium clangore repertum
Gramine restituit.

Sed quia de Medicina crebra hic mentio, annotabo paucis primam apud Romanos ejus administrationem servorum tantum fuisse, non autem ingenuorum, eamque illo sæculo quæstu exerceri solitam; si prius ostendero Æsculapium ad vitam plerosque revocasse, quod & proditum à Xenophonte lib. de venat. in principio. Bocatius in Geneal. deor. l. 2. cap. 27. & Hyginus; *Ideo*, ait, *anguem in Æsculapii tutela esse, quod ejus beneficio monstrata herba vitam filio regis restituerit.* P. Ovid. l. 6. Fastor.

Vsus & auxilio est anguis ab angue dato.

Disertus medicus, & elegans poëta, Q. Sammonicus Serenus de Medicina in limine:

Tuque potens artis, reduces qui tradere vitas
Nosti, atque in cælum manes revocare sepultos,
Qui colis Ægæas, qui Pergama, quique Epidaurum,
Huc ades.

Primi ergo medici servili conditione. L. Seneca l. 3. de Benef. cap. 24. *Imperavit* (Domitius) *medico, eidemque servo sibi venenum daret*, & paucis interpositis, *vixit Domitius, servatus à Cæsare, prior tamen cum servus servaverat, dominum hoc consolatus est, non tanquam mortiferam, sed tanquam somniferam potionem dedisset.* Eadem narrat Suetonius in Ner. cap. 2. *Vt haustum venenum pœnitentia evomuerit, medicumque manumiserit, qui idem sibi prudens ac sciens minus noxium temperasset.* M. Tul. in Orat. pro rege Deiotaro. *Philippum medicum, servum regium, qui cum legatis missus esset, ab ipso adolescente esse corruptum.* Fr. Robortellus corrigit C. Suetonii locum è Iulio cap. 4. *Mansitque apud eos, non sine summa indignatione diebus quadraginta, cum uno medico & duobus cubicularis.* Legit ille, *cum uno amico*, quod φίλον, *amicum*, eum appellet Plutarchus in Cæsare, hanc ipsam historiam describens. Sed lectionem vulgatam posse retineri docuit pridem vir multiscius Isaacus Casaubonus ad eum locum. Itaque ævo Augusti non omnes medici servi, sed quidam etiam in interiori principum cultu, C. Tacit. Annal. lib. 4. *Sumitur in conscientiam Eudemus amicus ac medicus Liviæ.* L. Sen. lib. 6. de Benefic. cap. 16. *Quare medico & præceptori plus quiddam debeo, nec adversus illos mercede defungor, quia ex medico & præceptore, in amicum transeunt, & nos, non arte, quam vendunt obligant, sed benigna & familiari voluntate:* Et vide plura egregiæ disquisitionis apud eundem.

Quæ licet aliquatenus fatear vera esse, tamen usitatius erat, medicos in famulitio esse. C. Suet. Calig. cap. 8. ex Augusti epistola: *Mitto præterea cum eo ex servis meis medicum.* Q. Aur. Sym. l. 2. ep. 18. *Certe Eusebius medicorum potissimus, obsequio tuo à me traditus, & ad leniendas oportunius offensas, jam poterit amara condire, de cujus facetiis duo spondeo, nec affectioni temperamentum, nec tibi defuturum esse solatium.* C. Plin. Iunior lib. 10. Ep. 4. *Proximo anno, domine, gravissima valetudine, usque ad periculum vitæ vexatus, Iatraliptem assumpsi, cujus sollicitudine, & studio, tuæ tantum indulgentiæ beneficio, referre gratiam parem possum, quare rogo des ei civitatem Romanam, est enim peregrinæ conditionis, manumissus à peregrina, vocatur ipse Harpocras, patronam habuit Thermutim Theonis, quæ jampridem defuncta est.* Et ejusdem libri epist. 22. *Ago gratias quod Romanam civitatem Harpocrati Iatraliptæ meo sine mora indulsisti, sed cum annos ejus & censum, sicut præceperas, ederem, admonitus sum à peritioribus, debuisse me ei ante Alexandrinam civitatem impetrare, deinde Romanam, quoniam esset Ægyptius, ego autem, quia inter Ægyptios, cæterosve peregrinos nihil interesse credebam, contentus fueram hoc solum scribere tibi, eum scilicet à peregrina manumissum, patronamque ejus jampridem decessisse.* Claudian. lib. de bello Gildonico:

Noxia pollicitum domino miscere venena
Fabricius regi, nudata fraude, remisit,
Injusto quem Marte petit, bellumque negavit
Per famuli patrare nefas.

At quis hic famulus? Explicant historici. A. Gell. *regis Pyrrhi amicum* l. 3. cap. 8. vocat. Valerio Antiati veteri historico *Timochares Ambraciensis* dicitur; Q. Quadrigarius antiquus item historiæ scriptor, *Nicium* nominat. Antiati concors est Valerius Maximus l. 6. cap. 5. tit. 4. At T. Livius non amicum, aut familiarem vult fuisse, ut illi, sed medicum 5. Decad. lib. 2. *Non per insidias, & nocturna prælia, aut simulatam fugam, improvisosque ad incautum hostem reditus, nec ut astu magis, quam vera gloria viderentur bella majores gessisse, eadem fide indicatum Pyrrho medicum, vitæ ejus insidiantem, eadem Phaliscis vinctum traditum præceptorem.* Huc refero illud L. Apuleii lib. 1. Apol. *Falsi, quod leporem marinum fuisse dixerunt, alius enim piscis fuit, quem mihi Themison servus noster, medicinæ non ignarus, ut ex ipso audisti, ultro attulit ad inspiciundum.* Et alio loco ejusdem operis; *Themison medicus, à quo mulier ad inspiciendum producta est.* Antea legebatur pessime, meo quidem judicio, *Themis conservus*, auctor correctionis I. Lipsius in Elect. & firmatur lectio ista ex L. Seneca Epist. 95. *Itaque alia est Hippocratis secta, alia Asclepiadis, alia Themisonis.* Vt conjectura mihi nascatur nobilissimi medici nomen, servo seu medico domestico attributum. Nam reperio Themisonem quendam medicæ peritia scientiæ usque eo elatum, ut cum in comitatu regis Antiochi esset, Macedonia oriundus, quemadmodum *Iupiter* vocari voluerit *Menecrates*, ita ille *Hercules*, Athen. lib. 7. dipnosophist. cap. 13. Fuit & alter medicus ejusdem nominis tempore Vespasianorum, auctore veteri Scholiaste Iuvenalis ad v. 221. sat. 10.

Quod Themison ægros Autumno occiderit uno.

Nec tantum id ex historicis liquet & poëtis, sed & Iurisconsultis. Scævola *l.* 41. *ff. de fideicommiss. libertat. Lucius Titius ita testa-*

testamento cavit, medicos tibi commendo, illum & illum, in tuo judicio erit, ut habeas bonos libertos, & medicos, quod si ego libertatem eis dedissem, veritus sum, quod sorori meæ charissimæ fecerunt medici servi ejus manumissi ab ea, qui salario expleto reliquerunt eam. Papinianus *l.* 10. *ff. de annuis leg. Ideo nec sumptum medicamentorum medicus libertus recte petet, quem ut patronam ejusque familiam curaret, acceptabat.* Iustin. Aug. l. 3. C. Commun. de legat. Et in sacris literis, *Ioseph præcepit servis suis medicis, aromatis patrem condirent.* Geneseos cap. ult.

Narrationem de Æsculapio susceptam prosequor. Depingebatur senili facie, barba propexa, nodoso in manu baculo. Signi ejus meminit C. Suetonius in Augusto c. 59. de barba. M. Tull. lib. 3. de Nat. deor. *Dionysius Æsculapii Epidauri barbam auream demi jussit, neque enim convenire barbatum esse filium, cum in omnibus fanis pater imberbis esset.* Legendum censeo, *Æsculapii Epidaurii barbam.* Neque enim res Epidauri acta est, sed in Sicilia. Ælian. var. hist. lib. 1. cap. 20. Simile mendum in Valerio Maximo lib. 1. cap. 2. *Idem Epidauri Æsculapio barbam auream demi jussit, quod affirmaret, non convenire patrem Apollinem imberbem, ipsum vero barbatum conspici*, lege, *Epidaurio Æsculapio.* M. Minutius Fælix in Octavio: *Æsculapius bene barbatus, & si semper adolescentis Apollinis filius.*

Pallium & crepidas Græco more, nempe Græcus deus gerebat, Q. Flor. Tertull. lib. de Pallio: *Ipsum hoc pallium morosius ordinatum, & crepidæ græcatæ græcatim Æsculapio adulantur.*

Cum baculo etiam effigies illi posita. Fest. Pompejus lib. 9. *In insula Æsculapio facta ædes fuit, quod ægroti à medicis aqua maxime sustententur, ejusdem esse tutelæ draconem, quod vigilantissimum sit animal, quæ res ad tuendam valetudinem ægroti maxime apta est, canes adhibentur ejus templo, quod is uberibus canis sit nutritus, bacillum habet nodosum, quod difficultatem significat artis, laurea coronatur, quod ea arbor plurimorum sit remediorum, huic gallinæ immolabantur.* Sidon. Apollin. l. 4. Ep. 3. *Venere non abnuit cum Orpheo plectrum, cum Æsculapio baculum, cum Archimede radium, cum Euphrate horoscopium, cum Perdice circinum, cum Vitruvio perpendiculum.* Et sic puto intelligendum L. Apulejum lib. 1. Milesiar. principio. *Diceres dei medici baculo, quod ramulis semiam putatis nodosum gerit, serpentem generosum lubricis amplexibus inhærere.* Baculus iste in læva manu, dextra barbæ admota, qui fere senum mos solet esse, P. Ovid. lib. 15. Metamor. fab. 50.

Cum deus in somnis opifer consistere visus
Ante tuum Romane thorum, sed qualis in æde
Esse solet, baculumque tenens agreste sinistra,
Cæsariem longa dextra deducere barba.

Varia de illo apud Lilium Gyraldum quære egregio de diis Gentilibus volumine. Et Artemidorum Daldianum lib. 2. Oneirocrit. cap. 42. & lib. 5. cap. 9. 61. 66.

CAP. XVIII.

De iis, propter quæ datur ascensus in cœlum.

AST Olla, inquit *Cicero*, *propter quæ datur ascensus in cœlum, mentem, virtutem, pietatem, fidem, earumque laudum delubra sunto. Nec ulla vitiorum sacra solennia obeunto.* Et paulo post in hujus legis explicatione: Bene vero, quod mens, pietas, virtus, fides, consecratur manu: quarum omnium Romæ dedicata publice templa sunt: ut illa qui habeant (habent autem omnes boni) Deos ipsos in animis suis collocatos putent. Tertia hæc est Deorum, sive Dearum gentilium classis, de quibus hoc capite ordine dicemus, initium à mente capientes.

DE MENTE.

MENTEM propterea consecrarunt veteres, quemadmodum *Varro*, *Lactantius*, *Augustinus*, & alii tradunt, ut bonam mentem concederet. *L. Balbus* apud Ciceronem libro 2. de Natura Deorum: Tum autem res ipsa, in qua vis inest major aliqua, sic appellatur, ut ea ipsa vis nominetur *Deus*, ut *Fides*, ut *Mens*, quas in Capitolio dedicatas videmus proxime à *M. Æmilio Scauro:* ante autem ab *Attilio Calatino* erat fides consecrata. Hactenus apud Ciceronem *L. Balbus. Livius* lib. 22. T. Otacilium Prætorem (sic enim emendavit *Carolus Sigonius*, cum antea legeretur *Attilius) Menti* ædem vovisse scribit, quam postea idem Duumvir ad hoc creatus, dedicaverit, *Livius* lib. 23. ubi etiam addit, hanc *Mentis ædem* & Veneris Erycinæ in Capitolio esse, uno tantum canali discretas. *Vives* Ciceronem ita intelligendum esse vult, *Mentem* esse consecratam proxime à *M. Æmilio Scauro*, cum jam ante fuisset ab Attilio consecrata.

DE VIRTVTE ET HONORE.

VIRTVTEM à *viro* dici auctor est *Cicero*, eo quod virum *Virtus* maxime honestet. Quid sit *virtus*, plurimorum insignes disputationes ostendunt, quas hoc loco referre non est necesse. *Lactantius* dicit, *virtutem esse perferendorum malorum fortem, ac invictam patientiam.* Hanc Romani religiose coluerunt, eique divinos honores habuerunt, ut scilicet *virtutem* daret, teste *Aurelio Augustino* ex Varrone lib. 4. cap. 20. & alibi. Simulachra *Virtutis* varia fuerunt, nonnunquam matronali habitu, nonnunquam virili, nonnunquam senili effecta.

Primus *Virtuti* fanum posuit *Scipio Numantius:* deinde *Marcellus Virtutis* & *Honoris. Plutarchus* in libro de Fortuna Romanorum, & in vita Marcelli: Marcellus templum *Honoris* & *Virtutis*, à se ex manubiis Siciliensibus extructum dedicare cupiens à Pontificibus impeditus, quod ii non recte una æde duos Deos includi dicerent, priori alterum adjicere cœpit, ægre ferens id impedimenti, ac quasi in omen trahens. Idem *Valer. Maximus* habet libro 1. cap. 1. *Livius* l. 29. Ædem *Virtutis* eo anno (qui fuit IↃXLIIX. *P. Cornel. Scipione Africano, P. Lucinio Crasso Divite* Coss.) ad portam Capenam *M. Marcellus*

cellus dedicavit. XVII. anno postquam à patre ejus primo Consolatu vota in Gallia ad Castidium fuerat. *Cicero* l. 2. de Natura Deorum: Vides *Virtutis templum*, vides *Honoris* à M. Marcello renovatum, quod multis ante annis erat bello Ligustico à Q. Maximo dedicatum. Cæterum *Virtutis* & *Honoris* templa ita extructa erant, ut per *Virtutis* templum ingressus esset ad ædem *Honoris*, quo ostendebatur non patere aditum ad verum *honorem* consequendum, nisi per *virtutem* ipsam.

Fuit & alia Romæ *Honoris* & *Virtutis* ædes consecrata à *C. Mario*, devictis Cimbris: diversas tamen cellas habebat, cujus meminit, præter alios *Victruvius* lib. 7. & vetus inscriptio, quæ habetur in libro Epigrammatum, C. MARIVS PR. TR. PL. Q. AVGVR. &c. DE MANVBIIS CIMBRICIS, ET TEVTONICIS ÆDEM HONORI, ET VIRTVTI VICTOR VESTE TRIVMPHALI CALCEIS PVNICEIS. *Festus*, Summissiorem aliis ædem *Honoris* & *Virtutis* C. Marius fecit, ne si forte officeret auspiciis publicis, Augures eam demoliri cogerentur. *Honoris* & *Virtutis* simulachra in nummis antiquis videntur talia litera *R.* notata.

DE PIETATE.

PIETATIS vox late patet: proprie quidem convenit in *Deos*, quibus omnia debemus: deinde in *patriam* atque in *parentes*, quorum charitas proximè accedit ad Deos: tertio loco, erga omnes *propinquos*, postremo, erga *optime meritos*, quos diligere ut propinquos, & colere parentum fere loco, æquum est. *Cicero* lib. 1. de Natura Deorum: *Pietas Iustitia est adversus Deos, & cultus erga majores, aut sanguine conjunctos.* Hanc ut Deos cæteros colebant Romani. Ædem ei consecravit *M. Acilius Glabrio* Duumvir in foro Olitorio, eo loco, quo quondam mulier habitaverat, quæ matrem suam inclusam carceri mammis suis clam aluerat, ob quod factum impunitas ei concessa fuit. Ita fere *Festus*, nisi quod pro matre patrem ponit, cum tamen reliqui scriptores, qui hujus historiæ meminerunt, omnes matrem carceri inclusam fuisse, non patrem, scribant. *Livius* l. 40. *Valerius Maximus* lib. 5. cap. 4. *Plinius* lib. 7. cap. 36. *Pietatis* exempla infinita quidem toto orbe extitere, sed Romæ unum, cui comparari cuncta non possint. Humilis in plebe, & ideo ignobilis puerpera, supplicii causa carcere inclusam matrem, cum impetrasset aditum à Ianitore, semper exclusa, ne quid inferret cibi, deprehensa est uberibus suis alens eam: quo miraculo matri salus donata filiæ pietate est, ambæque perpetuis alimentis, & locus ille eidem consecratus est Deæ *C. Quintio*, *M. Attilio* Coss. templo *Pietatis* extructo in illius carceris sede, ubi nunc Marcelli theatrum est. Hactenus *Plin.*

DE FIDE.

FIDEM etiam divinis honoribus coluerunt Romani. Ædes ejus in Capitolio fuit, ut *Plinius* libro 35. Naturalis historiæ innuit. *Cicero* lib. 3. de Offic. *Fidem* ait vicinam Iovi in Capitolio; & in 2. de Nat. Deor. ab *Attilio Calatino* consecratam ait. *Festus* ex Agathocle auctor est, ante ipsum Romulum ab Ænea in Palatio *fidem* consecratam. *Dionysius Halicarnassæus* lib. 2. & *Plutarchus* tradunt, Numam Pompilium primum publice templum sacrasse *Fidei*, eique assignasse ex ærario victimas, quemadmodum Diis cæteris. Quid in tanta diversitate Scriptorum sequendum sit, difficile est judicare. Me tamen *Plutarchi* & *Dionysii*, quibus etiam accedit *Livius*, auctoritas movet, ut omnino credam à Numa Pompilio primam ipsi ædem consecratam, eandemque vetustate collapsam ab *Attilio Calatino* refectam, aut novam extructam esse. Ejus imaginem vide litera *S.*

DE SPE.

Hujus etiam Deæ ædem à *Calatino* consecratam esse *Cicero* in 2. de Legib. docet. *Livius* lib. 21. ædes *Spei* in foro Olitorio meminit, quam dicit fulmine ictam esse. Et lib. 4. *Q. Fabio filio* & *T. Sempronio Graccho* Coss. eandem scribit incendio esse conflagratam, quæ paulo post creatis ad idipsum Triumviris, refecta fuit. *Livius* lib. 25. *P. Victor Spei* novum templum in VII. Vrbis regione statuit, hoc est, in via lata. Fuit & ad Tiberim *Spei ædes* extructa à *M. Fulvio Censore*. *Livius* lib. 40.. *Spei* effigies in antiquis nummis talis cernitur: ut videre est litera *T.* Fœmina est stans, institæ laciniam sinistra manu nonnihil attollens, dextra in cubitum elata pateram profert, in qua repositum inest velut ciborium: id est, vas in floris similitudine, cum hac inscriptione, *Spes* P. R. Quidam etiam *Spem Deam* viridi indutam palla effinxerunt, & sedentem supra dolium cum cornice, quidam etiam *Spem* cum Nemesi.

SPEI templum demum incensum scribit *Dio* lib. 50. ante bellum Actiacum, cum aliis plerisque ædificiis: quod factum quidam crediderunt libertorum opera.

DE PVDICITIA.

PVDICITIA etiam à Romanis ut Dea culta fuit, eaque duobus nominibus, *Patricia*, & *Plebeia*.

PVDICITIÆ PATRICIÆ ædes in foro Boario fuit ad ædem rotundam Herculis, quam non licebat ingredi, nisi iis qui semel nupsissent. Hanc ædem ab *Æmilio* consecratam ajunt.

PLEBEIÆ PVDICITIÆ ædicula in vico longo extructa est à Virginia, quæ familia *Patricia* orta, post Plebeio nupta, à sorore sacris *Patriciæ Plebeiæ* arcebatur, de qua re notatu digna sunt, quæ scribit *Livius*: Insignem, inquit, supplicationem fecit certamen in sacello *Pudicitiæ*, quæ in foro Boario fuit ad ædem rotundam Herculis, inter matronas ortum & *Virginiam* Auli filiam Patriciam Plebeio nuptam L. Volumnio Consule matronæ, quod è Patribus nupsisset, sacris arcuerant. Brevis altercatio, inde ex iracundia muliebri in contentionem animorum exarsit: cum se *Virginiam* & *Patriciam* & pudicam in *Patriciæ Pudicitiæ* templum ingressam, & uni nuptam, ad quem virgo deducta sit, nec se viri, honorumve ejus, ac rerum gestarum pœnitere vere gloriaretur. Facto deinde egregio magnifica verba adauxit. In vico longo, ubi habitabat, ex parte ædium, quod satis esset loci, modico sacello exclusit, aramque ibi posuit, & convocatis plebejis matronis, conquesta injuriam *Patriciarum*; *Hanc ego, aram*, inquit, *Pudicitiæ Plebejæ dedico: vosque hortor, ut quod certamen virtutis viros in hac civitate tenet, hoc Pudicitiæ inter matronas sit: detisque operam, ut hæc ara, quo illa, si quid potest, à sanctioribus & castioribus coli dicatur.* Eodem ferme ritu & hæc ara, quo illa antiquior culta est, ut nulla nisi spectatæ *Pudicitiæ* matrona, & quæ uni viro nupta fuisset, jus sacrificandi haberet. Hactenus *Livius*. Hinc *Valerius Maximus* l. 2. de Institutis. Quæ uno contentæ matrimonio erant, inquit, corona *Pudicitiæ* honorabantur. *Festus* auctor est, existimare quosdam *Pudicitiæ* simulachrum, quod in foro Boario fuit, *Fortunam* esse.

DE CONCORDIA.

CONCORDIA DEA dicta, quæ daret *concordiam*. Hujus diversæ ædes Romæ fuerunt, quarum primam *M. Furius Camillus* Dictator v. in Capitolio vovit & extruxit, *Plutarcho* & *Ovidio* testibus. *Plutarchi* verba ex interpretatione Xilandri sunt hæc: Camillus vovit, sedata seditione se templum *Concordiæ*, dedicaturum. Et paulo post: Postridie concione habita scriptum est, ut templum *Concordiæ* in rei memoriam, ad Forum & Comitium spectans ædificaretur, &c. In hoc templo Senaculum erat ubi Magistratus cum Senioribus deliberabant. Erant & multa simulachra, quorum passim meminit *Plinius*.

Alteram Cn. Flavius Appii Cæci Scriba, Annio Libertino patre genitus, qui dies *fastos* publicavit, æream fecit in Græcostasi, de qua in hunc modum *Plinius* lib. 33. cap. 1. *P. Sempronio Longo*, *L. Sulpitio Coss.* Flavius vovit ædem *Concordiæ*, si populo reconciliasset ordines. Et cum ad id pecunia publica non decerneretur, ex mulctatitia fœneratoribus condemnatis ædiculam æream fecit in Græcostasi, quæ tunc supra comitium erat, inciditque in tabula ærea, eam ædem CCCIV. annis post Capitolinam dedicatam. Meminit hujus & *Livius* lib. 9.

Tertiam vovit *L. Manlius* Præter bello Gallico, propter seditionem militarem. Facienda est locata à Duumviris *Cn. Puppio Cæsone*, *Quintio Flaminio* ad hoc creatis à Prætore Vrbis, dicata in arce à M. & Cn. Attiliis. *Livius* lib. 22. & 23.

Quarta est in foro Romano prope Græcostasim, ædificata à *L. Opimio* Cos. deletis Gracchanis partibus, ubi etiam est basilica Opimia. *Varro*. lib. 3. de lingua Latina. Erecta est ea ædes ingenti indignatione populi Romani, ad quam etiam cum construeretur, inscriptum est: Opus *Vecordiæ* templum *Concordiæ* facit, veluti *Xilander* hunc locum vertit: *Vecors* facinus *Concordiæ* fanum facit. *Plutarchus* in C. Graccho. *Appianus* lib. 1. de Bellis civilibus.

Quinta ædes *Concordiæ* posita est à *Livia Augusta*, nisi eadem sit antiquissima, quam fecerat *Camillus*, reparata à Livia, quod vetustate laberetur. *Suetonius* in Tiberio. *Ovidius* in 1. Fastorum, dedicavit Tiberius Augustus *Dio* lib. 50. De ædibus *Concordiæ* etiam *Augustinus* lib. 3. de Civitate Dei, cap. 25.

His Diis qui consecrati sunt nominibus virtutum, etiam eos adjiciemus, quibus nomina rerum expetendarum sunt indita. Quoniam, ut inquit *Cicero*, expectatione rerum bonarum erigitur animus. Tales fuerunt, *Pax*, *Quies*, *Salus*, *Felicitas*, *Libertas*. De quibus omnibus pauca tantum verba faciemus, ac de *Pace* primum.

DE PACE.

PACIS templum Romæ fuit magnificentissimum, foro proximum, quod *Vespasianus* à Claudio inchoatum, construxit. *Iosephus*, *Plinius*, *Suetonius*, & *Dion*. In hoc templo sunt qui tradant, divum *Hieronymum* secuti, vasa, & donaria templi Hierosolymitani à *Tito Vespasiano* reposita fuisse. In hoc templo omnium rationalium artium Professores convenire ad disputandum consuevisse, *Galenus* in Sermone de libris propriis docet. *Lilius Gyraldus* etiam ægrotos hoc templum frequentare solitos fuisse, ex quodam

parum intellecto Galeni loco asserit, quem errorem notavit & reprehendit *Hieronymus Mercurialis* lib. 1. Variarum lectionum, cap. 13. Hoc *Pacis templum*, quod supra cætera maximum ædificium & pulcherrimum ac opulentissimum fuerat, *Commodo* imperante, incendio consumptum esse, *Herodianus* lib. 1. auctor est. Simulachrum *Pacis* fuit varium: effingebatur nonnunquam cum spicis, interdum cum oliva, & cum lauro coronabatur, quin & cum rosa: nonnunquam solo caduceo significabatur. Fuit & *ara Pacis* Romæ.

DE QVIETE.

QVIETEM, inquit *Aurelius Augustinus* lib. 4. de Civitate Dei, cap. 16. appellarunt, quæ faceret quietem. Hæc ædem habebat extra portam Collinam. Publice enim, inquit *Augustinus* suscipere illam noluerunt. *Livius* quoque lib. 4. scribit, *fanum Quietis* fuisse via Labicana. *Vives* ad Augustini illum locum supra citatum, scribit, se conjectura adductum existimare, *Quietem* hanc ad mortuos pertinuisse, cum & *Orcus* ab Antiquis *Quietalis* dictus sit.

DE SALVTE.

Et hanc Romani sancte & religiose coluerunt, ita ut feriæ etiam antiquis essent, quoties quis *Salutem Deam* nominasset, teste *Macrobio* lib. 1. Saturnal. cap. 16.

Ædes Salutis à *C. Iunio Bubulco* Censore locata fuit, anno Vrbis CDXLVI. ut *Livius* l. 9. & 10. prodit, quam ipse Consul bello Samnitum voverat, mox idem Dictator eam dedicavit. Hanc ædem à *Fabio pictore* depictam esse *Plinius* docet. Ab hac æde vicina nomen habet *Porta Salutaris*. Sic enim *Festus*: *Salutaris* porta Romæ appellata, quod prope ædem *Salutis* esset. *P. Victorius* in v. regione eam collocat.

Porro & *Salutis* augurium apud Romanos celebrabatur, cujus Scriptores veteres sæpius meminerunt: quale autem id fuerit, solus, quod ego sciam, *Dio* lib. 37. his verbis docet: Annuo, inquit, tunc spacio Romani bellis vacarunt, ita ut longo tempore intermissum augurium *Salutis* repeterent. Est autem quoddam divinationis genus, quo probatur, concedantne ipsi Dii, ut populo *Salute* postulent, quasi nefas esset eam prius, quam concedatur petere. Ad id dies destinatur singulis annis, ad quam diem nullus exercitus ad bellum sit profectus, nullus hostis in aciem, aut pugnatum sit. Hanc ob causam in continentibus malis, maximeque intestinis non celebratur: alioquin etiam difficillimum est Romanis, ut eam diem exacte ab his omnibus puram servent: præterea absurdissimum est, cum ipsi sese mutuo, seditionibus ultro malis infandis affligant, ut sive vincatur, sive adeo vincant, in miseriis sint, ita *salutem* à Deo velle flagitare. Hactenus ille. Et sic *Salutis* Augurium explicat *Angelus Politianus* in Miscellaneis, cap. 13.

DE FELICITATE.

FELICITAS etiam, ait divus *Augustinus*, Dea est, ædem accepit, aram meruit, sacra ei congrua persoluta sunt. De nomine non opus est, multa verba facere. Simulachrum ejus *Archesilao* Phallæ, quemadmodum *Plinius* scribit l. 35. locatum à *L. Lucullo* HS. LX. cui mors utriusque invidit. In antiquis numismatis talis *Felicitatis* cernitur effigies: Fœmina in solio sedens, dextra caduceum, sinistra grande cornu copiæ tenens. Ædem ei anno ab Vrbe condita IOCLXVI. *L. Lucullus* Consul cum *M. Cotta* locavit. *Augustinus*. Sed & *M. Lepidus* Magister equitum templum *Felicitati* Cæsaris ex Senatusconsulto construxit *Dion*. lib. 44.

DE LIBERTATE.

LIBERTAS imprimis à Romanis Dea habita & culta est, ut qui maxime ei studerent, ab eo videlicet tempore, quo in libertatem sese vendicavere. *Libertatis* templum *P. Victor* in Aventino constituit, & ibidem atrium *Libertatis*, cujus crebra apud Scriptores mentio. Templum *Libertatis Livius* ex mulctatitia pecunia cum æreis columnis, & statuis pulcherrimis à patre *Tib. Gracchi*, & conditum & dedicatum: ejus atrium ab *Ælio Pæto*, & *Cornelio Cethego*, Censoribus instauratum, & auctum, demum & à *Pollione* restitutum, *Suetonius* scribit.

Cicerone in exilium profecto, domum ejus *P. Clodius* Tribunus plebis *Libertati* consecravit. *Cicero* pro Domo ad Pontifices. *Dio* quoque lib. 44. auctor est, Romanos in gratiam Iul. Cæsaris publico decreto *Libertatis templum* construxisse. Atque de his hactenus. Plurima templa, quæ in Imperatorum Romanorum gratiam extructa & consecrata fuerunt, ut *Clementiæ* Cæsaris, de quo *Plutarchus*: *Iustitiæ Augusti*, de quo *Ovidius*: *Fœcunditatis Poppææ* de quo *Tacitus*, & multa alia, de quibus, præter Poëtas, & alios veteres Scriptores, *Hubertus Goltzius* in Thesauro Antiquitatis, & alibi, *Adolphus Occo* Medicus *Augustanus* in Numismatibus Romanorum Principum, *Æneas Vicus*, & alii nos docent, prætermitto. Nam translata ad unum Imperii potestate, superstitiosa assentatio modum non invenit.

CAPVT XIX.

De Diis Semonibus, sive minoribus, in quorum tutela homo esset.

De *Diis majoribus*, sive *Selectis* hactenus diximus, tum de *Indigetibus*, sive iis, quos merita vocarunt in cœlum: postremo de iis, propter quos daretur ascensus in cœlum. Sequitur igitur ut de *Semonibus*, sive *minoribus* verba faciamus. *Semones* autem, uti *Fulgentius Placiades* in libello Obscurarum vocum tradit, dici voluerunt *Deos* quos nec cœlo adscriberent, ob meriti paupertatem, sicut sunt *Priapus*, *Hippona*, *Vertumnus*: nec *terrenos* eos disputare vellent pro gratiæ veneratione. Hos *Iustus Lipsius* lib. 2. Antiquarum lectionum, c. 18. *Semones* dici ait, quasi *hemihemones*, id est semihomines. Antiqui enim hominem dicebant *hemonem*, Augustinus lib. 6. de Civitate Dei, cap. 9. auctor est, Varronem commemorasse & enumerasse Deos à conceptione hominis, & exorsum à Iano, eam seriem perduxisse usque ad decrepiti senis mortem, & Deum ad ipsum hominem pertinentes clausisse ad Næniam Deam, quæ in funeribus senum cantetur. Deinde cœpisse ipsum Deos alios ostendere, qui pertinerent non ad ipsum hominem, sed ad ea, quæ sunt hominis, sicuti est *victus*, *vestitus*, & quæcunque alia, quæ huic vitæ sunt necessaria, ostendisseque in omnibus, quod sit cujusque munus, & propter quid cuique debeat supplicari. Sed cum libri isti interierint, impossibile nobis est de iis eo ordine, quo *Varro* dicere, & omnes illos Deos, nemine omisso, recensere: faciamus tamen, ut quantum fieri poterit, eorum, quorum apud Scriptores passim fit mentio, Deorum nomina & officia, vel munera, breviter enumeremus, accuratiorem descriptionem iis commendantes, qui & ingenio valent, & ocio magis abundant.

Dii, qui nascentibus & infantibus præerant.

A IANO incepisse Varronem *Augustinus* docet, de quo nos ante multa diximus.

OPIS, inquit *Augustinus*, dicitur, & invocatur ut opem ferat nascentibus, & excipiat eos sinu terræ.

NASCIO, sive NATIO Dea, quæ nascentibus præesse credebatur. *Cicero* lib. 3. de Natura Deorum: *Nascio* quoque Dea putanda est, cui cum fana circuimus in agro Ardeatino, rem divinam facere solemus:

VATICANVS Deus dictus, qui in *vagitu* os aperit, vel qui infantum *vagitibus* præsidet. *Agellius* lib. 16. cap. 17. duas diversas de hoc sententias recitat, quarum prima est, quod præsit agro *Vaticano*, & nomen habeat à *Vaticiniis*, quæ ipsius vi atque instinctu in agro illo fieri consueverint. Alteram deinde subjungit, ex *Terentii Varronis* libris rerum divinarum, videlicet: *Vaticanum Deum* nominatum esse, penes quem essent vocis humanæ initia: quoniam pueri simulatque nascantur, eam primam vocem edant, quæ prima sit in *Vaticano* syllaba, qua de causa etiam vagire dicantur, exprimente verbo sonum vocis recentis. Apud *Augustinum* lib. 4. cap. 8. de Civitate Dei, legitur *Vagitanus*: pro quo tamen in veteribus codicibus *Vaticanus* invenitur. *Vives* annotat.

LEVANA, quæ de terra levat infantes.

CVNINA, quæ præest *cunis*, infantesque in cunis decumbentes tuetur: vel quæ *cunas* infantium administrat. *Augustinus* lib. 4. de Civitate Dei, cap. 8. 14. & alibi. *Lactantius* lib. 1. Divinarum institutionum, c. 20. *Cunina* à cunis dicta, eo quod infantes in cunis tueatur, & fascinum submoveat.

RVMINA, quæ mammam parvulo immulgeat: quia *rumam* dixerunt veteres *mammam*. *Augustinus* lib. 4. cap. 8. *Varro*, *Cato*, vel de liberis educandis, apud *Nonium*. His *Semonibus* (sic enim emendavit *Iustus Lipsius* lib. 2. Antiquarum lectionum, cap. 18. cum antea legeretur, *hisce manibus*) lacte fit, non vino. *Cuninæ*, propter *cunas*: *Ruminæ*, propter *rumam*: id est, prisco vocabulo, *mammam*, à quo *subrumi* etiam nunc dicuntur agni.

DIVA POTINA, quæ potionem ministrabat.

DIVA EDVCA, sive EDVSA, quæ escam infantibus præbebat. *Augustinus* lib. 4. c. 8. & alibi. *Varro Cato*, sive de Liberis educandis, apud *Nonium*: Cum primore cibo & potione initiarent pueros, sacrificabantur ab edulibus *Edusæ*, & à potione *Potinæ* nutrices.

OSSILAGO Dea solidatrix ossium. *Arnobius* lib. 4. Nam quæ durat & solidat infantibus parvis ossa, *Ossilago* ipsa memoratur.

NVNDINA Dea antiquorum, ut scribit *Macrobius* lib. 1. Saturnal. cap. 16. à nono nascentium die dicta, qui dies *lustricus* nuncupatur quod scilicet infantes lustrabantur, & nomen eis imponebatur. Is maribus erat *nonus*, fœminis *octavus*: cujus moris causas inquirit *Plutarchus* in quæstionibus Rom. quæst. 102. quem hac de re lege.

STATILINVS & STATANVS, Dei præsides & astantes. *Lactantius*. Alii educationi illos adscribunt eo videlicet tempore, cum *standi* & *consistendi* potestatem habere incipiunt.

FABVLINVS Deus dicebatur, qui colebatur cum *fari* pueri auſpicarentur. De his duobus Diis ita Nonius: *Statilinum*, & *Statanum*, & *Fabulinum* præſides Deos, *Varro* de liberis educandis puerilitatis affirmat, ab *Statano* & *Statilino*, quorum nomina habent ſcripta Pontifices. Sic cum primo fari incipiebant, ſacrificabant divo *Fabulino*.

PAVENTIAM Deam antiqui conſtituerunt ut averteret ab infantibus *pavorem*, *Auguſtinus* lib. 4. de Civitate Dei, cap. 11.

CARNEA vel potius CARNA Dea, vitalibus humanis præeſſe putabatur, ab eaque petebatur, ut jecinora, & corda, quæque ſunt intrinſecus viſcera, ſalva conſervaret. Cui templum, pulſo Tarquinio, *Iunius Brutus* in Cœlio monte conſtruxit, *Calendiſque Iuniis* ſacrum Veſti reus fecit. Huic Deæ pulte fabacea, & larido res ſacra fieri ſolebat. Quin & Calendæ ipſæ *Iuniæ Fabariæ* dicebantur. *Macrobius* l. 1. Saturnal. c. 2. *D. Auguſtinus* l. 4. de Civitate Dei, cap. 8. & alibi, *Cardeam* eam appellat, niſi mendoſi ſint codices.

IVVENTVS, ſive IVVENTAS, quod *Ludovico Vivi*, & *Carolo Sigonio* magis placet, inquit *Auguſtinus* l. 4. c. 11. & alibi, Dea eſt, quæ *poſt prætextam* excipit juvenilis ætatis exordia. Hanc Romani à Servio Tullio uſque in Capitolio coluerunt: quare cum Tarquinius Priſcus templum Iovi Capitolino extruere vellet, & propterea omnium aliorum Deorum, qui in Capitolio colebantur, templa exauguraret, *Terminus* & *Iuventas* cedere noluerunt, quod Romani in omen traxerunt, fore ut nunquam *termini Vrbis* moverentur, nec unquam *juvenilis vigor* deeſſet. *Dionyſius Halicarnaſſæus* l. 3. *Auguſtinus* de Civitate Dei, l. 6. cap. 1. *Iuventas Dea* cum *termino Deo* Iovi noluit concedere in Capitolio condendo. *Livius* l. 5. extremo. Aliam *Iuventutis ædem* vovit *M. Livius* Conſul, quo die Haſdrubalem exercitumque ejus cæcidit, quam idem Cenſor *M. Cornelio*, *P. Sempronio* Coſſ. faciendam locavit *C. Licinius Lucullus*, Duumvir dedicavit, XVI. annis poſt, quam vota erat. *Livius* lib. 36. & qui addit, ludos etiam hujus ædis dedicandæ cauſa factos, & quidem cum majore religione, quod novum cum Antiocho bellum tum inſtaret.

ORBONA Dea colebatur, ne *orbos* faceret. *Arnobius* l. 4. ait, in hujus tutela fuiſſe *orbatos* liberis parentes. Ara ejus *Plin.* l. 2. c. 7. teſte ad Larium ædem erat. Quamquam vocabulum *Orbonæ* inde ejectum erat. Reſtituit autem *Adrianus Iunius* l. 3. Animadverſorum, cap. 1.

VOLVPIA Dea, à *voluptate* dicta eſt, quod *voluptatem* hominibus afferret. *Auguſtinus* l. 4. de Civitate Dei, cap. 8. Nihil de ea apud Scriptores veteres invenitur, niſi quod ſacellum habuerit prope portam Romanulam, in via nova. Sic enim *Ioſephus Scaliger*, ubi vulgati habent, *navalia*. In eo ſacello, teſte *Macrobio*, in ara *Volupiæ* fuit ſimulachrum Angeroniæ, de qua Dea alibi. Sacellum *Volupiæ* à P. Victore collocatur regione Vrbis X. quæ dicitur Palatium. De ſimulachro hujus Deæ *Lilius Gyraldus* ſcribit eſſe, qui *Volupiam* effingerent in throno, inſtar reginæ, ſed pallidiori aſpectu, & quæ virtutes ſubtus habere videretur: quam tamen opinionem ipſe non magni facit. Meminit & *Cicero Volupiæ* lib. 2. de Nat. Deorum.

LVBENTINA, ſive LVBENTIA, à *lubendo* dicta, teſte *Varrone*, qui & *Venerem* eam eſſe ſignificat *Auguſtinus* à libidine eam nomen habere docet.

ANCVLI & ANCVLÆ Dei, Deæque erant ancillarum, ab iiſque colebantur. Appellati ſic ſunt ab *ancillis*, quod iis præeſſent: vel à verbo *anculare*, quo antiqui utebantur, pro *miniſtrare*. Feſtus.

Dii Nuptiales.

In nuptiis etiam peculiares Dii multi adhibebantur & colebantur, quos jam enumerabimus. *Plutarch.* in Quæſt. Rom. q. 2. auctor eſt, matrimonium contrahentes ſecundum vulgi opinionem, quinque Deorum ope indiguiſſe: *Iovis perfecti*, ſive adulti: *Iunonis perfectæ*, ſive adultæ: *Veneris*, *Suadæ*, ac *Diane* (ea *Lucina* eſt) quam parturientes invocant. Sed & multi alii adhibebantur, quorum hæc nomina apud *Auguſtinum* & alios reperiuntur.

IVGATINVS dicebatur, quod *conjuges conjungeret*: hic colebatur cum mas & fœmina jungebantur. *Auguſt.* lib. 4. cap. 11. & l. 6. cap. 9.

DOMIDVCVS Deus colebatur, cum *domum ducenda* erat, quæ nubebat. Dicebatur etiam *Iuno domiduca* eandem ob cauſam.

DOMITIVS celebrabatur, ut eſſet in *domo nova* nupta.

MANTVRNA Dea adhibebatur, ut nova nupta cum viro maneret.

VIRGINENSIS Dea adhibebatur, cum *virgini* zona ſolveretur. De his omnibus *Auguſtin.* l. 4. de Civitate Dei, & l. 6. cap. 9.

CINXIA etiam Iuno colebatur, de qua ſic *Feſtus*. *Cinxia Iunonis* nomen ſanctum habebatur in nuptiis, quod initio conjugii ſolutio erat *cinguli*, quo nova nupta erat cincta.

MVTINVS, qui & *Priapus*, ſuper cujus immaniſſimum & turpiſſimum faſcinum ſedere nova nupta jubebatur, more honeſtiſſimo & religioſiſſimo matronarum. *Lactant.* l. 1. cap. 20. *Auguſtinus* l. 6. cap. 9.

DEVS PATER SVBIGVS adhibebatur, ut virgo à viro *ſubigeretur*.

DEA MATER PREMA colebatur, ut ſubacta virgo, ne ſe commoveret, cum premeretur. *Martianus Capella* l. 2. de Nuptiis Mercurii, & Philologiæ. Meminit etiam *Iunonis interducæ*, *Domiducæ*, *Vnxiæ*, *Cinxiæ*: quia ſcilicet nuptarum itinera protegeret, eas in ædes novorum maritorum duceret, unctioni poſtium adeſſet: de qua re poſt dicetur in ritibus nuptiarum. Huc pertinet etiam *Dea Viriplaca*.

VIRIPLACA Dea, à *placando* nomen habet, quod viros placaret, de qua *Valerius Maximus* l. 2. cap. 1. Quoties, inquit, inter virum & uxorem aliquid jurgii interceſſerat, in ſacellum *Deæ Viriplacæ*, quod eſt in Palatio, veniebant: & ibi invicem locuti, quæ voluerant, contentione animorum depoſita, concordes revertebantur. Dea nomen hoc à *placandis viris* fertur aſſecuta; veneranda quidem, & neſcio an præcipuis, ſed exquiſitis ſacrificiis colenda: utpote quotidianæ & domeſticæ pacis cuſtos, in pari jugo charitatis, ipſa ſui appellatione virorum majeſtati debitum, ac fœminis reddens honorem. Hæc ille. Sacelli ejus meminit *P. Victor*, regione X. Vrbis Romæ, & in eadem *Onuphrius Panvinius*.

De Diis, Deabuſque quæ parturientibus præerant.

MENA Dea fuit, quæ fluoribus menſtruis mulierum præeſſe putabatur. *Auguſt.* l. 7. Iovis filia hæc *Luna* credita, quippe Græcè *Μὴν Luna* dicitur. *Menam* idem *Auguſtinus* privignam Iunonis dixit.

DE IVNONE FLVONIA, & IVNONE LVCINA, diximus ſupra.

PERTVNDA etiam parientium Dea erat, & ab iis colebatur.

LATONA, Apollinis & Dianæ mater fuit. Huic ait *Ælianus* in varia hiſtoria, exiſtimatum gallum gallinaceum in amore fuiſſe, propterea quod ei parienti adfuerit, & quod etiam nunc parientibus adſit, eiſque faciles partus efficiat.

EGERIAM Deam mulieres colebant, quod eam credebant opitulari partui egerendo. Ita *Feſtus*. *Egeriænymphæ* ſacrificabant prægnantes, quod eam putabant facile conceptam alvum egerere.

NIXII Dei dicti fuerunt ab *enitendo*, id eſt, pariendo. *Feſtus*. *Nixii Dei* tria ſigna appellantur in Capitolio ante cellam *Minervæ*, genibus nixa, velut præſidentes parientium nixibus: quæ ſigna ſunt, qui memoriæ prodiderint Antiocho rege Syriæ ſuperato M. Attilium ſubtracto populo Romano deportaſſe, atque ibi poſuiſſe.

PROSA, vel PRORSA & POSTVERTA, Deæ fuêre apud Romanos celebratæ, quibus & aræ, & ſacra fuerunt conſtituta, ob pariendi diſcrimina. *Proſa* enim præeſſe illis exiſtimabatur, quæ rectum ac legitimum partùm ederent: *Poſtverta* verò, ab ægris & infirmis, & cum præpoſtere partus edebatur. *Agellius* libro & cap. decimo ſexto, ex Varrone: Quando infantes contra naturam forte converſi in pedes ſunt, brachiis plerumque diductis retineri ſolent, ægriuſque tunc mulieres enituntur. Hujus periculi deprecandi gratia aræ ſtatutæ ſunt Romæ duabus *Carmentibus*: quarum altera *Poſtverta* nominata eſt, *Proſa* altera: à recti, perverſique partus & poteſtate & nomine. A *Macrobio* tamen *Poſtverta* & *Anteverta*, ſive *Poſtvorta* alia ratione explicantur. Dicit enim veteres eas ideo coluiſſe, quod ea omnia intelligi oportere exiſtimarent, quæ præterita & futura eſſent. Qua ex re *Comites divinitatis* eas appellaverit, non ſecus ac *conſilium* & *providentiam*, quibus humana omnia & divina expendantur & prævideantur.

Mulieri fœtæ, poſt partum tres Deos cuſtodes adhiberi, commemorat apud *Auguſtinum* l. 6. cap. 9. *Varro*: ne *Sylvanus* Deus per noctem ingrediatur, & vexet, eorumque cuſtodum ſignificandorum cauſa tres homines circumire limina domus, & *primo* limen ſecuri ferire, *poſtea* pilo, *tertio* diverrere ſcopis: ut his datis culturæ ſignis, *Deus Sylvanus* prohibeatur intrare: quia, inquit, neque arbores cæduntur, atque putantur ſine ferro: neque far conficitur ſine pilo: neque fruges coacervantur ſine ſcopis. Ab his autem tribus rebus, tres nuncupati Dii, *Intercidona* à ſecuris interciſione: *Pilunnus* à pilo: *Deverra* à ſcopis, quibus Diis cuſtodibus, contra vim Dei *Sylvani* fœta conſervatur.

Ad mulieres etiam proprie pertinet *Mater Matuta*, quam, ut ait *Feſtus*, antiqui ob bonitatem ſic appellarunt. Hæc fuit *Ino*, Cadmi filia, quæ & *Leucothea* Græcis dicebatur. Fabulam ejus habet *Ovid.* in 3. Metamorph. & 6. Faſtor. Ædem ei primus poſuit *Servius Tullius* rex, quam poſtea refecit *Camillus*, confecto bello Veienti. *Livius* lib. 5. *Camillus* Dictator ſatis jam omnibus ad id bellum (Vientinum ſcilicet) paratis ludos magnos ex Senatuſconſulto vovit, Veiis captis ſe facturum, ædemque *Matutæ matris* refectam dedicaturum. Iam ante ab Rege *Serv. Tullio* refectam, idem *Plutarchus* in Camillo. Ab hujus Deæ templi aditu ſervæ prohibebantur. Vnam duntaxat matronæ introducebant, & colaphos genis ejus infligebant. Cujus rei cauſam inquirit *Plutarchus* in Quæſtionibus Rom. quæſt. 16. Ab hac Dea nulla mulier ſuis, ſed ſororum liberis bona precabantur. *Plutarchus* quæſt. 17. Ideoque in ſacris ejus ſororum liberos pro ſuis in ulnas accipiebant. *Plutarchus* in Camillo *Livius* l. 34. meminit in foro Olitorio dedicatæ ædis *Iunonis Matutæ*. Verum *Carolus Sigonius* pro *Matuta Soſpitam* legendum, nec *Matutæ* cognomen Iunoni tributum fuiſſe, docet.

BONA etiam Dea muliebris Dea fuit, de qua *Plutarchus* in Cæſare hæc ſcribit: Colitur Romæ Dea, quam *Bonam* appellant, ut Græci *muliebrem*. Hanc Phryges Mydæ Regis matrem fuiſſe putant.

Romani *Nympham Dryadem* Fauni uxorem: Græci de nutricibus Bacchi unam Deam, ſcilicet, quam nominari nefas eſt: itaque apud hos, cum ſacra ei fiunt, vitium palmitibus ſcenæ tectæ geſtantur, & ſecundum fabulam, Draco ſacer apud Deam collocatur. Cum ea ſacra peraguntur, virum accedere, aut iiſdem in ædibus eſſe nefas ducitur: ipſæ inter ſe mulieres multa cum *Orphicis* convenientia obire feruntur. Eorum *orgiorum* tempus & celebrandi munus cum ad Conſulem vel Prætorem devenit, ipſe & omne quod eſt maſculum, ædibus egrediuntur: uxor domum exornat, & pleraque noctu fiunt, jocis ad nocturna ſacra admixtis, muſicaque multa adhibita. Hactenus *Plutarchus*. *Lactant*. ex Sext. Clodio refert, *Faunam* uxorem *Fauni* fuiſſe, quæ quia contra morem decuſque regium clam vini ollam ebibiſſet, & facta ebria eſſet, virgis myrteis à viro uſque ad mortem cæſa fuerit: poſtea cum *Regem* facti ſui pœniteret, & uxoris deſiderium ferre non poſſet, divinum illi numen delatum eſſe: idcircoque in ſacris ejus obvolutam vini amphoram poni ſolitam. Quæ *Plutarchus* in Quæſt. Rom. quæſt. 20. paulo aliter narrat *Macrob*. lib. 1. Saturn. cap. 12. multa de *Bona Dea* habet, quam eandem dicit eſſe *Terram* vel *Tellurem*, & appellari interdum *Bonam Deam*: interdum *Faunam*: *Opem*, *Fatuam*, *Bonam Deam*, quod omnium nobis ad victum bonorum cauſa ſit: *Faunam*, quod omni uſui animantium faveat: *Opem*, quod ipſius auxilio vita conſtet: *Fatuam*, à fando, quod infantes partu editi non prius vocem edant, quam attigerint terram. Plura de hac apud *Macrobium* lege. Hujus Deæ ſacra violavit *P. Clodius*, is qui poſtea *Ciceronem* in exilium pepulit, de quo *Cicero* ipſe in Oratione de Aruſpicum reſponſis & alibi. *Plutarchus* in Cæſare, Cicerone, & alii.

Fuit & MANA GENETA à Romanis culta, quam *Plutarchus* in Quæſt. Rom. q. 52. à *manando* dictam fuiſſe, & ortui atque partui præeſſe putat, non aliter atque apud Græcos *Hecate*. Huic canem immolari, votoque ab ea peti dicit, ne quis dominatorum bonus fiat.

Dii alii ab hominum actionibus ſumpti.

MVRCIA Dea deſidiæ exiſtimata eſt, quæ faceret hominem *murcidum*, id eſt, nimis deſidioſum. *Auguſtinus* lib. 4. cap. 16. & *Arnobius*. *Feſtus*: *Murciæ*: *Deæ* ſacellum erat ſub monte Aventino, qui antea *Murcus* dicebatur. *Tertullianus* libro de Spectaculis: *Murciæ* quoque idolum fecit. *Murciam* enim Deam moris eſſe volunt, cui in illa parte ædem vovêre. Vide *Ioſephum Scaligerum* caſtigationibus in *Feſtum*.

STRENVA quæ impellebat homines, ut ſtrenue quid agerent. Ejus ſacellum fuit in via ſacra. *Varro* lib. 4. de lingua Latina.

STIMVLA Dea, quæ ultra modum ad agendum ſtimularet. *Auguſtinus*.

AGENORIAM vocabant, quæ ad agendum excitaret, ab *agendo* dictam. *Auguſtinus*.

AGONIVS etiam Deus dictus, qui præeſſet rebus agendis.

HORTAM, ab *hortando* dictam, quod ad honeſtas actiones exhortaretur, & incitaret, *Plutarchus* in Quæſtionibus Romanis, quæſt. 46. ex Antiſtio Labeone docet: quam tamen ait aliis videri eam eſſe, quæ poſt *Hora* fuerit appellata, Dea agilis, & multis intenta negotiis. Alios etiam dicit exiſtimare, hoc nomen à Græco ὁρᾶν, quod eſt, videre, ei tributum eſſe, quod ſit Dea inſpiciens res. *Ennius* & *Ovidius* memoriæ produnt, eam Quirini, vel Romuli uxorem fuiſſe, quæ alio nomine *Herſilia* dicta ſit. Ejus templum ſemper apertum manſiſſe *Plutarchus* ſcribit, vel quia Dea ſit hortans, & incitans ad honeſtas actiones, ut ſignificetur induſtriam eam ſemperque occupatam nunquam cunctari debere, nunquam incluſam, impeditamve teneri: vel ut ſignificetur nunquam ab ea res humanas negligi debere, cum omnia obſervet, & ſollicita ſit de omnibus, vel etiam ut omnia videre poſſit. In qua Vrbis regione templum hoc, ſciri non poteſt. *Nonius Marcellus*, ubi Ennii verſum ex l. 1. Annal. recitat:

Teque Quirine pater veneror, Horamque Quirini.

Iuventutis Deam fuiſſe dicit *Agellius* lib. 13. cap. 21. *Quirini* uxorem vocat *Vives* ad Auguſtinum l. 4. c. 16. eandem cum Dea *Stimula* fuiſſe putat.

CATIVS Deus dictus, qui homines catos, id eſt, acutos faceret. *Auguſt*. l. 4. cap. 21.

VOLVMNVS Deus, & VOLVMNA Dea, à *volendo* dicti, quod bona vellent: fuerunt etiam Dii nuptiales, ut bene conjungerentur conjuges.

ADEONA & ABEONA Deæ cultæ fuerunt, quæ adeundi & abeundi facultatem præſtarent. *Auguſtin*. lib. 4. cap. 21. & lib. 7. cap. 3.

VACVNAM ait *Varro* l. 1. Rerum divinarum, *Victoriam* dictam eſſe à Sabinis, & ea maxime gaudere eos, qui ſapientia vincunt. Alii alia de ea tradunt. *Porphyrio* Horatii interpres aliquot auctorum ſententias recitat, ſic ſcribens: *Vacuna* apud Sabinos plurimum colitur Dea, quæ eſt ſub incerta ſpecie formata; quidam *Minervam*, alii *Dianam* putaverunt: nonnulli *Cererem* eſſe dixerunt: ſed Varro *Victoriam*. Hæc ille. Quidam volunt, *Vacunam Deam* creditam fuiſſe, quæ vacantibus & otioſis præeſſet. Ejus templum Romæ fuit, quemadmodum in 1. Commentario Reipublicæ Romanæ, in deſcriptione XIV. Vrbis regionum, *Onuphrius Panvinius* docet: locus tamen ignoratur.

VITVLAM Deam *Hyllus* in libro, quem de Diis compoſuit, vocari dicit, quæ lætitiæ præeſſet. Piſo

Piſo ait, *Vitulam Victoriam* nominari: hujus rei argumentum hoc profert, quod poſtridie Nonas Iulias, re bene geſta, cum pridie populus à Thuſcis in fugam verſus ſit (unde *Populifugia* dicuntur) poſt victoriam certis ſacrificiis fiat *vitulatio*. Quidam nomen ejus animadverſum putant, quod potens ſit vitæ tolerandæ: ideo huic Deæ pro frugibus fieri ſacra dicuntur, quia frugibus vita humana toleratur. *Macrob*. lib. 3. Saturn. cap. 2.

PELLONIA, pellendorum hoſtium potens credebatur. *Arnob*. & *Auguſt*. l. 4. c. 21.

NVMERIA Dea, quæ *numerare* docere credebatur, vel ad numeros pertinere. *Auguſtinus* l. 4. cap. 11.

FESSONIA colebatur, ut *feſſos* juvaret. *Auguſt*. l. 4. cap. 21.

VIBILIA, quæ ab erroribus viarum liberabat. *Arnobius* l. 4.

AVERRVNCVS Deus erat, qui *avertere* credebatur mala: ſic dictus, ab *averruncare*, quod *avertere* veteres dixerunt, quemadmodum *verruncare* pro vertere: ſic *Placcunius*; Dii noverint meliora, atque amentiam averruncaſſent. Ab hoc igitur Deo precari ſolebant, ut pericula averteret. *Varro*.

ANGERONA ſilentii Dea fuit, ſic dicta, ut habet *Feſtus*, quod *angores* ac animi ſollicitudines propitiata depelleret. In hujus Deæ tutela fuiſſe Romam, à quibuſdam proditur. *Macrob*. Simulacrum Deæ fuit ore obligato atque ſignato, & in ara Volupiæ collocabatur, propterea quod qui ſuos dolores, anxietateſque diſſimularent, pervenirent patientiæ beneficio ad maximam voluptatem. Sacrificari ei ideo dicit *Iul. Modeſtus*, quod popul. Rom. morbo & angina, qua omne genus animalium conſumeretur, præmiſſo voto, liberatus fuerit. Hæc fere *Macrob*. *Feſt*. *Plin*. & alii.

HEREM MARTIAM antiqui accepta hæreditate colebant, quæ à nomine appellabatur *Heredum*: & eſſe una ex Martis Comitibus putabatur. *Feſtus*.

STATÆ matris ſimulachrum, inquit *Feſtus*, in foro colebatur, poſtquam id colluſtravit (*Ioſeph. Scaliger*, *Cælius ſtatuæ* legendum opinatur) ne lapides igne corrumperentur, qui plurimus ibi fiebat nocturno tempore, magna pars populi in ſuos quiſque vicos retulerunt ejus Deæ cultum.

LAVERNAM Deam Romani fures precabantur, ut inſtituta ſua & conſilia furandi ac mentiendi fortunaret. *Plautus* Cornicularia: *Mihi Laverna in furtis celebraſſis manus*. Horat. *Pulchra Laverna, da mihi fallere*. Erat autem hæc Dea tantum caput, ſine reliquo corpore. Vide *Ioſephi Scaligeri* caſtigationes in Feſtum. Hujus Deæ lucus erat Romæ, de quo *Feſtus*. *Laverniones* fures antiqui dicebant, quod ſub tutela Deæ *Lavernæ* eſſent, in cujus luco obſcuro, abditoque ſoliti furta, prædamque inter ſe *luere* (id eſt, *dividere*.) Hinc & *Lavernalis* porta vocata eſt.

NÆNIA Dea funerum erat. Ejus ſacellum extra portam Viminalem fuit dedicatum. Alias *Nænia*, ut ait *Nonius*, ſignificat ineptum & inconditum carmen, quod adducta mulier, quæ *præfica* diceretur, iis quibus propinqui non eſſent, mortuis exhiberetur. *Varro* l. 4. de vita populi Rom. Ibi à muliere, quæ optima voce eſſet (ſic legit *Guil. Canterus*) per quam laudari, deinde *Næniam* cantari ſolitam ad tibias & fides. *Feſtus*: *Nænia* eſt carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam. Sunt qui eo verbo *finem* ſignificari putant. Quidam volunt *Næniam* ideo dici, quod voci ſimilior querimonia flentium ſit.

De *Libitina*, *Orco*, *Plutone*, &c. alias diximus. Illud etiam non eſt ſilentio prætereundum, veteres ſingulis partibus humani corporis ſingulos Deos præfeciſſe. *Caput Iovi* deferebant: *Neptuno pectus*: *cinctum Marti*: *Frontem Genio* ſacram facit *Servius*: unde inquit, Deum venerantes *frontem* tangimus. *Supercilia* in Iunonis tutela fuiſſe, ait *Sextus Pompeius*, quod iis protegantur oculi, per quos luce fruimur, quam à Iunone tribui putabant, *Lucina* inde dicta. *Oculos Cupidini* Veneris filio, in quibus excubet, ceu Specula quadam, tribuit *Philoſtratus*: *Minervæ* eos ſacros tradit *Fulgentius*. *Aurem Memoriæ* conſecratam refert *Servius*. Locus retro aurem dextram *Nemeſi* attributus fuit, quo referimus, ut *Plinii* verbis dicam, tacto ore proximum à minimo digitum veniam ſermonis à Diis ibi recordantes. *Dextra Fidei* ſacra eſt: nam in fide porrigitur. *Dorſum & poſticæ partes Plutoni* propriæ adſcribuntur ab Artemidoro. *Renes & inguina Veneri* adjudicantur. *Pedes Mercurio*. *Genua Miſericordiæ* conſignavit antiquitas, quod ea ſupplices attingant, ad hæc manus tendant, hæc ut aras adorent, ut inquit *Plin*. *Tali*, *plantæve pedum in Thetidis* poteſtate fuerunt. *Digiti Minervæ* conſecrati, *Servio* teſte. Vide *Lilium Gregorium Gyraldum* Syntagmate 1. Deorum gentilium, & *Hadrianum Iunium* libro 4. Animadverſorum, cap. 12.

AD CAP. XIX. PARALIPOMENA.

De Dea Levana, ritus infantes natos in terram deponendi, & è terra levandi, deque pueris Alexandrinis.

NAti infantes in humum abjiciebantur. C. Plin. præfat. ad lib. 7. Nat. hiſtor. *Hominem tantum nudum, & in nuda humo, natali die abjicit* (Natura) *ad vagitus ſtatim, & ploratum*. C. Sueton. Auguſt. cap. 5. *Hoc quoque patribus conſcriptis allegaret, ſe eſſe poſſeſſorem, ac velut adituum ſoli, quod primum Divus Auguſtus, naſcens attigiſſet*. Idem in Nerone cap. 6. *Nero natus eſt, ante novem menſes quam Tiberius exceſſit, octavo Calendas Ianuarias, jam tum quidem exoriente ſole, pene, ut radiis prius quam terra contingeretur*. Locus ſuſpectus mihi; ideo cenſeo legendum, *jam tantum quod exoriente ſole*. Atque ita in codice MS. Henrici Memmii fuiſſe, teſtatur Dionyſ. Lambinus, qui etiam in Auguſto apud eundem authorem cap. 98. legit; *De*

De Alexandrina navi, quæ tantum quod appulerat. Antea legebatur: *de Alexandrina navi, quæ tunc quidem appulerat.* Et in ejusdem vita c. 63. *Tantumque pueritiam egresso*, lege, *tantum quod pueritiam egresso.* Valetque ea loquendi formula pro *jam tum*, aut *modo primum.* Sic frequenter loquitur M. Tull. l. 7. epist. famil. ep. 23. *tantum quod ex Arpinati veneram, cum mihi a te literæ redditæ sunt.* Et ad Attic. l. 15. epist. 13. *Hæc cum scriberem, tantum quod existimabam orationem ad te esse perlatam.* Idem 3. Orat. Verrina. *Tantum quod aratoribus Metellus obsides non dedit.* Æmil. Prob. Datame. *Qui tantum quod ad hostes perveneraf.* Sed de diverticulo in viam.

De nuper nati partus in terram depositione, intellexit Plin. idem lib. 2. cap. 65. *Sequitur terra, cui uni rerum naturæ partium, eximia propter merita, cognomen indidimus materna venerationis, sic hominum illa, ut cœlum Dei, quæ nos nascentes excipit, natos alit, semelque editos sustinet semper.* Obstetricum hoc munus in terra pueros locare nudos. M. Varro l. 2. de vita populi Romani, apud Marcellum cap. 12. *Natus si erat vitalis ac sublatus ab obstetrice, statuebatur in terra, aut auspicaretur rectus esse, conjugalibus, Pilumno & Picumno in ædibus lectus sternebatur*; qui genialis dicebatur.

Non igitur tantum *Levana* præses nascentium, sed hi quoque dii, atque ut ab obstetrice deponebantur in terram, ita à patre terra infantes levabantur, allusit L. Seneca Consolat. ad Marciam, c. 17. *Consulti de nobis parentes nostri, qui cum conditionem vitæ noscerent, in hanc nos sustulerunt.* Cestius Pius apud eundem l. 2. Controvers. 9. *Dives sustulit unum filium, non fuit contentus; quid enim erat diviti unus? tres sustulit, poterat unum in adoptionem dare, abdicavit unum, alterum, tertium. Iam nihil diviti superesse putatis? quartum abdicat.* Et de utroque ritu passim poëtæ. Ovid. in Ibim.

Qui simul impuræ matris prolapsus ab alvo,
Cymphiam sædo corpore pressit humum.

Locus est Claudian. lib. 1. in Ruff.

Est mihi prodigium cunctis immanius hydris,
Actius Harpyis, refluis incertius undis
Ruffinus, quem prima meo, de matre cadentem
Susceptigremio.

In secundo versu reponunt, *flavis incertius undis.* Sed retineatur recepta lectio, authore Cornippo l. 1. num. 7.

Et prohibent refluas angustis faucibus undas.

Estque magis germana ipsi poëtæ de 3. Honor. consul.

Tethyos alternæ refluas calcavit arenas:

Et de tollendi ritu, idem l. 2. de laudib. Stilich.

Susceptum puerum redimitæ tempora nymphæ
Auri fonte lavant.

Sidon. Apollinar. Carm. 23. v. 204.

Iam primo tenero calentem ab ortu
Excepere sinu novem sorores,
Et te de genetrice vagientem
Texere vitrei vado Hippocrenis.

Alludit ad ritum quo pueri nati impositi aquis explorabantur, de quo ab ibi mihi dicendum. Multus est Papinius in hoc ritu, l. 2. sylv. 1. v. 79.

——— *Raptum sed protinus alvo*
Sustulit exultans, ac prima lucida voce
Astra salutantem dominus sibi mente dicavit,
Amplexusque sinu tulit, & genuisse putavit.

Ejusdem libri sylv. ult.

Natum protinus, atque humum per ipsam
Primo murmure dulce vagientem
Blando Calliope sinu recepit.

Et lib. 1. Thebaid. v. 60. Oedipus ad Tisiphonem:

Si bene quid merui, si me de matre cadentem
Fovisti gremio, & trajectum vulnere plantas
Firmasti.

Et lib. 1. syl. 2. in fine:

At renascentem gremio mea blanda recepit
Parthenope.

Denique lib. 5. syl. ult. quem locum adscribam, quod explicatione pariter & manu critica egeat:

Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces
Delitias, doctumve sui con vitia Nili
Infantem linguaque simul salibusque protervum
Dilexi, meus ille, meus, tellure cadentem
Excepi, & vinctum genitali carmine fovi,
Poscentemque novas tremulis ululatibus auras
Inserui vitæ.

Primum versum explicat Suetonius in Aug. cap. 98. *Quæ re admodum exhilaratus, quadragenos aureos comitibus divisit, insuper jurandum & cautionem exegit à singulis, non alio datam summam, quam in emptionem Alexandrinarum mercium absumpturos. Alexandrinæ merces*, historico, & *loquaces de Pharia puppe delitiæ*, sunt Statio, pueri Ægyptii, dicaces, & ob id conviviis gratissimi. C. Petron. in Satyr. pag. 23. *Tandem ergo discubuimus pueris Alexandrinis aquam in manum nivatam infundentibus, aliisque insequentibus ad pedes.* M. Fab. Quintilian. lib. 1. cap. 2. de effœminata puerorum suo sæculo educatione: *In lecticis crescunt, si terram attigerint, è manibus utriusque sustinentium pendent, gaudemus, si quid licentius dixerint, verba ne Alexandrinis quidem permittenda delitiis, risu & osculo excipimus: nec mirum, nos docuimus, ex nobis audiverunt, nostras amicas, nostros concubinos vident, omne convivium obscœnis cantibus strepit, pudenda dictu spectantur.* Iul. Capitol. in Vero Aug. *Adduxerat secum & fidicinas, & tibicines, & histriones, scurrasque mimarios & prasligiatores, & omnia mancipiorum genera, quarum Syria & Alexandria pascitur voluptate.* M. Martial. lib. 4. Epigr. 42.

Si quis forte mihi possit præstare locanti,
Audi, quem puerum, Flacce locare velim.
Niliacis primum puer hic nascatur in oris,
Nequitias tellus scit dare nulla magis.

Nequitiæ in re obscœna Martialis dixit, *delitias* Quintilianus, & Papinius proxime supra laudatus; adde eundem l. 2. syl. 1. vers. 70.

Tu modo delitiæ, dulces modo pectore curæ
Non te barbaricæ versavit verna Cataste,
Nec mixtus Phariis venalis mercibus infans,
Compositosque sales, meditataque verba locutus
Quæsisti lasciviis herum.

Alludit Claudianus lib. 2. de laudib. Stilichon. & dicam abunde infra, quando de conviviis agetur:

Non pueri lasciva sonant.

Statii versus repeto: quorum tertium repugnante metri ratione, ex MS. imperiti, indubie manu, exarati fide, nonnulli legunt:

Infantem, lingua simium, salibusque protervum.

Sed melius, eruditissimus vir, vereque senatoriæ doctrinæ Petrus Petavius, correxit ex MS. primus: quod sciam:

Infantem, lingua Samium, salibusque protervum.

Firmat ille correctionem suam testimonio Ciceronis, apud quem insigni dicacitate, & convitiandi licentia Samii audiunt. Quod mihi non lectum. In versu quarto in eodem MS. egregie præfertur:

Aspexi, atque unctum genitali carmine fovi.

Castigatissime. Nam infantes nuper nati, & adhuc de matre rubentes, ut verba satyrici usurpem, aqua abluebantur, unguentis perfundebantur, ut suo loco dicetur. Sed ad institutum de *Levana* sermonem redeo.

Infans non habebatur legitimus, nisi pater præsens, vel ab eo absente, procurator pro eo, infantem terra levasset, sinui imposuisset; itaque *tollere* infantem, est, *suum agnoscere, alere in spem familiæ*, & *hæredem habere, non tollere, familia ejicere, abdicare*, aut *exponere.* L. Seneca apud Lactantium Firmianum lib. 1. divinar. Instit. cap. 16. *Quid ergo est, quare apud poëtas sæpissimus Iupiter desierit liberos tollere? utrum sexagenarius factus est, & illi lex Papia sibulam imposuit, an impetravit sibi trium liberorum?* D. Iuvenal. Sat. 9. vers. 84. aliis in hanc rem citatus:

Tollis enim, & libris actorum spargere gaudes
Argumenta viri, foribus suspende coronam
Iam pater es, dedimus, quod famæ opponere possis,

Iura parentis habes, propter me scriberis hæres,
Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.

Quem locum, quia à paucis intellectum, explicabo. Filium ex uxore sublatum, tuum fecisti, cujus uxoris beneficio civis Romani frueris privilegiis, ut etiam ad caducarum hæreditatum admittaris successionem. gloss. Isidori. *Bona caduca, quibus nemo succedat hæres.* Et alibi in iisdem glossis; *Caducarius, ad quem pertinent, quæ cadunt defuncto aliquo, cui non est, qui succedat.* Q. Symmachus lib. 2. Epist. 13. *Ego certe vereor, ne improborum sitis ad se existimet pertinere quæsitum caducum, fiatque innocentium causa deterior, si ad eos tantum fulsi redeat occasio, qui neque lege, neque pudore cohibentur.* In MS. non *pertinere* quæsitum, legitur, sed *pervenire*, rectius, id est, jure devolvi. M. Manil. libr. 4. Astronomic.

Quæremus lucrum navi, mortemque sequemur
In prædas, pudeat tanto bona velle caduca.

Audiatur vetus scholiastes. *Iura parentis habes: hæc omnia ad jus civile poëta retulit, id est, meo labore habes filios, & scriberis hæres, & non pateris pœnas orbitatis.* I. Lipsius in l. 3. Annalium C. Taciti. & primus de lege Papia Poppæa debere intelligi, docuit Ioannes Cuspinianus ad Fastos Aurelii Cassiodori, in consulatu Q. Sulpitii, & C. Pompeii.

Denique de tollendi consuetudine, idem vetus Scholiastes loco citato: *Tollis, nutris, & libris actorum propter professionem scilicet..... quia apud ærarium patres natorum deferebantur filiorum, vel nominum notitia divulgare contestatione publica.* C. Tacit. vita Agricolæ. *Auctus est ibi filia in subsidium simul & solatium; nam filium ante sublatum brevi amisit.* Q. Curt. Rufus lib. 9. *Genitor liberos nos parentum arbitrio tollunt, aluntque, sed eorum quibus infantium spectandi habitum cura demandata est.* P. Terent. Adelph.

Qui sine hac iurabat se unum nunquam victurum diem,
Qui in suo gremio positurum puerum dicebat.

Et in Heautontim.

Meministin' me esse gravidam, & magnopere
Interminatam, si puellam parerem,
Nolle me tolli: CHREM. scio quid feceris.
Sustulisti.

Reliqua quæ vel hoc capite, vel superiori continentur, seu quia ante à me explicata sunt, seu quia deinceps dicentur, prætermittenda impræsentiarum duxi.

PARALIPOMENA.

De Domiduco Deo, & ritu ex patris domo in mariti transeundi.

De diis Nuptialibus, ut & de Nuptiis, plenissime disseretur lib. 5. c. 37. infra, interim hic de *Domiduco* solum agam. Erat hic cujus numine putabatur virgo matrona esse, & patriæ potestatis jugo soluto, in mariti jus migrare. Nonius Marcell. c. 2. num. 431. *Innubere positum pro transire, quod hæ, quæ nubunt ad maritorum transeunt domos.* Quod intelligendum jam consummatis nuptiis, nam sponsalia non faciunt domum mutare sponsam. Modest. IC. l. 32. ff. ad Municipal. *Ea quæ desponsa est, ante contractas nuptias non mutat domum.* Papinian. IC. l. 68. ff de jure dotium: *In domum absentis uxore deducta, nullis in eam interea ex bonis viri sumptibus factis, ad exhibitionem operis promissis usuras reversus vir improbe petit.* Vlp. l. 15. ff. de condit. & demonstrat. *Cui fuerit sub hac conditione legatum, si in familia nupsisset, videtur impleta conditio, statim atque ducta est uxor, quamvis nondum in cubiculum mariti venerit.* Et diserte idem Papinianus l. 60. ff. de jur. dot. *Et si minor annis duodecim, ut major deducta sit, tunc primum petatur, cum major annis apud eundem esse cœperit.* Tull. Orat. 2. Verr. *Hic est decimus, ad quem iste deduxerat tertiam Isidori Mimi filiam.* Alludunt poëtæ: Nicodem. Heracleot. Antholog. lib. 6. cap. 4. παρθένον ἠγαγόμην, *Virginem duximus.* Cl. Claudian. l. 2. de Raptu:

Ducitur in thalamum virgo.

M. Lucan. l. 8. v. 89. Cornelia hæc de se queritur:

Infœlix conjux, & nulli læta marito,
Bis nocui mundo, me pronuba duxit Erynnis.

Alb. Tibull. lib. 3. eleg. 4.

Vt juveni primum virgo deducta marito,
Inficitur teneras ore rubente genas.

P. Virgil. l. 7. Æneid. v. 358.

Exulibusne datur ducenda Lavinia Teucris.

Ovid. l. 6. Fastor.

Cum primum cupido Venus est deducta marito.

Et Epist. 15. Paridis ad Helenam:

Pene suis manibus ad te deduxit amantem.

M. Accius Plautus Aulularia *sc. Narravi:*

——— *si idem faciant cæteri*
Opulentiores, pauperiorum filias
Vt indotatas ducant uxores domum,
Et multo fiat civitas concordior.

Itaque nocturno tempore, flammeo velatæ sponsæ in domum mariti futuri deducebantur carpento, seu pilento vectæ, comitantibus duobus amicis aut consanguineis, quos *chamapos, parochos*, & *Paranymphos* vocabant, ut suo loco infra fusissime disquiretur.

PARALIPOMENA.

De Diis puerperarum, Nixiis, Bona dea, & Hecate.

Puerperas voluerunt in certo quorundam numinum præsidio esse (vide quæ infra de Silvano discutio hoc libro) nam puerperii ipsius Deos, *Nixios* appellabant, à *Nitendo* nempe, quod vel partus in lucem venire niteretur, vel mater dolore defungi. Alludunt poëtæ. D. Auson. Eidyllio 12. in fine:

Sed nono incumbens signo, cunctantia matrum
Vota levat, trigono vires sociante sequenti,
At si difficiles trahit Ilithyia.....
Tetragono absolvet dubiarum vincla morarum.

Tertium versum facillimum erit supplere hoc modo:

At si difficiles trahit Ilithyia labores.

Vel, si hoc displicet, *dolores.*

Ovid. Epist. 4. Phædræ Hippolyto:

O utinam placitura tibi pulcherrime rerum
In medio nixu viscera rupta forent.

Eidem medela adhibenda libr. 9. Metamorphos. Fab. 5. ubi Alcmenæ Herculem parientis describitur historia:

Dum loquor, horror habet, parsque est meminisse doloris,
Septem ego per noctes, totidem cruciata diebus,
Fessa malis, tendensque ad cœlum brachia, magno
Lucinam ad nexos partus clamore vocabam.

Legendum est, nisi ego fallor, castigatius, apertiusque:

——— *tendensque ad cœlum brachia, magno,*
Lucinam, Nixosque pares clamore vocabam.

Atque hujus necessariæ, ut videtur, correctionis auctor est Adrianus Turnebus l. 7. Adversarior. c. 8. qui super hac re consulatur.

De *Bona dea* hic quoque obiter aliquid perstringendum: cujus in ædem ventitare viris nefas habitum. M. Tull. Paradoxo 4. *Familiarissimus tuus de te privilegium tulit, ut si in opertum Bonæ deæ accepisses, exulares.* In margine legitur, *familiarissimus tuus Cornificius de te.* Arnob. lib. 1. cont. gent. *Fauna fatua Fauni uxor, Bona dea quæ dicitur, sed in vini meliori & laudabiliori potu.* C. Plin. libr. 16. cap. 2. Aurel. Macrob. ex Cornelio Labeone libr. 1. Satur. cap. 12. *Auctor est Cornelius Labeo, huic Majæ ædem Kalendis Majis esse dedicatam sub nomine Bonæ deæ, & eandem esse Bonam deam & terram, ex ipso ritu occultiori sacrorum doceri posse confirmat: hanc eandem bonam deam, Faunamque, & opem, & Fatuam pontificum libris indigetari: Bonam, quod omnium nobis ad victum bonorum causa est.* Poëtæ. D. Iuvenal. Satyr. 6. v. 316.

Nota Bonæ secreta Deæ.

Alb. Tibull. lib. 1. Eleg. 6.

Exibit quam sæpe cave, seu visere dicat
Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ.

Sext. Propert. lib. 4. Eleg. 10.

Fœmineæ loca clausa Deæ, fontesque piandos,
Impune & nullis sacra retecta viris.

Non ergo viri intrare templum poterant ejus, ut tutum esset confugium puellis, quæ se ornari extra virilem conspectum volebant. Ovid. l. 3. de Arte:

Quæ male crinita est, custodem in limine ponat,
Ornetur ve Bonæ semper in æde Deæ.

Et post eodem opere:

Cum fuget à templis oculos Bona diva virorum?
Præterquam si quos illa venire jubet.

Ergo & adulteria sæpe in fano illo committebantur, clam adulteris irrumpentibus, quod ab unico P. Clodio factum, ut omnibus notum. Vet. Scholiast. Iuvenal. ad v. 335. Sat. 6. *de Psaltria, id est, de Clodio dicit, qui templum Bonæ deæ ingressus habitu Psaltriæ adulterium commisit.* Et ad v. 316. *templum ubi intravit Clodius, & cum uxore pontificis concubuit, ibi non saltat matrona cum tibia, & Clodius psaltriæ habitu ingressus est.* Et graviter conqueritur M. Tull. Orat. de Arusp. Resp. *Sacrificium violavit, quod fit incredibili ceremonia, fit ei deæ, cujus ne nomen quidem viros scire fas est, quam iste* (Clodius) *Bonam dicit, quod in tanto scelere sibi ignoverit.* Et de eodem: *Hominemque eum qui pulvinaribus Bonæ deæ stuprum intulerit, eaque sacra, quæ viri oculis ne imprudentes quidem aspici fas est, non solum a spectu virili, sed flagitio stuproque violarit.* Nec modo viri ingressu prohibiti, sed ne deorum quidem picturæ masculæ apertæ in illo templo. Iuvenal. Sat. 6. v. 337.

——— *velari pictura jubetur,*
Quæcunque alterius sexus imitata figuram est.

Vet. Inscript.

ANNIA. P. L. FLORA. EX. TESTAMENTO. BONAI. DEAI. SACRVM. SALVIA. SOROR.
LIBERTA. SVA. PECVNIA. FAC. CVRARVNT.

Et altera:

ÆLIA. NICE. SACERDOS. BONÆ. DEÆ. SE. BIBA. COMPARAVIT. SIBI. ET. ALVMNÆ. SVÆ.

Et tertia, ex Aldo Manutio in C. Iulii Cæsaris Commentarios, cujus hæc sunt verba:

D. M.
CL. NICE. SACERDOS. BONÆ. DEÆ. ET ÆLIÆ. THALVSSÆ. ET ÆLIÆ. SERAPIÆ. ET. CL. FORTVNÆ. ET. LVCIÆ. FELICITATI. ET VALERIO. MENANDRO. F.

Ejus sacrificia vino peracta ebibito, quod tamen non suo nomine, sed lactis appellabatur, puto, quod illa vinum bibens à marito suo interfecta fuerit, vinum hoc in amphora illatum, quod Mellariam dixere. Quo refert Ioannes Britannicus illud D. Iuvenalis Satyr. 9. v. 115.

——— *taceant illi, sed prodere nolunt*
Arcanum, quam subrepti potare falerni.
Pro populo faciens, quantum Lausella bibebat.

Licet vetus Scholiastes ibidem, de virgine Vestali sacrificante intelligi velit, sed facile est dissidium illud componere. Nam & virgines Vestales Bonæ deæ sacrificabant, teste Cicerone Orat. de Aruspic. Responf. *Id sacrificium nemo vir aspicere non horruit, quod fit per virgines Vestales, fit pro populo Romano.* Hostiam animalem ei oblatam videri potest ex Iuvenale eodem Sat. 2. v. 84.

Atque Bonam teneræ placant abdomine porcæ,
Et magno cratere deam.

Templum ei in Aventino fuit monte. P. Victor in Reg. 13. & P. Ovid. lib. 5. Fastor.

Templa patres illic oculos exosa viriles
Leniter acclivi constituere jugo.

Sequitur de *Hecate*, quæ & in cœlo, *Luna*, in inferis, *Proserpina*, in silvis *Diana*, dicitur, venantium præses, uti antea exposui. Adde Euripidem in Hecuba, referente Plutarcho lib. de Iside & Osyride:

Ἑκάτης ἄγαλμα φωσφόρον Κύων ἐοικέν.
Hecates simulachrum Luciferæ fiet canis.

Adde hoc loco, præter ea quæ diximus, canes Hecates appositos statuis, & præsertim hic de *Vertago* agimus: sic enim à venatoribus appellari solebat, ut præfert lemma Epigrammatis 200. lib. 14. apud Mart.

Non sibi sed domino venatur vertagus acer,
Ille sinu leporem qui tibi dente feret.

At in MS. codice rectius:

Intactum leporem qui tibi dente feret.

Turneb. lib. 18. adversarior. cap. 1. censuit legendum, *fertrahus*, quasi *ferarum venatu interceptarum tractorem dicas.* Nam F. in V. mutari solemne erat, nisi à *tragula* (retis id genus) nomen desumptum credamus, sed apud Gratium in Cyneg.

Petronios (sic fama) canes, volucresque Sicambros,
Et pictam macula vertraham delige falsa.

Canes hi venatorii erant, & ob id latrare eos finxere creduli. Theocrit. Eidyll. 2.

——— Κύνες ἀμμιν ἀνὰ πτόλιν ὠρέοντες
ἁ θεὸς ἐν τριόδοισι.
Canes nobis per urbem latrant, dea autem adest in Triviis.

Virgil. lib. 6. Æneid.

Visæque canes ululare per urbem
Adventante dea.

L. Sen. Act. 4. sc. ult. ad finem Medea.

Vota tenentur, ter latratus
Audax Hecate dedit.

Et cum illa præesset magicis incantaminibus, puto, illud mystice de ea dictum in Pharmaceutria, seu Ecloga 8. apud Virgil.

——— *& Hylax in limine latrat.*

Imo & ejus *victima canes*, Sophron in Mimis: *Quod eorum latratus monstrosas visiones, & incantamenta solvit.* Tzetzes in Lycophronem, qui dixit de Hecates sacrificio. Bernardin. Realin. cap. 13.

Ἄνδρον κυνοσφαγὲς θεᾶς.
Antrum Canivoræ deæ.

Theocritus in Pharmaceutria, & Scholiastes ejusdem apud Ioannem Brodæum Miscellaneor. lib. 1. cap. 24.

Ejus triplices vultus perstrinxit L. Apulejus lib. 11. Milesiar. in principio: *Seu nocturnis ululatibus horrenda Proserpina, triformi facie larvales impetus comprimens, terræque claustra cohibens, lucos, diversos inerrans, vario cultu propitiaris.* Varias ejus rei rationes pete ex Servio Honorato ad illum lib. 4. Æneid. quas non exscribo:

——— *crines effusa sacerdos*
Tercentum tonat ore deos, Herebumque, Chaosque,
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Diana.

L. Sen. in Medea Act. 1. sc. 1.

Tacitisque præbens conscium sacris jubar,
Hecate triformis.

Iul. Hygin. Astronomic. lib. 4. ad finem. Et ex eo Symmachum lib. 1. Prudent.

Denique cum Luna est, sublustri splendet amictu,
Cum succincta jacit calamos, Latonia Virgo est,
Cum subnixa sedet solio, Plutonia conjunx.

Eosdemque versus repetitos invenies apud Isidorum Hispalensem lib. 8. Etymologiar. cap. 11. & refer huc vulgatos illos, sed ingeniosissimos versus.

Terret, lustrat, agit, Proserpina, Luna, Diana,
Inma, suprema, feras, sceptro, fulgore, sagitta.

Claudian. lib. 1. de Raptu, in limine:

Ecce procul ternis Hecate variata figuris
Exoritur.

Valer. Flacc. lib. 1. Argonautic.

Tergeminam tum placat heram, Stygiasque supremo
Obscerat igne domos.

Idem lib. 7. Argonautic.

——— *utque sub altas*
Pervenere trabes, diva que triformis in umbras.

Aurel. Prudent. lib. 1. in Q. Symmachum. Vide locum:

Nunc etiam volucres Caprearum in terga sagittas
Spargere, terque suas eadem variare figuras.

D. Auson. in Gripho Ternarii numeri:

Tergemina est Hecate, tria virginis ora Dianæ.

Lutatius Grammaticus ad v. 456. lib. 4. Thebaid. & ipse Statius lib. 10. Thebaid. v. 362.

Arcana moderatrix Cynthia noctis,
Si te tergeminis prohibent variare figuris
Numen, & in silvis alio descendere cultu.

Malim legi, *alio descendere vultu.* Denique extat vetustissimum epigramma lib. 2. poëmation & epigrammaton veterum, & apud Onuffrium Panvinium in civitate sua pag. 194. quod propter elegantiam integrum adscribam.

M. D. M. ID. ATTIDIS. MINOTAVRANI. ARAM. IIII. ID. MARTI.
GRATIANO. IV. ET. MEROBAVDE. COSS. DEDICAVIT.
ANTIQVA. GENEROSE. DOMO. CVI. REGIA. VESTÆ.
PONTIFICI. FELIX. SACRATO. MILITAT. IGNE.
IDEM. AVGVR. TRIPLICIS. CVLTOR. VENERANDE. DIANÆ.
PERSIDICI. QVE. MITRÆ. ANTISTES. BABILONIE. SACRI.
TAVRIBOLI. QVE. SIMVL. MAGNI. DVX. MYSTICE. SACRI.

Non esse tamen semper idem numen *Dianam, Proserpinam, & Hecaten*, docemur ex Hesiodo in Theogonia, qui diversas facit deas has: eratque Hecate interdum tantum modo animarum præses. Luctat. Placid. ad v. 481. l. 4. Thebaid. *Hecate & Mercurius pias animas ducant, nocentes Tisiphone.* Ipse Poëta:

Ferte simul gressus, nec simplex manibus esto
In lucem remeare modus, tu separe cœtu
Elysios Persæa pios, virgaque potenti
Nubilus Arcas agat: contra per crimina, &c.

Sic enim optime legendum docuit Ianus Parrhasius in quæsitis suis Epist. 55. cum antea pessime esset:

Elysios Persæe pios.

Huic divites olim singulis mensibus epulas magnificas parabant, quibus pauperes vescerentur. Scholiast. Aristophan. in Pluto. apud Ioann. Hartungum Locor. Memorabil. Decad. 1. Cap. 8. num. 34. Ipse Aristophan. Act. 2. sc. 5. ad finem:

Τὸς μὲν ἔχοντας, καὶ πλουσίους δεῖπνον
Κατὰ μῆνα παρασκευάζν.
Opulentos, & divites, quovis mense sibi apponere canam. Ad alia pergo.

MVRCIA dea ignavorum, quam frustra confundunt cum *Venere*, quæ sic appellata est à myrto, quam in tutela sua habet. C. Plin. lib. 15. cap. 29. Plutarch. Problem. Rom. cap. 19. Ita tamen censuit Philipp. Beroaldus in Annotationibus, cap. 49. Sabellic. in Annotat. in T. Livium lib. 1. Verba sunt ipsius historici. *Inde ingenti præda potitus, Romam rediit, tum quoque multis millibus Latinarum in civitatem acceptis, quibus ut jungeretur Palatio Aventinum, ad Murtiæ datæ sedes.* Nomen illi desumptum à *Murcis*, id est, *ignavis*, quique pollicibus truncati inhabiles bellis gerendis habebantur. Nam hujusmodi homines *Murci, Murciti, Murcili, Murcicidi*, ut alii notarunt, appellabantur. Ammian. Marcellin. lib. 15. *Ad militandum omnis ætas aptissima, & pari pectoris robore senex ad procinctum ducitur, & adultus, gelu duratis artubus, & labore assiduo, multa contemptus, & formidanda, ne eorum aliquando quispiam, ut in Italia, manus martium pertimescens, pollicem sibi præcidit, quos jocularitER Murcos appellabant.* C. Sueton. Aug. exemplum consuetudinis subministrat, cap. 24. *Equitem Romanum, quod duobus filiis adolescentibus, causa detrectandi sacramenti, pollices amputasset, ipsum bonaque subjecit hastæ.* Isidor. Hispalensis in glossis. *Murcinarius, mutilus.*

Sed ut Venerem esse credamus Murciam hanc deam, seu Murtiam, (Cujus meminit etiam Tertull. lib. de Spectaculis apud Adrianum Turnebum libr. 22. cap. 17. & cap. 4. laudati libri, *Murciam amoris*, inquit Tertull. *deam esse volunt.*) facit L. Apulejus lib. 6. Milesiar. *Si quis à fuga retrahere, vel occultam demonstrare poterit fugitivam regis filiam, Veneris ancillam, nomine Psychen, conveniat retro metas Murtias Mercurium prædicatorem.* Vbi *metas Murtias, desidiæ, ignaviæque* interpretor. Tales enim illorum mores, qui Venerem sequuntur, licet sciam, vitiis suis patrocinantem dixisse P. Ovidium libr. 2. de Arte:

Militiæ species amor est, discedite segnes,
Non sunt hæc timidis arma tuenda viris.
Nox, & hyems, longæque viæ, sævique dolores,
Mollibus in castris, & labor omnis adest.

Et lib. 1. Amor. eleg. 9.

Qui non vult fieri desidiosus, amet.

Sed quis ille labor? ipse eodem loci explicat, inconcessos scilicet in alienum thalamum assultus:

Nempe maritorum somnis utuntur amantes,
Et sua sopitis hostibus arma movent.

Redeo ad *Murcos.* Constitutio est in veteri Saxonum lege, in hæc verba cap. 13. *Pollex totus abscissus CCCLX. sol. si dimidius. CLXXX. si minimus, si totus, ut supra, si index, CLXXX. & per singula membra tertia pars mulctæ componatur. medius & medicus, uterque sol. CXX. & per membra eorum, ut de cæteris dictum est, pollex pedis medietate pollicis manus componatur, tres articuli medietate compositionis medii & medici, digitorum componantur, minimus articulus, medietate unius de tribus articulis componatur. Itaque apparet solemne fuisse metu militiæ, digitis amputatis mutilos se facere consuevisse, & ob id secundum varium digitorum in bellis obeundis usum, (neque enim is non diversus est) pœnas detruncantibus se statutas etiam varias, majores, minoresve.* Est & altera huic similis constitutio, in Antiqua lege Bajuvarior. c. 3. num. 11. cujus hic ferme textus.

1. *Si quis alicujus pollicem abscideritt, cum* XII. *Sol. componat.*
2. *Et si proximum à pollice, vel minimum abscideritt, cum* IX. *Sol. componat, unum sic, & alium sic.*
3. *Illos medianos duos digitos, cum* X. *solid. componat, unum cum quinque solid. & alium cum V.*
4. *Et si non fuerint abscissi, & est mancus, stat rectus, ut non possit plicare, hoc impedimentum est ad arma bajulare, major est compositio, quam de abscisso, tertiam partem supra addet, ad* XII. *adde* IV. *fiunt* XVI. *ad* IX. *adde tres, fiunt* XII. *ad V. adde duos, & tremissim, fiunt* VII. *sol. & tremisses. sic eum debes judicare, & sic componere.*

Pollices ergo sibi abscindebant militiam detrectaturi, vel abscindebantur in pœnam, ne utilis quispiam esset ferendis armis. Tull. l. 3. de Offic. *Durius Athenienses, qui sciverunt, ut Æginetis, quia classe* (malim, *qui classe*) *pollebant, pollices præciderentur.* Et certe varios animi motus pollicis diverso gestu significabant, nam & laudem favoremque junctus significabat. C. Plin. libr. 28. cap. 2. Interpretes Q. Horatii ad libr. 1. epist. 18.

Consentire suis studiis, qui crediderit te,
Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.

Et laudandos, amatosque, pollice exerto ostendebant, ut & alios indice extenso, ut alibi dicam. Cl. Claudian. de 6. Honor. consul.

——— *gaudet metuens, ac pollice monstrat.*

Contra *pollicem in vertere*, denegati favoris certissimum symbolum, odii aversique animi indicium. *Vet. Scholiast. Iuvenal. ad* Satyr. 3. v. 37. *pollice verso, id est, fortuna mutata.* Ipse Iuvenalis:

Munera nunc edunt, & verso pollice vulgus
Cum libet, occidunt populariter.

Sic enim melius, quam in editionibus vulgatis:

Quemlibet occidunt populariter.

Q. Aurel. prudent. lib. 2. in Symmach.

Et quoties victor ferrum jugulo inserit, illa
Delitias ait esse suas, pectusque jacentis
Virgo modesta jubet converso pollice rumpi.

CAPVT XX.

De Diis rusticis.

MARCVS Terentius Varro conscripturus præcepta de re rustica invocat XII. *Deos Consentes*, non eos de quibus supra diximus, qui à Iove adhibebantur in consilium, sed eos qui præerant *agriculturæ*. Verba ejus sunt hæc: Quoniam, inquit, ut ajunt, Dei facientes adjuvant, prius invocabo eos: nec ut *Hemerus*, & *Ennius*, Musas: sed XII. *Deos Consentes*. Neque tamen *urbanos*, quorum imagines ad forum auratæ stant, sex mares, & fœminæ totidem, sed illos XII. *Deos*, qui maxime agricolarum duces sunt. Primum, qui omnes fructus agriculturæ cœlo & terra continent, *Iovem* & *Tellurem*. itaque duo hi parentes magni dicuntur: *Iupiter* pater appellatur; *Tellus* terra mater. Secundo *Solem* & *Lunam*, quorum tempora observantur, cum quædam seruntur & conduntur. Tertio *Cererem* & *Liberum*, quod horum fructus maxime necessarii ad victum. Ab his enim cibus & potio venit è fundo. Quarto, *Robigum* ac *Floram*, quibus propitiis, neque *rubigo* frumenta, neque arbores corrumpit, neque non tempestive florent. Itaque publice *Robigo* feriæ, *Robigalia*, Floræ, ludi *Floralia* instituti. Item advenero *Minervam* & *Venerem*, quarum unius procuratio *oliveti*, alterius *hortorum*: quo nomine rustica *Vinalia* instituta. Nec non etiam precor *Lympham* ac *Bonum eventum*: quoniam sine aqua omnis arida ac misera *agricultura*: sine *successu* ac bono eventu: frustratio est, non cultura. Hactenus *Varro*: unde qui rustici Dii præcipui fuerint, facile intelligimus. De *Iove*, *Tellure*, *Sole*, *Luna*, *Cerere*, *Libero*, *Minerva*, *Venere*, *& Nympha*, sive *Nymphis* diximus ante: itaque de reliquis hoc capite agemus, quibus etiam alios huc pertinentes adjiciemus.

PALES.

DE PALE Dea quæ dicam, pauca habeo: *Servius* ait, eam fuisse *Deam pabuli*, cui sacrificati sunt pro felici proventu *pabuli*, & incolumitate *pecorum*. Idem scribit alios putare eam *Vestam* esse, alios *Matrem Deum*, *Festus*: *Pales dicebatur Dea Pastorum*. An templum ei Romæ constructum fuerit, nondum apud quenquam legi: culta tamen ab iis fuit, in ejusque honorem festum, quod *Patilia*, vel *Palilia* dicebant, celebratum, ut alio libro ostendam, propterea multa ejus mentio est apud *Virgilium*, *Ovidium*, *Tibullum*, *Propertium*, *Varronem*, & alios. Notat etiam *Servius Palen* à Virgilio genere fœmININO dici: ab aliis genere masculino.

FLORA.

DIXIMVS supra duas à Romanis *Accas* fuisse cultas, alteram *Larentiam* Romuli & Remi nutricem, alteram vero *Terrutiam*. De *Larentia* ante verba fecimus; de *Tarrutia* hic agemus. Scribunt *Plutarchus* in Quæstionibus Romanis, *Macrobius* libr. 1. Saturnal. cap. 10. *Augustinus* lib. 6. cap. 7. de Civitate Dei, & alii, Anco Martio regnante ædituum Herculis per ferias ociantem Deum tesseris provocasse, ipse utriusque manum tuente, adjecta conditione, ut victus cœna, scortoque mulctaretur. Victore itaque *Hercule*, ædituum *Accam Larentiam*, nobilissimum per id tempus scortorum, intra ædem inclusisse cum cœna, eamque postero die distulisse rumorem, quod post concubitum Dei accepisset munus, ne commodum primæ occasionis, cum se domum reciperet offerendæ aspernaretur. Evenisse itaque ut egressa mox templo à Taruntio, sive Tarrutio capto ejus pulchritudine compellaretur, cujus voluntatem secuta, sumptaque nuptiis, post obitum viri omnium bonorum ejus facta compos, cum decederet, pop. Romanum nuncuparit hæredem. Et ideo ab *Anco* in Velabro, loco Vrbis celeberrimo, sculpta sit, ac solemne sacrificium eidem constitutum, quo Diis manibus ejus per Flaminem sacrificaretur. Addunt quidam, quod à vero non est alienum, ipsam hac conditione populum Romanum hæredem reliquisse, ut sibi quotannis suum natalem celebrarent, editis ludis; quod cum Senatui flagitiosum visum fuisset, ab ipso nomine argumentum sumi placuisse, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur. *Deam* igitur finxisse, quæ floribus præesset, quamque placari oporteret, ut fruges cum arboribus aut vitibus bene prospereque florescerent. Hæc *Lactantius* lib. 1. Divinarum institutionum cap. 20. & addit, cum colorem secutum in Fastis *Ovidium* narrasse, *Floram* fuisse non ignobilem Nympham, quæ sit *Chloris* vocitata, eamque *Zephyro* nuptam, quasi dotis loco id accepisset muneris à marito, ut haberet omnium florum potestatem. De *Floralibus*, quæ in hujus Deæ honorem celebrabantur, post dicemus.

POMONA Dea fuit, quæ ut *Varro* & *Festus* ajunt, levissimo agrorum fructui pomis præerat. Hæc proprium habebat Flaminem, qui dicebatur *Flamen Pomonalis*.

VERTVMNVS, sive, ut alii scribunt VORTVMNVS. Etiam hunc Deum inter rusticos referre placuit. Sic autem appellabant eum *Deum*, qui præerat rebus *contrahendis*, ac *vertendis*, id est, permutandis: vel ab anno verso nomen hoc habebat: vel ab eo, quod anni vertentis poma percipiat: de quo *Propertius* libr. 4.

Quid

Quid mirare meas tot in uno corpore formas?
Accipe Vertumni signa paterna Dei.
Tuscus ego Tuscis orior: nec pœnitet inter
Prælia Volscinos deseruisse focos.
Nec me turba juvat, nec templo lætor eburno,
Romanum satis est posse videre forum, &c.

Plura lege apud *Propertium*. Propterea autem quod hic Deus ad omnes figuras ac formas opportunus erat, credebatur etiam menteis hominum, & cogitationes in rebus emendis ac vendendis, vertere, immutare, ac varie efficere, itaque mobili ingenio & inconstantes homines *iratis Vertumnis* natos dicebant, ut *Horatius* Satyra 7. lib. 2. *Antonius Fanensis* in lib. 6. Fastorum Ovidii multa de Vertumno habet, & inter alia dicit, esse qui *Vertumnum* affirment fuisse vetustissimum Thuscorum Regem, qui vinearum & pomiferarum arborum ferendarum tradiderit rationem, cui Thusci illi, qui cum Lucumone in auxilium Romuli venisse dicuntur, Romæ templum ædificarint. *Asconius* in 3. Verrinam ait, *Vertumnum* Deum esse rerum invertendarum, id est, mercaturæ: Hujus signum & templum in vico Thusco ad Opis & Cereris aras constituerunt. Festa ejus, quæ mense Octobri celebrabantur, *Vertumnalia* appellarunt.

SEIA & SEGECIA, sive SEGESTA, harum duarum Divarum ex *Varrone* meminit *Augustinus* lib. 4. de Civitate Dei, cap. 8. cum ait: Sata frumenta quamdiu sub terra essent, præpositam voluerunt habere *Deam Sejam*: cum vero jam super terram essent, & segetem facerent, *Deam Segetiam*. Quam vero hic *Augustinus Segetiam*, eam Plin. *Segestam* appellat, libro 18. capite 2. ubi etiam *Seriæ* meminit. Verba ejus sunt: *Sejam* à serendo, *Segestam* à segetibus appellabant, quarum simulacra in Circo videmus. Ex eodem *Plinio* discimus, à Numa Pompilio eas consecratas esse. Has Deas qui nominasset, eum ferias observare solitum, *Macrob.* lib. 1. Saturn. cap. 16. docet.

TVTILINA, vel Tutelina à *tuendo* dicta frumentis collectis, atque reconditis, ut tuto servarentur præposita fuit, quemadmodum *Aug.* lib. 4. de Civit. Dei, cap. 8. docet. Hanc *Adr. Turnebus* arbitratur esse, cujus nomen sub Dio proferri non fas fuerit. *Plin.* lib. 18. cap. 2. auctore. *Macrobius* etiam lib. 1. Satur. cap. 16. docet eos, qui eam invocarent, ferias egisse. Ædicula ejus in XIII. Vrbis regione, in monte Aventino fuit, teste *P. Victore*. Simulacrum ejus etiam in Circo fuit, *Plinius* lib. 18. cap. . . Quidam etiam *Titulinam* vocant, cui aram in Aventino dicatam ad populi Romani tutelam, *Iosephus Scaliger* in Varronem scribit.

TVTANVS & TVTILINA Dii, qui rebus tuendis præerant. *Nonius Marcellus*. Hunc *Varro* in periculosis subitisque rebus invocari dicit, non aliter atque *Herculem* malorum depulsorem, *Tutilinam* inauspicato nominari nefas est. Fuerunt & alii Dii frumentis præpositi, de quibus *Augustini* verba adscribam: *Proserpinam*, inquit, præfecerunt frumentis germinantibus geniculis; nodisque culmorum *Deum Nodorum* involumentis folliculorum *Deam Volutinam*: cum folliculi patescunt, ut spica exeat, *Deam Patelenam*: cum segetes novis aristis æquantur, quia veteres æquare *hostire* dixerunt, *Deam Hostilinam*: florentibus frumentis *Deam Floram*. Lactescentibus *Deam Lacturciam* (*Servius* in 1. Geor. *Lactantem Deum* esse ait, qui lac infundat segetibus, & eas faciat lactescere) maturescentibus *Deam Matutam*: cum runcantur, id est, à terra afferuntur *Deam Runcinam*. Hactenus *Augustinus* lib. 4. cap. 8. Idem cap. 21. meminit *Deæ Fructeseæ*, quæ fructibus præesset: *Dei Spiniensis*, qui spinas ex agris eradicaret.

ROBIGVS Deus à *robigine*, sive *rubigine* dictus, *rubiginem* à segetibus avertere putabatur: cui etiam festa *Robigalia* celebrabantur. Ejus multa mentio apud *Varronem* lib. 5. de ling. Lat. & lib. 1. de Re rustica, apud *Festum*, *Augustinum* lib. 4. de Civitate Dei, cap. 21, ubi dicitur *Robigo*, genere fœmININO. Vives *Robigum* quasi *Rodigum* dici putat, à *rodendo*. Meminit hujus etiam *Plinius* lib. 18. cap. 17. & 29. De *Robigalibus* dicemus alibi.

BONVS quoque *Eventus* ab antiquis cultus est. Hujus simulacrum, ut *Plin.* lib. 35. scribit, ab *Euphranore* ita factum erat, ut dextera pateram, sinistra spicam ac papaver teneret. *Boni eventus* meminit *Varro* in lib. 1, de Re rust. inter consentes divos agricolarum, ut modo diximus, *Plinius* auctor est, *Praxitelem* ejus simulacrum in Capitolio fecisse. Templi *Boni Eventus* quædam etiam hodie vestigia Romæ cernuntur, inter *Minervam* & *S. Eustachium*, ut à plerisque creditur. *Lilius Gyraldus*.

POPVLONIAM & FVLGOREM coluerunt, *Augustinus* lib. 6. de Civit. Dei, cap. 10. & *Seneca* in libro de Superstitione, fortasse ideo ne populationes & fulgura fierent.

PILVMNVS & PICVMNVS; de his duobus *Servius* in 6. Æneid. *Pilumnus* & *Picumnus* fratres fuerunt Dii: horum *Picumnus* stercorandorum agrorum invenit usum: unde & *Sterquilinus* dictus est. *Pilumnus* vero *pilendi*, seu *pinsendi* frumenti: unde à pistoribus colitur, & ab ipso *pilum* dictum est. Hactenus *Servius*. Nonius Marcellus *Pilumnum* & *Picumnum Deos* vocat, præsides auspiciis conjugalibus, citatque *Varronem* lib. 2. de Vita populi Romani, cujus hæc sunt verba: Natus si erat vitalis ac sublatus ab obstetrice statuebatur terra, ut auspicaretur rectus, Diisque conjugalibus, *Pilumno* & *Picumno* in ædibus lectus sternebatur.

STERCVLIVS etiam cognomen erat Saturni, qui ſic dicebatur, quod ipſe primum *ſtercore fœcunditatem* agris comparavit. *Macrobius* lib. 1. Saturn. cap. 7.

BVRONA Dea, præerat bobus. *Auguſtinus* lib. 6. de Civitate Dei, cap. 9.

HIPPONA Dea equarum & ſtabuli fuit. Meminit ejus *Plutarchus* in Parallelis. *Apulejus* lib. 3. de Aſino aureo. *Tertullianus* in Apologetico. *Fulgentius* de obſcuris vocibus, & alii.

MELLONA mellificationis Dea erat. Idem eodem loco, & *Arnobius*.

IVGATINVS Deus jugis montium præſidebat.

COLLINA collibus: hæc tamen ab *Auguſtino Collatina* dicitur, mendoſe, ut puto.

VALLONIA, vallibus. *Auguſtinus*.

RVSINA Dea à rure nomen habuit, quia ipſi rura commiſſa fuerunt. *Auguſtinus* lib. 4. cap. 8. Hanc *Lilius Gyraldus* ab aliis *Rutinam* dici ſcribit. Huc etiam pertinent *Terminus, Pan, Sylvanus, & Priapus.*

TERMINVS.

TERMINVS Deus, inquit *Feſtus*, dictus, quod in ejus tutela eſſent *agrorum fines*. Hic ſecundum *Varronem* à *T. Tatio* conſecratus eſt, ſecundum alios à *Numa Pompilio*. Sic enim *Dionyſ.* libr. 2. Vt Romani contenti propriis, aliena non concupiſcerent, Numa lege cavit, de terminandis prædiis. Cum enim unumquemque juſſiſſet agrum ſuum circumſcribere, ac in finibus ſtatuere lapides, hos ſacros eſſe *Iovi Terminali* voluit, juſſitque, ut quotannis ſtato die res divina in eo loco paganorum cœtu fieret, ſacrato cum primis nobili feſto in honorem Deorum, qui *terminis tutelares* præſident. Id Romani vocant *Terminalia*, ſicut lapides ipſos terminos, quos noſtri variant una litera, *Termonas*, quos ſi quis transferre auſus fuiſſet, aut tollere, *lege terminali* caput ejus his Diis devovit, interfectori ipſius tanquam ſacrilegi impunitate promiſſa, & puritate à ſcelere. Nec de privatorum tantum agris hoc jus ſanxit, verum etiam de publicis. Hos quoque certis complexus finibus, ut Romanum agrum à vicinarum urbium agris *terminales Dii* diſcernerent, & privatum à publico: qui mos ex illo ſeculo reliquus, Romanis religioſe ſervatur, etiam noſtro tempore. Nam Deos putant terminos, eiſque ſacra faciunt, non hoſtias cædentes, quod nefas ſit cruentari hos lapides, ſed liba Cerealia, frugumque afferentes primitias. Hactenus *Dionyſius*. Coluerunt *Terminum* in Capitolio, ubi cum Tarquinius Superbus templum ampliſſimum Iovi Optimo Maximo extruere vellet & propterea omnium aliorum Deorum ædes exauguraret, *Terminus & Iuventus* ei cedere noluerunt, qua de re *Livius*, *Dionyſius*, *Ovidius*, *Auguſtinus*, & multi alii. Et de hac re intelligendum ænigma apud *Agel.* lib. 12. cap. 6.

Semel, minuſve, an bis minus ſit, non ſat ſcio,
An utrumque horum, ut quondam audivi dicier,
Iovi ipſi regi noluit concedere.

Significatur enim *Terminus*: & ſic explicat *Angelus Politianus* Miſcellaneorum cap. 35.

PAN Deus, Mercurii filius, Latine *Iunus* dictus, nomen accepit, quod πᾶν ſignificat *omne*, quia ſub ipſo univerſo rerum natura colatur, ſive mundus. *Iunus* dictus ab eundo paſſim cum omnibus animalibus. Simulacrum ejus caprina facie effingebatur, rubro colore, hirtis cornibus, pectore ſideribus radiante, infima ſui parte hiſpida, & caprino pede: altero pede incurvum, quod ejus ſimulacrum eleganter interpretatur *Macrob.* lib. 1. Satur. cap. 22. & ad rerum naturam transfert. De *Pane* etiam *Silius Italicus* lib. 13. Bellorum Punicorum. Antiquiſſimum hoc fuit & honoratiſſimum Arcadum numen, qui cum in Italiam veniſſent, ſedibus ſub colle acceptis, & ex ædificatis more patrio domiciliis, omnium primum *Pani Lycæo* templum conſtruunt. Themide jubente, in loco, quem Romani *Lupercal* nominant, cujus meminerunt *Livius*, *Iuſtinus*, *Plutarchus*, & multi alii, *P. Dionyſius* lib. 1. Erat tum, ut fertur, ſpelunca ſub tumulo magna, denſo querceto contecta, & ſub petris profundi fonticuli, ſolumque rupibus contiguum, nemoroſum, & frequentibus ac proceris opacum arboribus. Ibi ara dicata Deo more patrio ſacra fecerunt, quæ noſtro quoque tempore faciunt Romani menſe Februario, poſt Brumam nihil mutantes ex ritu priſtino. Hæc ille. Plura habemus, ubi de *Lupercis*, & *Lupercalibus* dicendum erit.

SYLVANVS.

Servius ſcribit, Publicam cæremoniarum opinionem hoc habere, *Sylvanum* eſſe Deum pecorum & agrorum: prudentiores tamen dicere eſſe ὑλικὸν θεὸν, hoc eſt, Deum τῆς ὕλης. *Hylen* autem eſſe *facem* omnium elementorum: id eſt, ignem ſordidiorem, & aërem: item aquam & terram ſordidiorum, unde cuncta procreentur quam Græci ὕλην, Latini *materiam* appellarint, unde *Sylvani* nomen factum. Et apud *Ælianum* de Hiſtoria animalium, Crathin Sybaritam concubuiſſe cum capra, & inde natum puerum, qui caprina haberet crura, & humanam faciem, qui fuerit in Deorum numerum relatus, & *Sylvanus* Deus appellatus. Quod *Sylvanus* infeſtus fuerit puerperis. *Auguſt.* lib. 6. & 15. de Civitate Dei docet, & nos paulo ante meminimus.

PRIA-

PRIAPVS.

IMPVRVS & obſcœnus hic Deus fuit, de quo, ut multa dicam, pudor meus non ſinit, hoc tantum moneo, fuiſſe ipſum hortorum Deum & cuſtodem, quod ex illo *Virgilii*, Ecloga 7. liquet.

Sinum lactis & hæc te liba Priape quotannis
Expectare ſat eſt, cuſtos es pauperis horti, &c.

Servius: *Priapus* fuit de Lampſaco, civitate Helleſponti, de qua pulſus propter virilis membri magnitudinem, poſt in numerum Deorum receptus, meruit præſidem eſſe hortorum. Dionyſii & Veneris filius fuit, cujus fabulam deſcribunt *Apollonii* interpretes, *Stephanus*, *Suidas*, & alii. Fuit etiam Deus nuptialis, dictus *Mutinus*, de quo ſupra. Et de Diis ruſticis hactenus.

AD CAP. XX. PARALIPOMENA.

De Diis Ruſticis, Flora, Termino, Silvano, Priapo, nuditate Deorum, eorumque ſtatuis.

Dii ruſtici agrorum erant præſides, agriculturamque promovere cenſebantur. Horum in numero Flora eſt, Aurel. Olymp. Nemeſian. Eclog. 1.
——— *dat pictas Flora coronas.*
Sidon. Apollinar. Carm. 11. v. 115.
Hic ſpargit calathos, hic flores Flora perennes.
In urbem recepta ex oraculo Sibyllæ, Anno urbis conditæ quingenteſimo decimo ſexto. C. Plin. lib. 18. Nat. hiſtor. cap. 29. exhibitique illi ludi, quibus, ab ipſa, Floralia nomen fuit. Wolffgang. Laz. Comment. Reip. Rom. l. 10. cap. 10. celebrataque illa 4. Calend. Maias, ut alios omittam, D. Auguſt. l. 6. de Civit. Dei cap. 7. Optime, ut ſolet, deſcripſit vetus Scholiaſtes Iuvenal. Sat. 6. v. 249. *Florali tuba, qua committuntur ludi Florales, in quibus meretrices nudatis corporibus per varias artes ludendi diſcurrunt, & armis certant gladiatoriis, atque pugnant, hi ludi à Flora meretrice inſtituti ſunt in honorem Floræ deæ, quæ floribus præeſt, ludi ſunt impudici.* Primum itaque eſt, oſtendere etiam in ludicris Romanis & fœminas armatas produci conſueviſſe. Puto authorem eſſe incertum, qui primus id factitarit. Statius libr. 1. ſilv. ult.
Hos inter fremitus novoſque luxus
Spectandi levis effugit voluptas,
Stat ſexus rudis inſciuſque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles
Credas ad Tanaim, ferumque Phaſin
Thermodonciacas calere turmas.
M. Martial. Amphith. epigr. 6.
Belliger invictis quod Mars tibi ſævit in armis,
Non ſatis eſt Cæſar, ſævit & ipſa Venus.
Iuvenal. Sat. 1. v. 23. inter vitia urbis corruptæ, & iſta enumerat, mulieres venationi Circenſi adhibitas.
Cum tener uxorem ducat ſpado, Mævia Thuſcum
Figat aprum, & nuda teneat venabula mamma.
Et Sat. 6. v. 350.
——— *niſi ſi quid in illo*
Pectore plus agitat, veræque paratur arenæ,
Quem præſtare poteſt mulier galeata pudorem?
Quæ fugit à ſexu, vires amat.
Galeatæ ergo, & armis decretoriis accinctæ, certabant eodem quo gladiatores ritu. L. Sen. lib. 7. Nat. quæſt. cap. ult. *Deinde cum perſona cum diu trita frons eſt, tranſitur ad ganeam.* Iuvenal. Sat. 6.
Et quanto galeæ curvetur pondere.
Luctabantur, non modo armis gladiatoriis dimicabant, idem Iuvenalis Sat. 2.
Luctantur paucæ, comedunt colyphia paucæ.
Maximus iſtius rei uſus ſub Domitiano principe. C. Sueton. in eo, cap. 4. *Venationes, gladiatoreſque, & noctibus ad lychnuchos, nec virorum modo pugnas, ſed & fœminarum.* Qui tamen illud ad eum referunt authorem, graviter errant, nam & Titus frater ante illum idem in ludis ſuis fecerat. θηρία γυναῖκες οὐ μέντοι ἐπιφανεῖς συγκατειργάσαντο. *Feras mulieres ignobiles confecerunt.* Dio Coccian. lib. 66. ad finem. Idem denique ſub Nerone factitatum, qui utrumque præceſſit in imperio, ut videri poſſit, frequenter geſtum. Sueton. Ner. cap. 11. *Ludis, quos pro æternitate imperii ſuſceptos, appellari Maximos voluit, ex utroque ordine & ſexu, ludicras partes ſuſtinuerunt.* Sed inſueta, & veluti præter naturam libido, conſtitutione Severi Aug. penitus ſublata. Io. Xiphilin. in eo. Neque vero mihi perſuadeo Romanos primos fuiſſe, qui cum viris luctari exercerique fœminas voluerint. Quippe idem Spartanis in uſu poſitum. Sext. Propert. l. 3. eleg. 13.
Multa tuæ, Sparte, miramur jura palæſtræ,
Sed mage virginei munera gymnaſii.
Quod non infames exercet corpore laudes,
Inter luctantes nuda puella viros.
At quæ infames laudes? an forte ſtrenue cum viris luctari, quod probroſum mulieri, atque inde laudem quærere? an potius error ſubeſt, & reſcribendum. Yvo Villiomar. lib. 4. cap. 1. in Rob. Titium:
Quod non infames exercet corpore ludos.
Niſi forte *laudes corpore exerceri*, cum Tibullo l. 4. dici poſſe fateamur. Achill. Stat. Neapolitan.
Laudis & aſſiduo vigeat certamine miles.
Et de ritu illo palæſtræ Lacedæmoniæ, Papin. lib. 4. ſil. 8.
Qualis maternis Helene jam digna palæſtris
Inter Amyclæos reptabat candida fratres.
Sidon. Apollinar. Carm. 9. v. 184.
Vnctas Tyndaridis dicaſſe luctas.
Martial. lib. 4. Epigr. 55.
——— *aut libidinoſæ*
Ledæas Lacedæmonis palæſtras.
P. Ovid. Epiſt. 15. Paris Helenæ:
More tuæ gentis nitida dum nuda palæſtra
Ludis, & es nudis fœmina mixta viris,
Quod rapuit laudo.
Sed redeo ad Floralia: in quibus Ædiles fabas, cicer, aliaque ſimilia in vulgus miſſilia ſpargebant. Valer. Maxim. l. 2. cap. 5. Pſeudo-Cornut. in A. Perſii Sat. 5. v. 175. *Ludis Floralibus omnia ſemina ſpargebantur in populum, ut Tellus velut muneribus ſuis placaretur.*
Perſius ipſe:
——— *cicer ingere large*
Rixanti populo, noſtra ut Floralia poſſint
Aprici meminiſſe ſenes.
Et quia ipſa Flora meretrix fuiſſet notiſſima, meretrices apertis nudatiſque pudendis producebantur, curſuræ, ſaltaturæ. Martial. lib. 1. Epigr. 3.
Feſtoſque ludos, & licentiam vulgi.
Et ejuſdem libri Epigr. 36.
Qui Floralia veſtit, & ſtolatum
Permittit meretricibus pudorem?
D. Auſon. Eidyll. 25.
Nec non laſcivi Floralia læta theatri,
Quæ ſpectare volunt, qui voluiſſe negant.
Committebantur, ſeu choreæ, ſeu luſus iſti, fœminarumque nudarum diſcurſus, ſono tubæ. Iuvenal. Sat. 6. v. 249.
——— *digniſſima certe*
Florali matrona tuba.

Nec

Nec modo in Floralibus ſcorta producta, ſed & in quibuſlibet theatralibus ludis, habebis infra lib. 5. cap. 4.

Denique in his non leones, urſi, elephantes, aut tigrides exhibitæ, aliaque ferocitate aut truculentia nota animalia, ſed lepores. Ludovicus Pipræus præceptor meus in Maximiliano ſuo, divino carmine:

Imbelles lepores Floralis præmia campi.

Martial. lib. 8. Epigr. 67.

Cum modo diſtulerint rauci vadimonia chartæ,
Et Floralitias laſſet arena feras.

Vide Cornelium Vitellium Annotat. cap. 22. Cæl. Rhodigin. lib. 25. cap. 30. Antiquar. Lection. Et quod pene omiſeram, inter popularia ſacra erant Floralia, quæ toti populo exhibebantur. Adrian. Turneb. lib. 30. Adverſarior. cap. 30. ex M. Martiali lib. 10. Epigr. 41.

Et populare ſacrum bis millia dena tuliſſet.

PARALIPOMENA.

De Termino Deo, ſtatua ejus, ritu ei ſacrificandi. Lapides arboreſque Terminales. Priapus. Silvanus.

Inter antiquiſſimos Romanorum Deos *Terminum* habitum, loquuntur legum Regiarum fragmenta, à viris doctis digeſta, & argumento liquido eſt, nullum Deum prius illo, ex legum præſcripto cultum: vide infra lib. 4. cap. 6. nomen à terminando, finiendove deſumptum Græca origine, Xenoph. lib. de Laced. Rep. τῷ τέρματι τῆ βίε τὴν κρίσιν προθεὶς, *Iudicium retulit ad finem vitæ*, pag. 684. Statua illi erecta erat, quadrato lapide, vel ſtipite dedolato, uncto, coronato. Arnob. cont. gent. lib. 1. *Venerabar (ô cæcitas) nuper ſimulachra modo ex fornacibus prompta, incudibus deos, & malleis fabricatos, elephantorum oſſa, picturas, veternoſis in arboribus tænias, ſi quando conſpexeram lubricatum lapidem, & ex olivi unguine ordinatum, tanquam ineſſet vis præſens, adulabar, affabar*; reſcribe mecum, *irrigatum*, alii legunt *exornatum*, quibuſdam placet, *olivi unguine divatum*, hoc eſt, *divum factum*. Idem Arnob. lib. 8. ut aliquæ præferunt editiones, revera liber ille non Arnobii eſt, ſed M. Minucii Felicis. *Vt tam luculento die in lapides eum patiaris impingere, effigiatos ſane, & unctos, & coronatos.* Clemens Alexandrin. l. 7. Stromat. & in Protrept. Lucian. in Charonte. L. Apul. l. 1. Florid. *Vel enim colliculus ſepimine conſecratus, vel truncus dolamine effigiatus, vel ceſpes libamine humigatus, vel lapis unguine delibutus.* Et lib. 1. Apolog. *Negant ſe vidiſſe aut lapidem unctum, aut ramum coronatum in finibus ejus.* Siculus Flacc. lib. de conditionibus agror. *Cum terminos diſponerent, ipſos quidem lapides in ſolidam terram collocabant, proxime ea loca, quibus foſſis factis defixuri eas erant, & unguento, velaminibuſque, & coronis eos coronabant.* Plura vide apud Pet. Colvium in Apuleii locum laudatum. L. Sen. Hippolyto Act. 2. ſc. 1.

——— nullus in campo ſacer
Diviſit agros arbiter populis lapis.

D. Iuvenal. Sat. 16.

Improbus aut campum mihi ſi vicinus ademit,
Aut ſacrum effodit, medio de limite ſaxum.

Aurel. Prudent. lib. 2. in Q. Symmachum:

——— vel lapis illic
Si ſtetit antiquus, quem cingere ſueverat error
Faſceolis.

T. Lucret. Carus lib. 5.

——— velatum ſæpe videri
Vertior ad lapidem, atque omnes accedere ad aras.

P. Virgil. lib. 12. Æneid. in fine:

——— ſaxum circumſpicit ingens,
Saxum antiquum, ingens, campo qui forte jacebat
Limes agro poſitus, litem ut diſcerneret arvis.

Papin. lib. 5. Thebaid. v. 569.

——— rapit ingenti conamine ſaxum
Quo diſcretus ager.

Et *terminales lapides* vocavit Ammianus Marcellin. l. 18. & *arbores terminales* pari ſenſu lego apud Paulum IC. lib. 5. *Receptar. ſentent. tit.* 22. & indiſcrete *arbores lapideſve terminales* dixere ICti legg. 1. 3. ff. *de Term. moto.* Ovid. l. 2. Faſtor.

Termine, ſive lapis, ſive es deſertus in agro
Stipes, ab antiquis tu quoque numen habes.

Tibull. l. 1. eleg. 1. ex Ovidii imitatione:

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,
Seu vetus in trivio florida ſerta lapis.

Frequentius tamen lapis Terminus erat. Idem libro eodem eleg. 3.

Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris
Qui regeret certis finibus arma lapis.

Sext. Propert. lib. 1. eleg. 4.

Nullas illa ſuis contemnet fletibus aras,
Aut quicunque ſacer qualis ubique lapis.

Denique donec plura inferius dicantur, addendus unicus eſt M. Aurelii Olympii Nemeſiani ex Eclog. 1. locus:

Sub te ruris amor, ſub te reverentia juſti
Floruit, ambiguos ſignavit terminus agros.

SILVANVS & ipſe inter ruſticos deos habitus, & matronali pudicitiæ inſidiator. D. Auguſt. de Civit. Dei, lib. 15. c. 23. *Quoniam creberrima fama eſt, multique ſe expertos, vel ab iis qui experti ſunt, de quorum fide dubitandum non eſt, audiſſe confirmant, Silvanos & Faunos, quos vulgo Incubos vocant, improbos ſæpe extitiſſe mulieribus, & earum appetiſſe ac peregiſſe concubitum.* Eundem ſane eſſe Silvanum & Incubum patet ex Gloſſario veteri, in quo Πὰν ὁ δαίμων, *Incubus Silvanus.* Et puerperis ſtatim poſt partum cuſtos adhibebatur, ne Silvanus per noctem ingrederetur, & jacentem vexaret, & ut id ſignificaretur, conſtituebatur quidam, qui pilo limen feriret, ut diſſeruit D. Auguſt. lib. 6. de Civit. Dei cap. 9. & notavit Meurſius Criticar. Exercitat. par. 2. cap. 1. Et ante illum Blond. Flav. Rom. Triumph. lib. 1. Et lib. 2. ejuſdem operis pag. 44. Hunc inquam inter numina, quæ agrorum præſidebant cultui, cenſuerunt locum habere. Iul. Obſequens lib. de Prodig. c. 8. *Silentio noctis ex ſilva Arſia, ingens vox audita, quæ Silvani credita eſt fuiſſe.* A Silvis itaque nomen ſortitus videtur. Hor. l. 3. od. 29. *dumeta Silvani.* P. Virgil. lib. 1. Georg.

Et teneram ab radice ferens Silvane cupreſſum.

Gratius Cynegetic. in limine:

——— Latii cultor qui Faunus amœni,
Mænaliuſque puer, domitrix Idææ leonum
Mater, & inculto Silvanus termite gaudens.

Itaque ſuſpicor ſtatuam illi poſitam, manu protenſa & cupreſſu armata, cujus ſationem primus invenit. Martian. Capella lib. 5. de Nupt. Merc. & Philolog. in principio:

Tunc primum poſita Silvanus forte cupreſſu
Percitus, ac trepidans dextram tendebat inermem.

Interim corrigendus è Lucilio locus, corruptiſſimus apud Nonium Marcellum, cap. 2. num. 324. Nam Lucilii verba ibi loci ſunt 26. lib. Satyr.

Luporum exauctorem Malvanum, ac fulguritatam arborum.

Nullo plane ſenſu, quod ut vidit I. Lipſius, juſſerat reſcribi, meo judicio rectiſſime:

Luporum exactorem Silvanum, ac fulguritarem arborum.

Q. Horat. lib. Epod. od. 2.

Qua muneretur te Priape, & te pater,
Silvane, tutor finium.

Scio alios eandem correctionem recepiſſe, ſeu excogitaſſe, inter quos & Adrianus Turneb. l. 29. Adverſarior. c. 23. ſed alio ſenſu, ut crederent Silvanum eundem eſſe cum Marte, in cujus tutela eſt lupus, animal ferum, & truculentum, & certe M. Cato lib. de Re Ruſtica favet cap. 38. cui *Mars Silvanus* dicitur: jam vero lupum Marti ſacrum, quis dubitet? Et unico verbo dicam, Grammaticis Silvanus eſt, πᾶς θεὸς ὑλαῖος, *omnis Deus ſilvicola.* Sed Silvani mentio in vetuſtis hiſce marmoribus, quorum fragmenta apponam:

SILVANO. SANCTO.
LARVM. PHILEMON.
P. SCANTI. ELEVTHERI.
D. D.

Alterius hæc ſunt verba:

SILVANO. SANCTO. SACRO. LARVM. CÆSARIS. N. ET. COLLEGI. MAGNI. CN. TVRPILIVS. TROPHIMVS. VOTO. SVO. SVSCEPTO. ARAM. DE. SVO. D. D.

Extat & tertii lapidis inſcriptio, etiam hic ponenda, unde judicium quoddam & conjectura eſſe poſſit, non tantum ſilveſtrem Deum fuiſſe Silvanum, ſed etiam domeſticum, unum nempe è Larium numero. Sic itaque inſcriptio ſe habet:

SILVANO. SACRVM. SODAL. EIVS. ET. LARVM. DONVM. POSVIT. TI. CLAVDIVS. AVG. LIB. FORTVNATVS. A. CVRA. AMICORVM.

Ad ſacrificia ejus venio; cui inter Romanos tantum, quod ſciam, cultus exhibitus fuit, peractaque ſacrificia, à viris tantum ſuſcipiebantur. Vet. Scholiaſt. Iuvenal. ad v. 446. Satyr. 6. *Silvano mulieres non licet ſacrificare.* Hoſtia illi primitus, ut ruſticum decebat Deum, lac oblatum erat. Q. Horat. libr. 2. epiſt. 1.

Tellurem Porco, Silvanum lacte piabant.

Aut animali hoſtia, Iuvenal. loco proxime citato:

Cadere Silvano porcum.

PRIAPVS obſcænitatis & ſpurcitiei præſes etiam inter deos ruſticorum, divino honore cultus, cujus nomine, nihil aliud quam pudenda ſignificabant: adeo ut laſcivi *ex pene ſeu Priapo biberent, dictique illi drillopotæ.* Vet. Scholiaſt. Iuven. Sat. 2. verſ. 95.

——— vitreo bibit ille Priapo.

Nec ruſticum tantum hic numen, ſed & marinum, navigantibuſque præpoſitus. Leonidas vetus poëta in Antholog. lib. 1. cap. 56. epigr. 4.

Ταῦθ' ὁ Πρίηπος ἐγὼν ἐπιτέλλομαι, ὁ λιμενίτης.
Hæc Priapus ego impero, portubus præfectus.

Et Antipater Sidonius:

Δαίρεα δ' ἐνύφεα προτονίζετε, ταῦθ' ὁ Πρίηπος
Ὑμῖν ἐνορμίταις παῖς ἐνέπω Βρομίε.

Vela bene texta extendite, hæc Priapus vobis in portu conſiſtentibus puer dico Bacchi. Et Marcus Argentarius vetus item Epigrammatographus:

——— τὸ σὺ Πριήπῳ
Πειθόμενος, πάσης ἅπτεο ναυτιλίης.

Hoc tu Priapo credens, omnem tange navigationem. Et à Satyro Thyillo antiquo poëta appellatur λιμενορμίτης. *Portuum præſes.* Et ab eodem λιμένων δαίμονι, *portuum dæmoni*, Archias illum πόρε φύλακα, *loci cuſtodem* vocat: & eidem aræ, ſeu littorali Deo, id eſt, Portumno, aut Neptuno, erigi ſolebant. Agathias ſcholiaſticus:

——— ἐνορμίταο παρὰ βωμοῖσι Πριήπε.
Portuum præfecti in aris Priapi.

Paulus Silentiarius. Πιςὸς νηυσὶ Πρίηπος, *fidelis navibus Priapus.* Theætætus Scholiaſticus, ὁρμοδότῃ Πριήπῳ, *Portuum datori Priapo.*

Sed communior poëtarum ſententia, hortorum reique ruſticæ præſidem faciebat, auctor Priapeior.

Villicus, ærarî quondam, nunc cultor agelli,
Hæc tibi perſpectus templa Priape dico.

In aliis editionibus:

Ærarî quondam cuſtos, nunc cultor Agelli.

Sed parum intereſſe exiſtimo. Peritus lib. 4. Antholog. cap. 12. Epigr. 88. λαχάνων φύλακα, *olerum cuſtodem efficit.* Lucian. ξηρῶν κλημάτων φύλακα, *aridorum palmitum cuſtodem.* Argentarius; φυλακὴν σύκων ἔχων, *cuſtodiam ficuum habens.* Antiſtius, φυτὰ ῥυόμενος, *frutices ſervans.*

Ejus ſtatua expreſſa eſt ab Apollonida egregie in hæc verba:

Ἄνθετ' Ἀναξαγόρης μετὸν ἐκ ὀρθὶ ποσὶ Πρίηπον,
Ἐν χθονὶ δ' ἀμφοτέρῳ γούνατι κεκλιμένον.

Poſuit Anaxagoras me in erectum pedibus Priapum, in terra utroque genu inclinantem. Super qua re nihil eſt, quod notari debeat niſi nudum eum, ut & omnes alios Amoris deos depingi ſolitum. Auctor Priapeiorum:

Taliacumque puer dominus florentis agelli
Impoſuit menſæ, nude Priape, tuæ.

Alb. Tibull. lib. 1. eleg. 4.

Quæ tua formoſos cœpit ſolertia, certe
Non tibi barba nitet, non tibi culta coma eſt.
Nudus & hybernæ producis frigora brumæ,
Nudus & æſtivi tempora ſicca canis.

Amor etiam ſeu Cupido nudus depingebatur, Philoſtrat. in Icone ejus. & ſimulachrum *Cupidinis nudi* eſt apud C. Plinium lib. 36. c. 5. Rationes vide apud Alexandrum problemat. c. 85. Moſchus in Amore fugitivo, Eidyll. 1.

Γυμνὸς τόγε σῶμα, νόος δ' οἱ ἐμπεπύκασται.
Nudum corpus habet, mentem fallacia velat.

Sive ad verbum: *Corpore quidem nudus, at mens illi tecta eſt.* Marullus Tarchaniota in Epigrammatis:

Cur ſine veſte Deus? ſimplex puer odit opertum.

Sext. Propert. lib. 1. eleg. 3.

Crede mihi, non ulla tuæ medicina figuræ eſt,
Nudus Amor formæ non amat artificem.

Venus itidem ſine ulla veſte depicta. Lucian. lib. cui titulum fecit ἔρωτες, *Amores.* Vide quæ ſuperius dixi Reg. 8. de Venere Anadyomene. Arnobius l. 6. *Ad libidinem concitat Venus nuda.* Et paucis interjectis. *Venus nuda, & aperta depingitur, ac ſi dicas illam publicare ac divendere meritorii corporis formam.* L. Apul. libr. 16. Mileſiar. *Qualis Venus, cum virgo fuit, nudo & intecto corpore.*

M. Martial. lib. 8. epigr. 1.

Nuda recede Venus.

P. Ovid. libr. 1. Amor. eleg. 14. *Nuda Dione.* Epiſt. Didûs ad Æneam:

——— quia mater Amorum
Nuda Cytheriacis edita fertur aquis.

Lib. 3. de arte Amandi:

Nuda Venus madidas exprimit arte comas.

Sidon. Apollinar. Carm. 7.

Nuda Venus, fœcunda Pales, pharetrata Diana,
Iuno gravis, prudens Pallas, turrita Cybelle.

Ratio eſt, *quod crimen celari non poſſit.* Furius Fulgent. libr. 2. Mytholog. *Vel quod effrænata voluptas inanes, & nudos dimittat.* Altercatio Hadriani & Epicteti:

Quare nuda Venus? nudi pinguntur Amores?

Baſſianus Aug. novercam nudam videns, in uxorem duxit. Æl. Spartian. in eo. D. Ambroſ. l. 3. de virginib. *An quicquam eſt tam pronum ad libidines, quam inconditis motibus, ea quæ vel Natura abſcondit, vel diſciplina velavit, membrorum operta nudare?* Propert. lib. 2. eleg. 15.

Nam modo nudatis mecum eſt luctata capillis,
Interdum tunica duxit operta moram.

Cæl. Rhodig. l. 4. Antiquar. Lect. c. 7. exponit eodem ſenſu illud ejuſdem poëtæ l. 4. eleg. 9.

Cantabant ſurdo, nudabant pectora cæco.

Martial. lib. 11. epigr. 105.

At mihi nuda ſatis nulla puella placet.

D. Auſon. Epigr. 38.

Nec bis cincta Diana placet, nec nuda Cythere,
Illa voluptatis nil habet, hæc nimium.

Et impudica *Mævia, nuda mamma tenet venabula.* Iuvenal. Sat. 1. verſ. 24. & Meſſalina Auguſta, *nuda* in fornice *ſtetit* proſtituto corpore intrantibus. Sat. 6. v. 124. & *nudum ſpumanti labello viderit.* Sat. 9. v. 35. Ovid. libr. 1. Metamorph. Fab. 9.

——— laudat digitoſque manuſque,
Brachiaque, & nudos media plus parte lacertos.

Et eſt apud eundem conciliandi amoris, ſeu verius concitandæ libidinis præceptum l. 3. de Arte:

Pars humeri tamen ima tui, pars ima lacerti
Nuda ſit, à læva conſpicienda manu.

Bene itaque Q. Ennius, & Græcorum & Romanorum mores

in gymnasiis reprehendens, qui nudas fœminas, nudosque & formosos adolescentes producebant luctaturos, ut retulit M. Tull. lib. 4. Tusculanar. quæstion.

Flagitii principium est, nudare inter cives corpora.

Quæ omnia notissima sunt, & facile tyroni sexcenta similia observare exempla. Et disquisivit vir eruditissimus, & literarum bono natus Andreas Tiraquellus in Commentariis suis de Legibus Connubialibus, & alii.

CAP. XXI.

De aliis Diis Miscellaneis.

Restant pauci aliquot Dii qui in prioribus capitibus locum habere non potuerunt, de quibus hoc capite dicemus.

PAVOR ET PALLOR.

Hos Deos *Tullus Hostilius* III. Romanorum Rex vovit in prælio contra Fidenates, tum cum Albani duce Metio Suffetio, sive, ut multis placet, Fufetio, discessu suo ab exercitu Romano, eos non parum turbassent. Ita *Livius* l. 1. Tullus in re trepida XII. vovit *Salios*, fanaque *Pallori* ac *Pavori*. Meminit eorum *Aurel. Augustinus* sæpe, ut lib. 4. cap. 15. & l. 6. cap. 10.

CLOACINA.

ALIA hæc est à *Venere Cluacina*, quemadmodum ex veteribus scriptoribus docet *Ioannes Vives*, quem hic libenter sequor. Dicta est *Cloacina* à *cloaca*, quod Romæ in *Cloaca* magna fuerit effigies ejus inventa, cumque ignoraretur cujus ea esset, ex loco nomen ei inditum, *Cloacinaque* appellata fuerit. *Lactantius.* Apud Augustinum *Clacacina* legitur, quod tamen *Ludovicus Vives* in *Cloacinam* mutandum esse contendit. Est igitur hæc à Tarquinio Prisco consecrata. *Tertullianus* adyta *Cloacinæ* ludens, cum dicit, *Cloacam* intelligit, his verbis in libro de Pallio: sed omnino totum Empedoclem in adyta *Cloacinæ* detulisset. Vide & *Turnebi* Commentarios in Varronem de lingua Latina.

AIVS LOCVTIVS.

Hic Deus à *loquendo* nomen habet, quod locutus fuerit, & præmonuerit Romanos de adventu Gallorum, de quo ita *Livius* libro 5. *M. Ceditius* de plebe nunciavit Tribunis, se non in nova via, ubi nunc sacellum est, supra ædem Vestæ vocem noctis silentio, audivisse, clariorem humana, quæ magistratibus dici juberet, *Gallos* adventare, id ut fit, propter auctoris humilitatem spretum. *Et paulo post*: Camillo expiandæ etiam vocis nocturnæ, quæ nuncia cladis ante bellum Gallicum, audita, neglectaque esset, mentio illata, jussumque & templum in nova via *Ajo Locutio* fieri. Eandem historiam recitat *Cicer.* l. 1. de Divin. & *Plutarch.* lib. de Fortuna Rom. & in Camillo. Ædes hujus Dei à *P. Victore* ponitur in 8. Vrbis regione: à *Cicerone* tamen & *M. Terentio Varrone* apud *Agellium*, non ædes; sed ara tantum ei constructa esse scribitur.

RIDICVLVS VEL REDICVLVS.

REDICVLVS etiam Deus à Romanis cultus est, cujus extra portam Capenam fanum constructum accepimus. Nam cum secundo bello Punico Vrbem oppugnaturus *Annibal* accessisset, à Diis injecto metu recessit. *Festus.*

TEMPESTAS.

TEMPESTATIS ædes à *M. Marcello* extra portam Capenam constructa fuit, cum is liberatus esset à periculo & tempestate, quam passus erat, cum in Corsicam & Sardiniam navigaret. *Ovid. in Fastis.*

FEBRIS.

Colebant veteres quosdam Deos, ut prodessent: quosdam, ut ne obessent, placabant, uti *Orbonam*, *Robigum*, *Febrim*, &c. De *Febri Dea* ita scribit *Valer. Maxim.* Febrim ad minus nocendum templis colebant, quorum unum adhuc in Palatio, alterum in arce Marianorum, tertium in summa parte vici Longi, in eaque remedia, quæ corporibus ægrotorum innexa fuerant, deferebantur. Meminit ædium hujus Deæ aliquoties *Cicero.*

FVGIA.

Fugiam existimat *Lud. Vives* Deam lætitiæ de fugatis hostibus fuisse, ad *August.* lib. 2. cap. 6.

FORNAX.

FORNAX dea etiam existimata est, quoniam ante triticum, & ejus usum, far *fornacibus* torrebatur: unde est *Dea Fornax* constituta, cujus meminerunt *Festus*, *Lactant.* & *Ovid. in Fastis.*

CACIA.

CACIA Dea culta Romæ, quæ *Caci* soror fuit, ut scribit *Lactantius*, quæ de furto boum Herculi fecit indicium: unde etiam sacellum meruit, in quo ei per Virgines Vestales fiebat res sacra, ut *Servius* scribit in 8. Æncidos.

VICE-

VICEPOTA.

Quæ hæc Dea fuerit, incertum. Apud *Livium* libro secundo, cum de demolitione ædium Valerii Publicolæ agit, sic legitur in vulgatis: Delata confestim materia infra *Veliam*, & ubi nunc vicus publicus est, domus in infimo clivo ædificata. Vbi pro *vicus publicus*, Beatus Rhenanus annotat, se in uno veteri libro legisse, *ubi nunc Vicæ pocæ est*, quod tamen in *Viriplacæ* mutandum censet. *Carolus Sigonius* legit; *Vbi nunc Vicus publicus est*, quemadmodum & apud *Plutarchum* in Publicola vertit Xilander; *Vbi nunc templum est, & vicus publicus dicitur.* Iustus Lipsius lib. 2. Epistolicarum quæstionum, epistola 11. legendum apud *Livium* arbitratur, *Vbi nunc Vicepotæ est templum*: & sic *Plutarchum* etiam emendandum. Quæ autem, & qualis ea Dea fuerit, ignorare se dicit.

Meminit & MINVCII Dei *Festus*, sed qualis is fuerit, non exprimit. Hæc enim sunt ipsius verba: *Minucia* porta appellata est, eò quod proxima esset sacello *Minuci*. *Paulus* Festi abbreviator: *Minucia* porta Romæ est dicta, ab *ara Minuci*, quem Deum putabant.

Fuit & VOLTVRNVS Deus, cujus *Festus* his verbis meminit. *Volturnalia* Volturno Deo sua sacra faciebant, cujus Sacerdotem *Volturnalem* vocabant.

Floribus tres Deos præficiebant, *Forculum*, *Cardeam*, & *Limentinum*: & *Forculus* quidem foribus dabatur, ut ait *August.* l. 4. de Civitate Dei, cap. 8. *Cardea* Cardini, *Limentinus*, limini, *Cardeam* quidam libentius *Carnam* vocant, quæ (ut canit *Ovidius* in 6. Fastorum) ab Iano compressa, acceperit cardinum potestatem, prius *Grane* nuncupata, deinde per antistichon, *Carna*.

CAP. XXII.

De Diis peregrinis.

SVPEREST, ut adhuc de *Dio Fidio*, *Iside*, *Osiride*, & *Serapide* dicamus, quos *peregrinos Deos* appellamus, quòd ab aliis gentibus in Vrbem recepti & culti sunt. Quanquam eorum plures fuerunt, de quibus tamen antè, occasione sic oblata, egimus.

SANCTVS, VEL DEVS FIDIVS.

SABINORVM hic Deus fuit, à Reatinis plurimum cultus, ubi etiam editus esse putatur: de quo *Dionysius Halicarnassæus* lib. 2. hæc scribit: In agro Reatino, quo tempore Aborigines eum tenebant, virgo quædam indigena claro genere prognata, choros ducebat in templo Enyalii, quem Sabini, sicut & Romani, *Quirinum* nominant: verum repentè divino furore correpta, choream deseruit, & in sacrarium se cursu proripuit. Deinde à loci genio compressa, ut vulgo visum est, filium edidit, nomine *Medium*, vel potius *Dium Fidium* cognomine. Is utilem ætatem ingressus, & forma supra hominem fuit, & in re militari longè præcellentissimus est habitus. Cumque captus esset condendæ Vrbis cupidine, collecta magna manu ex agris finitimis, brevi *Cures* replevit habitatoribus, vocatas, ut quidam putant à *genio*, cujus dicebatur filius: aut ab *hasta*, sicut malunt alii. *Cures* enim Sabini *hastas* nominant. Ita *Terentius Varro* scriptum reliquit. Paulò pòst *Dionysius* refert ex P. Catone, *Dium* illum *Fidium*, *Sabum* alio nomine dictum fuisse, quem Sabini coluerint.

Ædes *Dii Fidii* in Vrbe dedicata est à Sp. Posthum. Consule, anno V. CCXXCVIII. nonis Iuniis in loco Bellonæ, locata ab ultimo Regum Tarquinio, non tamen ab illo consecrata. *Dionysius* l. 9. qui etiam addit, eo demum anno ex S. C. ædem hanc à Posthumio Consule dedicatam esse, probari ejus ædis inscriptione.

ISIS.

Hanc *Diodorus Siculus* lib. 1. Rerum antiquarum filiam Saturni & Rheæ Osiridis sororem atque uxorem fuisse, & eandem cum *Cerere* esse scribit. Quæ prima invenerit triticum & hordeum, hominibus prius incognita. Leges quoque statuerit, quibus justitia æquè omnibus servaretur, vi, atque injuria timore pœnæ sublatis: qua de causa à Priscis Græcis *Isis Legifera* appellatur, tanquam prima legum inventrix. Paulò pòst scribit, hanc Deam à nonnullis *Isidem*, ab aliis *Cererem*, *Thesmophoram*, *Lunam*, *Iunonem*, ab aliis alio nomine appellari. Subjicit etiam inscriptionem columnæ ejus, quæ talis est: *Ego Isis sum Ægypti regina, à Mercurio erudita. Quæ ego legibus statui, nullus solvet. Ego sum prima frugum inventrix. Ego sum Osiridis Regis mater. Ego sum in astro Canis refulgens. Mihi Bubastia urbs condita est. Gaude, gaude Ægypte, quæ me nutristi.* Hæc & plura alia *Diodorus Siculus*, quæ apud ipsum potius leges. Non pauciora, imò plura etiam sunt apud *Plutarchum* in bello de *Iside* & *Osiride*.

Isidis ædes & ædiculæ Romæ multæ fuerunt, ut videre est inscriptione XIV. Vrbis regionum, quam ab *Onuphrio Panvinio* mutuati, primo libro inseruimus.

OSIRIS ET SERAPIS.

OSIRIS etiam Saturni atque Rheæ filius fuit, *Isidis* frater & maritus, rex Ægypti. Hunc & *Osiridem* di-

dicunt, & *Serapidem, Dionysium, Plutonem, Ammonem, & Iovem.* Nolo hîc prolixè commemorare, quæ plurima à *Diodoro Siculo, Plutarcho*, & aliis de eo in medium afferuntur, nisi tantum inscriptionem columnæ ejus, quæ apud *Diodorum* extat talis: *Mihi pater Saturnus, Deorum omnium junior. Sum verò Osiris rex, qui universum peragravi orbem, usque ad desertos Indorum fines. Ad eos quoque profectus sum, qui Arcto subjacent, usque ad Istri fontes. Et iterum alias quoque orbis adii, usque ad mare Oceanum, partes. Sum Saturni filius antiquior, germen ex pulchro & generoso ortu: cui non semen genus fuit. Neque ullus est in orbe, ad quem non accesserim locus, docens omnes ea, quorum inventor fui.* Hæc & alia plura in columna *Osiridis* scripta fuisse, *Diodorus* auctor est.

De *Osiride* hæc *Suidas*, quemadmodum ea citata & versa sunt à Ioanne Ludovico Vive, ad cap. 5. lib. 18. *Augustini* de Civitate Dei. Hunc Deum alii *Iovem* esse dixerunt, alii *Nilum*, propter modium, quod in capite habet, & cubitum, mensuram aquæ scilicet: alii verò *Ioseph.* Sunt qui *Apim* quendam fuisse dicunt hominem locupletem: & regem in Memphide Ægypti urbe, qui in difficultate annonæ maxima Alexandrinorum proventibus eos propriis aluerit. Ideò mortuo templum est erectum, in quo bos nutriebatur, indicium ferens agricolæ, & notas in colore certas habens: diciturque & bos ipse *Apis* de nomine regis illius. Sepulchrum autem hujus *Apidis* in quo est ejus corpus conditum, Alexandriam translatum est, & à *Soro* atque *Apide* composito nomine, vocarunt eum *Sorapin*, posteà dictus est *Serapis.* Hactenus *Suidas.* Alii alias afferunt, quæ sciens prætereo. Cultus hic Deus postremis temporibus etiam Romæ fuit, pluresque ei ædes & templa extructa sunt, ut ex *P. Victoris*, & *Onuphrii Panvinii* descriptionibus XIV. regionum Vrbis, & ex aliis quoque Scriptoribus manifestum est. Verùm de Diis Romanorum, eorumque ædibus, templis, ædiculis, &c. hactenus. De ministris jam eorum dicemus.

AD CAPP. DVO VLT. PARALIPOMENA.

De Isidis Deæ cultu, sacris, fano, sacerdotibus, adulteriis in templis, lineis vestibus.

De plerisque istis diis dixi supra hoc opere. & de *Pavore* & *Pallore*, Regione 5.

De *Rediculo*, fuse disserui Regione 1.

De *Fornace*, Cap. 13. lib. 1.

De *Tempestate* Tritici, Turneb. lib. 5. Adversarior. cap. 22. Q. Horat. Epod. od. 10.

Libidinosus immolabitur caper,
Et agna tempestatibus.

Ex D. Augustino, Tertulliano, Firmico Materno, & aliis, quam poetæ *Hyemem* vocant. Virgil. lib. 3. Æneid.

Nigram Hyemi pecudem.

Et lib. 5. Æneid.

Noctem hyememque ferens.

Valer. Flacc. Argonaut. lib. 1.

Illicitas tentare vias, hyememque mereri.

Stat. lib. 3. sil. 2. v. 75.

Inque hominem surrexit hyems.

Et lib. 6. Thebaid. v. 21.

Seu Thyrrenam hyemem, seu stagna Ægea lacessant.

Ovid. Epist. 7. Didus ad Æneam:

Quo fugis? obstat hyems, hyemis mihi gratia prosit,
Aspice, ut eversas concitet Eurus aquas.

Quanquam non sum ignarus, occultum latêre sensum; in iis versibus, ut *hyems* Ovidio sit idem quod *sidus hybernum.* Virgilio lib. 4. Æneid. v. 309. *Nam maria claudebantur à tertio Eiduum Novembris usque ad sextam Eidus Martias.* Flavius Veget. Renatus l. 4. de re militari c. 39. sed idem inter Græcos Hesiodus prodiderat. Quod nempe illo, ut plerumque tempore tempestatibus maria infestantur. Ob id Idib. Martiis solemni ritu, littoralibus diis, sacrificiis peractis, navigia in mare deducebantur, tanquam concessa jam à natura navigatione. Q. Horat. l. 1. od. 4. & interpretes ad illum locum:

Solvitur acris hyems, grata vice veris & Favoni,
Trahuntque siccas machinæ carinas.

De *Sango*, seu *Sanco*, seu *Sancto*, dictum etiam à me ad Regionem quintam.

De *Iside* pauca subnectam, non ignarus vulgaria esse omnia, quæ de illa tradenda habeam. Extat enim liber Plutarchi, *de Iside & Osiride.* Suidas, & Luctat. Placid. ad l. 1. v. 265. Theb. & libro 6. Theb. v. 279. quam optimè descripsit Papinius idem l. 3. sil. 2. 101.

Ipsa Phoronæis quondam stabulata sub antris,
Nunc regina Phari, numenque orientis anheli,
Excipe multisono puppem Mareotida sistro.

Idem numen fuisse cum Cerere putant Stephan. l. de Vrbib. in Βούσιρις. Tertullian. *Prima Isis repertas spicas capiti circumtulit.* Tzetzes apud Brodæum, ad Philippi veteris poëtæ epigramma l. 6. Antholog. cap. 7. Et licet Alexandrini præsertim eam coluerint, ut scripsit Aurelius Macrobius l. 1. Saturn. c. 20. tamen à Senatu Romano recepta. Lucan. lib. 8.

Nos in templa tua Roma recepimus Isin,
Semideosque canes.

Lib. 9. v. 159.

Evolvam busto jam numen gentibus Isin.

Eademque in Italia ei sacrificia instituta, quæ olim in Ægypto, fusissimè L. Apulejus l. ult. Milesiar. Et in ejus mysteriis, novem noctibus integris secubabant. Ovid. l. 1. Amor. eleg. 8.

Sæpe nega noctem, capitis modo finge dolorem,
Et modo quæ causas præbeat, Isis erit.

Et lib. 3. eleg. 8.

——— *Quid in vacuo secubuisse thoro?*

Sext. Propert. lib. 2. eleg. 33.

Tristia jam redeunt iterum solemnia nobis,
Cynthia jam noctes est operata decem.
Atque utinam Nilo pereat, quæ sacra repente
Misit Matronis Inachis Ausoniis!
Quæ dea tam cupidos toties divisit amantes,
Quæcunque illa fuit, semper amara fuit.

Conqueritur deinde eam in urbem receptam:

An tibi non satis est fuscis Ægyptus alumnis,
Cur tibi tam longa Roma petita via est?

Narrat vetus scholiastes Iuvenal. Sat. 6. v. 524. *Iuno indulsit pellici, & reversa in suam figuram recepta est inter deas: & ipsa est dea Isis, inde etiam sacra de Ægypto.* D. Auson. Eidyll. 25.

Natalem Herculeum, vel ratis Isiacæ.

Aliquoties tamen postea, receptis reliquis omnibus gentilibus diis urbe exacta ista, Pisone & Gabinio Coss. Q. Tertullian. Apolog. cap. 6. Sed quamdiu Romæ fuit, nulli deorum majori superstitione, quam ei, litatum. Nam maximus honor ejus Sacerdotibus delatus, summaque dignatio. *M. Volusius ædilis plebis proscriptus assumpto Isiaci habitu, per itinera, viasque publicas stipem petens, in Bruti castra pervenit.* Valer. Max. l. 7. cap. 3. tit. 8. Et *Domitianus Isiaci habitu velatus, inter sacrificulos vanæ superstitionis latuit.* C. Sueton. c. 1. hoc ego attribuo reverentiæ, qua ejus mystas prosequebantur Romani.

Templi ejus Romæ meminere Ælius Spartianus in vita Hadriani. Aug. Dionysius Halicarnass. l. hist. Rom. 3. Ælius Lam-

Lampridius in Severo: *Isium & Serapium decenter ornavit, additis signis, & Deliacis omnibus, & mysticis.* Iuvenal. Sat. 6.

A Meroë portabit aquas, quas spargat in æde
Isidis, antiquo quæ proxima surgit ovili.

Quod ille templum prope septa, seu ovile collocat, id est, in 9. Regione, ut & in Topographia urbis apud Onuphrium Panvinium in 5. regione ponit P. Victor. mane aperiebatur. Luc. Apul. l. 11. *Templi matutinas apertiones.* Porphyrius Philosophus Colvio ad eum locum laudatur, quem vide. *In templi hujus consepto*, ut ait Apulejus, sive penetrali, *habitabant Sacerdotes.* Ruffin. hist. Ecclesiast. l. 2. cap. 23. veloque à populo secernebantur. alibi dicam. M. Varro de hoc templo audiendus, ὄνος λύρας.

Non vidisti simulachrum leonis ad Isidem
Eo loco, ubi quondam cum vidissent quadrupedem
Galli.

Certe non longe ab hortis, ut apparet, publicis; nam prostitutæ sæpe eo condicebant, vet. scholiast. Iuvenal. ad v. 487. Sat. 6. *Apud templum Isidis lenæ conciliatricis, quia in hortis templorum adulteria committuntur.* Et ego non in hortis, sed in ipsis ædibus sacris adulteria istiusmodi commissa probabo. Q. Tertullianus Apolog. cap. 15. *In templis adulteria componi, inter aras lenocinia tractari. Paulinâ Saturni uxore in Isidis fano à Mundo violata, specie leonis, qui Anubis putabatur, sacerdotes omnes in cruces acti, templum solo æquatum sub Tiberio imperatore.* Ioseph. Antiquit. l. 18. c. 4. Nec de sola id Romanorum verum consuetudine, quin & apud Græcos ea invaluit. Nam *Menalippus & Comete quod coissent in templo Dianæ, ut nefas expiaretur, homines immolati.* Pausan. Achaic. & ex illo Cæl. Rhodigin. lib. 13. Antiquar. lection. cap. 34. poëtæ. P. Ovid. lib. 2. Amor. eleg. 2. Et lib. 2. Trist.

Quis locus est templis augustior? hæc quoque vitet
In culpam Sequa est ingeniosa suam.

Paucis interpositis idem exponens:

Isidis æde sedens, &c.

Et lib. 4. Metamorph. fab. ult. in fine:

Hanc pelagi rector templo vitiasse Minerva
Fertur.

Et lib. 1. de Arte:

Neu fuge Niliacæ Memphitica sacra juvencæ,
Multas illa facit, quod fuit illa Iovi.

Et Venus graviter conqueritur ab Hippomone violatum suum adulterio templum lib. 10. Metamorph. fab. 11.

Luminis exigui fuerat prope templa recessus,
Speluncæ similis, nativo pumice tectus,
Religione sacer prisca, quo multa Sacerdos
Lignea contulerat veterum simulachra deorum,
Hunc init, & vetito temerat sacraria probro.
Sacra retorserunt oculos.

Ioan. Iovian. Pontan. insignis, meo judicio, poëta. lib. 1. de Amore conjug.

Templa pudicitiam violant.

Iuvenal. Sat. 6. v. 488.

——— *Iamque expectatur in hortis,*
Aut apud Isiacæ potius sacraria lenæ.

Et Sat. 9. v. 22. licet vetus scholiastes, non de templo, sed de statuis, exponat:

——— *Vt repeto, fanum Isidis, aut Ganymedis,*
Pacis, & advectæ secreta palatia matris,
Et Cereris, (nam quo non prostat fœmina templo?)
Notior Aufidio mœchus celebrare solebas.

Isiaci, quos supra memoravi, sunt Isidis Sacerdotes: de quibus M. Martial. l. 10. epigr. 48.

Nunciat octavam Phariæ sua turba juvencæ.

Ad quorum ritus intelligendos, notandum, *suillis & ovillis carnibus abstinere illos solitos ex religionis præscripto.* Herodot. lib. 2. *Neque salem cibis adhibebant, ne castitatem violarent.* Plutarch. lib. 5. sympoliac. cap. 10. *Vinum non bibebant, aut certe bene dilutum, perparcumque.* Cæl. Rhodig. l. 5. cap. 12. *caput radebant*, Æl. Lamprid. in Fescenino Nigro; *Ridemus sacra Isidis ferentem, quibus Commodus adeo deditus fuit, ut & caput raderet, & omnes partes expleret.* Hadrian. Comment. de Coma cap. 2. *Papiraceis tantum calceis utebantur.* Herodot. l. 1.

Ferebant & hi ipsius deæ simulachrum subjectis humeris. Æl. Lamprid. in Commodo. *Sacra Isidis coluit, & caput raderet, & Anubim portaret.* L. Apul. l. 11. Metamorph. *Erat & bos omniparentis deæ secundum simulachrum, quod residens humeris suis, præferebat unus è ministerio beato, gressu gestuoso, ferebatur ab alio cista secretorum capax, penitus celans operta magnificæ religionis, gerebat alius fœlici suo gremio summi sui numinis venerandam effigiem.* Cl. Claudian. de 4. Hon. consul. cultissimè.

——— *Sic numina Memphis*
In vulgus proferre solet, penetralibus exit
Effigies, brevis illa quidem, sed plurimus infra
Liniger, imposita suspirans veste Sacerdos
Testatur sudore deum, Nilotica sistris
Ripa sonat, variosque modos Ægyptia ducit
Tibia, submissis admugit cornibus Apis.

Neque verò semper à Sacerdotibus effigies Isidis gestabatur, sed & ab asino interdum. L. Apul. l. 8. Milesiar. *Pedes luteis induti* (Isiaci) *calceis, deam serico contectam amiculo mihi* (Apuleio jam in asinum verso) *gerendam imponunt, brachiisque suis humero tenus renudatis, attollentes immanes gladios, ac secures, ovantes exiliunt, excitant tibiæ cantu lymphaticum tripudium.* Gabrias fab. 6. sive forte Babrias, qui decem libris Æsopi apologos prosequutus est, ut scripsit Suidas.

Ὤμοις ὄνος παρῆγεν ἀργυροῦν βρέτας
Ὅπερ συναντῶν πᾶς τις αὖ ἐπροσκυνεῖ,
Τύφῳ δ' ἐπαρθεὶς, μὴ θέλων μένειν ὄνος,
Ἤκουσεν, οὐ θεὸς σὺ, τὸν θεὸν δ' ἄγεις.

Id est, *humeris asinus gestabat argenteam effigiem, quam unusquisque recurrens adorabat; superbia vero elatus, nolens manere asinus, audivit, non es tu Deus, sed fers Deum.* Versione metrica sic reddidit Gabriel Faernus:

Simulachrum asellus bajulans argenteum,
Cum id transeuntes flexo adorarent genu,
Sui hoc honoris gratia fieri est ratus,
Iamque insolenti elatus arrogantia,
Nolebat ambulare, donec aspero
Probe dolatus fuste clunes, audiit:
O stulte, non es tu Deus, sed fers Deum.

Andreas Alciat. IC. clariss. Emblem. 7.

Isidis effigiem tardus gestabat asellus,
Pando verenda dorso habens mysteria.

Claudian. supra laudatus, *linigeros* vocavit *Sacerdotes* Isidis, qui lineis vestibus induebantur, Hadrian. Iun. l. 4. Animadversor. c. 29. Cujus rei rationem puto inde deductam, quod illa lini usum prima mortales docuisset. Martianus Capella l. 2. de nupt. Merc. & Philolog. *Qui primi mortalibus usum rerum, majoraque commoda præstiterunt, ut vitem Dionysius apud Thebas, Osyris apud Ægyptios haustum vini, usumque comperiens, frumentum Isis in Ægypto, Triptolemus apud Atticos docuerunt, eademque Isis lini usum, sementemque monstravit.* C. Suet. Othone: *Sacra etiam Isidis sæpe in lintea religiosaque veste propalam celebrasse.* cap. ult. poetæ. M. Lucan. l. 9. v. 159. non Isidem, at alios quoque Ægyptiorum Deos lino velatos eorumque Sacerdotes prodidit:

Et tectum lino spargam per vulgus Osyrim.

At communius est frequentiusque de Iside id proditum. præter Apulejum, qui nimius est in ejus deæ sacris, pompaque describendis Alb. Tibull. l. 1. eleg. 3.

Vt mea votivas persolvens Delia noctes,
Ante sacras lino tecta fores sedeat.

Non itaque tantum ipsius Isidis mystæ linea induti veste, sed & quæcunque supplicare ei deæ vellent, dispersis promissisque crinibus, qui ritus clade aliqua afflictarum aut lugentium consuevit, sequitur in eodem Tibullo:

Bisque die resoluta comas, tibi dicere laudes,
Insignis turba debeat in Pharia.

C. Plin. l. 18. c. 1. vestes inde (è lino) Sacerdotibus Ægyptiis gratissimæ. Iuvenal. Sat. 6. v. 532.

Ergo hic præcipuum, summumque meretur honorem,

Qui grege linigero circundatus, & grege calvo,
Plangentis populi currit deriſor Anubis.

Ovid. lib. 2. Amor. eleg. 2.

Nec tu linigeram fieri quid poſſit ad Iſin
Quæſieris.

Nonnullæ editiones habent, & hic, & lib. 1. de Arte verſu ſupra citato:

Nec tu Niligenam.

Sed male, neque enim Iſis in Ægypto nata, ſed in Græcia, Inachi fluvii filia, ut notum, atque in Ægyptum tranſlata, ob id patronymico vocabulo *Inachis* dicta: Philip. Beroaldus notat. Et lib. 1. Faſt. *Inachi lauta.* Florid. Sabin. l. 3. ſubciſivor. cap. 1. abundantiſſime. Ovid. idem l. 3. de Arte:

Cum ſedeat Phariæ ſiſtris operata juvencæ,
Quaque ſuæ comites ire jubentur, eat.

Melius in Codice MS. Herculis Ciofanii:

Cum ſedeat Phariæ ſacris operata juvencæ,
Quaque ſuæ comites ire vetantur, eat?

Hoc eſt, cum illa ſacra factura templi intima & ſecreta ingreditur penetralia, quo viri non admittuntur. Idem lib. 1. de Ponto eleg. 1.

Vidi ego linigeræ numen violaſſe fatentem
Iſidis, Iſiacos ante ſedere focos.

Et par mendum irrepſit in l. 1. Metamorph. fab. 14. ſic enim ille:

Nunc dea Niligena colitur celeberrima turba.

Reſcribe, ut antea:

Nunc dea linigera colitur celeberrima turba.

M. Martial. lib. 12. epigr. 29.

Linigeri fugiunt calvi, ſiſtrataque turba,
Inter adorantes cum ſtetit Hermogenes.

Siſtrum concutiebant Sacerdotes ipſius. Præter authores laudatos L. Apul. l. 2. Mileſiar. *Miſerere per ſidera cœleſtia, & arcana Memphitica, & ſiſtra Phariaca.* Et l. 11. *Sacerdos appropinquat, dextra ſiſtrum præferens.* Rationem habes apud Luctatium paulo ante laudatum, Servium v. 696. l. 8. Æneid. *Iſis eſt genius Ægypti, qui per ſiſtri motum, quod gerit in dextra Nili acceſſus ſignificat, & receſſus, per ſitulam, quam ſiniſtra retinet, oſtendit fluentiam omnium lacunarum: Iſis autem lingua Ægyptiorum eſt terra.* Baptiſta Pius Annotation. Poſter. c. 40. Virgil. loco laudato:

——— *Patrio vocat agmina ſiſtro.*

Valer. Flacc. lib. 4. Argonautic.

Aſpide cincta comas, & ovanti perſona ſiſtro.

Alb. Tibull. l. 1. eleg. 3.

Quid tua nunc Iſis mihi Delia? quid mihi proſunt
Illa tua toties ſiſtra repulſa manu?

Melius ſic, quam antea:

Illa tua toties æra repulſa manu?

Perſius Sat. 5. v. 185.

——— *Cum ſiſtro luſca Sacerdos.*

Pſeudo-Cornutus ibi; *Siſtrum Sacerdotes Iſidis portant, luſca autem ideo quod nubiles deformes, cum maritos non invenerint, ad miniſteria deorum ſe conferant. forma ejus ovalis, & manubriata circa oras tintinnabula pendentia habens.* Ovid. fab. ult. lib. 9. Metamorph.

——— *Rapuitque ſonabile ſiſtrum.*

Adrian. Turneb. l. 26. Adverſarior. c. 33. materia illi aurum, argentum, æs. Apul. l. 11. *Æreis, & argenteis, imò vero aureis ſiſtris argutum tinnitum conſtrepentes.* L. Lucan. l. 8. v. 833.

Semideoſque canes, & ſiſtra jubentia luctus.

P. Ovid. l. 3. Amor. eleg. 8.

Quid nos ſacra juvant, quid nunc Ægyptia proſunt
Siſtra?

Adſcribam alterum ex eodem ſcriptore locum l. 9. Metamorph. fab. 12. qui non modo Iſidis ſacra, ſed & Pompam totam plene deſcribit:

Inachis ante thorum pompa comitata ſacrorum
Aut ſtetit, aut viſa eſt, inerant lunaria fronti
Cornua, cum ſpicis nitido flaventibus auro,
Et regale decus, cum qua latrator Anubis,
Sanctaque Bubaſtis, variiſque coloribus Apis,
Quique premit vocem, digitoque ſilentia ſuadet,
Siſtraque erant, nunquamque ſatis quæſitus Oſiris,
Plenaque ſomniferis ſerpens peregrina venenis.

D. Auſon. Epiſt. 25. Paulino:

Iſiacos agitant Mareotica ſiſtra tumultus.

Siſtri hujus uſus in bellis, eo quippe Amazones pro tuba in expeditionibus utebantur. Iſidor. l. 2. Etymolog. c. 21. Sext. Propert. l. 3. eleg. 10.

Romanamque tubam crepitanti pellere ſiſtro,
Baridos & contis roſtra Liburna ſequi.

Denique D. Iuvenal. Sat. 13. v. 94.

Decernat quodcumque volet de corpore noſtro
Iſis, & irato feriat mea lumina ſiſtro.

Vet. ſcholiaſt. *feriat lumina, etiam cæcum faciat.* Nam & excæcare putabatur noxios Iſis. Lucill. Antholog. l. 2. c. 22. epig. 4.

Ἄν τιν' ἔχεις ἐχθρὸν Διονύσιε, μὴ καταρᾶσῃ
Τὴν Ἶσιν τούτῳ, μηδὲ τὸν Ἁρποκράτην,
Μηδ' εἴ τις τυφλοὺς ποιεῖ, θεόν.

Si quem habes hoſtem Dionyſi, non impereris Iſidem huic neque Harpocratem, neque ſi quis cæcos facit, deum. Sed jam de aliis agamus.

De *Serapide* dixi lib. 1. ſupra in Reg. 3. Et de eodem pulchra apud Ruffinum l. 2. hiſt. Eccleſiaſt. c. 23. *De Serapidis origine diverſa fertur opinio, alii Iovem putant, cujus capiti modius ſuperpoſitus, vel quia cum menſura, modoque cuncta indicet moderari, vel vitam mortalibus frugum largitate præberi. Quidam in honorem noſtri Ioſeph formatum perhibent ſimulachrum, ob dimenſionem frumenti, qui tempore famis ſubvenit Ægyptiis.* Aliud Nymphodorus apud Clementem Alexandrinum l. 1. Stromat. Sed conformia Ruffino ſunt, quæ prodit Iulius Firmicus Maternus lib. de Errore profanar. relig. qui tamen fœdiſſime interpolatus eſt, & corruptus: *Quomodo eſurientibus & ementibus frumenta diviſerat, cupitis ſuperpoſitus eſt.* Legendum indubie: *Quo modio eſurientibus & ementibus frumenta diviſerat, capiti is ſuperpoſitus eſt.* Sequitur deinde in eadem narratione; *hujus ſimulachrum Neogrorum turba cuſtodit*; lege mecum, *Neocororum turba cuſtodit.*

Vide oraculum de potentia Serapidis, relatum ab Aurelio Macrob. l. 1. Saturn. c. 20. & ex eo à Petro Crinito honeſt. de diſcipl. l. 24. c. 16. Eſt & apud Apollodorum l. 2. Bibliothec. in principio, *Apim tyrannica dominatione regnantem, Telxionis ac Telchinis inſidiis proditum, exceſſiſſe è vita, & mutato nomine pro Api Serapim vocatum.* De Api vero legendi Iuſtinus l. 1. c. 9. *Cambyſes offenſus ſuperſtitionibus Ægyptiorum, Apis, cæterorumque deorum ædes dirui jubet.* C. Sueton. in Tito cap. 5. Iul. Solin. cap. 36. & alii paſſim. Ovid. l. 2. eleg. 13. Amor.

Et comes in pompa corniger Apis eat.

M. Lucan. l. 9. v. 157.

Et ſacer in Magni tumulos mactabitur Apis.

Stat. Papin. lib. 3. ſylv. 2. v. 107.

——— *Aut quo ſe gurgite Nili*
Mergat adoratus trepidis paſtoribus Apis.

ROMANARVM ANTIQVITATVM

LIBER TERTIVS.

DE SACERDOTIIS.

Nulla unquam in terris gens fuit tam fera, quæ abſque omni Deorum metu fuerit: ſed omnes naturali luce edocti, eſſe aliquem, qui imperium in univerſum mundum haberet, & cujus voluntate & nutu omnia gubernarentur, & fierent, elegerunt ſibi, quem colerent, ejuſque cultus gratia templa, aras, *condiderunt,* ſacrificia *inſtituerunt, eiſque* Sacerdotes *cærimoniarum & ſacrorum peritos præfecerunt: id quod in omnibus omnium gentium hiſtoriis videre eſt. Præter omnes autem alios populos, præcipue* Romani *fuerunt in Deorum cultu ſuperſtitioſiſſimi, & religioſiſſimi uti hactenus vidimus. Quot enim* Deos Deaſque *effinxerunt? quot* templa, delubra, fana, araſque *iis conſtruxerunt? & ut omnia, quæ ad Deorum cultum pertinent, ritè peragerentur, ſuos pleriſque Diis* Sacerdotes *inſtituerunt: his* Pontifices *præfecerunt, qui reliquos ſacrorum omnium rationem edocerent, atque ne qua in re peccaretur, viderent: de quibus nobis hoc libro dicendum eſt, ut etiam ea in re horrendæ* Ethnicorum *tenebræ nobis innoteſcant. Inſiſtemus autem veſtigiis* L. Feneſtellæ, *ſive, ut jam malunt nonnulli,* Dominici Flocci *Florentini,* Pomponii Læti, Onuphrii Panvinii, *& aliorum, qui ante nos de iis ſunt commentati, initiumque à prima* Latinorum religione, *unde Romani ſuam illam hauſerunt, ſumemus.*

CAP. I.

De prima Latinorum religione.

Homines priſcos, agreſtes, aſperos, & more ferarum viventes, ad mitiorem cultum vitamque *Saturnum*, & *Ianum* qui in Latio regnarunt, redegiſſe fama eſt; cum eos agrorum cultum, & politiorem quandam vivendi rationem docuiſſent. Ipſis vero, qui hactenus ſine ulla religione fuerant, primus *Deorum cultum*, metumque injecit Saturni filius, *Faunus*, qui *lucos* ſacravit, *templa* conſtituit, & *ſacrificiorum* jus ordinavit. A quo etiam ædes ſacræ *fana* appellata ſunt. Poſt *Faunum*, cum *Picus*, *Latinus*, *Evander* & alii, qui in Latio regnaverunt, novas ſemper cæremonias commenti eſſent, noviſſimè Dæmonum cultum maximè in Latio auxit *Æneas*, ſacris Phrygiis in Italiam tranſportatis. Cujus poſtea exemplum ſecuti cæteri Reges, *Albani* primum, deinde *Romani*, multa & ipſi ſacra addidere, uſque ad *Numam*, qui cum omnia in certum ordinem ſacra direxiſſet; divini apud Romanos juris conditor creditus eſt. Qui verò ſingulis illis ſacris præfecti, & qui *Sacerdotum* ordines, muſia, & cerimoniæ fuerint, hoc libro, quantum fieri poterit, ex veterum monumentis oſtendemus.

CAP. II.

De Lupercis, Panos Lycæi, vel Iani Sacerdotibus.

Luperci, quod *Pani Lycæo* ſacra facerent, ſic dicti, *Sacerdotes* omnium vetuſtiſſimi fuerunt ante urbem conditam ab *Evandro Arcade* Arcadum rege, ſolemni ex Arcadia tranſlato, in monte Palatino inſtituti, de quibus *Dionyſius* lib. 1. in hunc modum ſcribit: *Arcades*, inquit, *in colle Palatino firmati, cum ædificia alia more patrio exornaſſent, templa quoque conſtruxere, ac primum quidem Pani*

Lycæo: admonente eos Carmenta (eſt enim apud Arcadas Pan vetuſtiſſimus, plurimumque in honore habitus) loco congruo invento, quem Romani Lupercal *vocant, Græci* Lycæum *dicunt.* Erat enim antiquitus antrum magnum ſub colle, arbuſto denſo contectum, & fontes ſub petris profundi, adhærenſque rupibus ſaltus, crebris arboribus, & quidem magnis opacus, ubi ara Deo conſtructa, ſacrificia perficiebant, quæ Romani poſtea menſe *Februario* peragebant. Et poſt ſcribit quidam auctor, oportuiſſe juvenes *Palantium*, qui poſtea *Palatinus* mons dictus eſt, incolentes, ſacris peractis ex *Lupercali* circuire vicum curſu nudos ipſos ſuccinctos pudenda pellibus immolatorum paulo ante animantium. Hanc enim velut purgationem ſive luſtrationem quandam incolarum patriam habitam fuiſſe. Meminerunt horum Sacrorum & Sacerdotum *Livius* libro 1. *Iuſtinus* lib. 43. *Varro* libro 4. de ling. Lat. *Sext. Pompejus, Val. Maximus* lib. 7. cap. 1. & alii. *Plutarchus* in Quæſtionibus Romanis, quæſt. 68. & in Romulo, inquit: *Luperci ſunt, qui Lupercalibus per laſciviam diſcurrentes, pellibus obvios cædunt.* Idem alibi: Iugulant capras, tum duos ex genere adoleſcentes eo ſiſtunt, quorum frontes alii cultro ſanguine perfuſo pingunt, alii ſtatim lanam lacte madentem admoventes abſtergunt: oportet etiam abſterſos adoleſcentes ridere. Deinde inciſis in corrigias caprarum pellibus, diſcurrunt in orbem, & ſi qui obſtant, ſcuticis cædunt. Mulieres adulta ætate, ultro ſe ad verbera offerunt, ratæ eam rem ad fœcunditatem conducere. Proprium ac ſuum ejus celebritatis eſt, ut *Luperci* canem immolent. Meminit hujus rei, & *Ovidius*, ut alibi notamus. Porro duo *Lupercorum ordines* fuerunt, alii *Fabiani*, alii *Quinctiliani*, à præpoſitis ſuis *Fabio*, & *Quinctilio* ſic appellati, quorum *Fabiani Romuli*, *Quinctiliani Remi* partium fuerunt, *Feſto* & *Ovidio* teſtibus. Quibus deinde tertius ordo, vel ſodalitas adjecta eſt, eorum, qui *Iuliani* dicti ſunt, quod in Cæſaris honorem ſint inſtituti. *Suetonius* in Iulio. *Dio.* lib. 44. initio. *Adrianus Turnebus* Adverſariorum lib. 7. cap. 3. Meminit eorum etiam *Cicero* in Philippicis.

AD CAP. II. PARALIPOMENA.

Lupercalium ritus, qui Arcades, quis Panis cultus.

De Sacerdotiis Romanorum extat libellus L. Feneſtellæ, ſaltem epigraphe ſic præferente, quod non ita ſe habere, clarum apertumque cuilibet ex eo, quod *L. Feneſtellam* citent, Plinius ſæpe, Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 10. Fulgentius lib. 3. Mytholog. in principio, & alii innumeri antiqui ſcriptores. Cum tamen is, quiſquis eſt, indignus certe illo nomine, novitius ſit, & nuperus, longeque iis, à quibus citatur, poſterior, & ipſe libello iſto laudet *A. Gellium noctium Atticarum ſcriptorem* cap. 5. Sed non ita pridem prodiit hoc opuſculum, æternis tenebris, meo judicio, damnandum, ſub nomine cujuſdam Dominici Flocci. Sed ad rem.

Lupercalia explicuerunt, eorumque ritus Interpretes Iuvenalis ad Satyram 2. vet. ſcholiaſt. ad v. 142. *Steriles mulieres februantibus Lupercis ſe offerebant, & ferula verberabantur, hoc homine, qui infra tectum .... multi ſeminis credit contractus ob fœcunditatem dandam: palmas ideo dicit, quia aut .... catomus lætabantur, aut quia manibus vapulant cunei per civitatem, tunc & in ſolio, ſi qui poſt ipſum deſcenderit, ſtatim concipit.* Nudi tranſcurrebant Luperci. Aurel. Prudent. in Romano Martyre:

Quid illa turpis pompa? nempe ignobiles
Vos eſſe monſtrat cum Luperci curritis,
Quem ſervulorum non rear viliſſimum,
Nudus plateas ſi per omnes curſitans
Pulſet puellas verbere ictas ludicro?

In aliis editionibus, parvo legitur diſcrimine:

Pulſet puellas verbere actas ludicro?

Vt & in C. Petronio. in Civilibus: *Quo mens icta jubet*, aut, ut aliis viſum, *Quo mens acta jubet.* Idem Prudent. lib. 2. in Symmach. Prudentius:

Inde Lupercales ferulæ, nudique petuntur
Diſcurſus juvenum.

Virgil. lib. 8. Æneid.

Hinc exultantes Salios, nudoſque Lupercos.

Sed cum *pudori conſultum* cuperet Auguſtus princeps, ſtatuit, *ne imberbes inter Lupercos nudi per urbem curſitarent*, C. Sueton. cap. 31. Et certe non ſemper nudi, at interdum etiam *pelle caprina accincti.* Vt eſt apud M. Iunianum Iuſtinum lib. 43. aliquando *& oleo perуncti*, Plutarch. in Antonio. & *ſubligaculo interdum ſuccincti, quo pudendas corporis partes velarent*, & ob id *cinctuti*, à cinctu appellabantur. Porphyrion Horatii interpres ad Artem poëtic. & Ovid. lib. 5. Faſt.

Semicaper coloris cinctutis Faune Lupercis.

Pellibus induebantur itaque, & *pelliceis ſcuticis* obvias matronas cædebant ut nomine à crepitu deducto *Crepi* fuerint vocati, ut mirum ſit, *ferulas* iis à Prudentio ſupra proxime aſſignari, niſi forte dicamus, ferulas haſce pellibus etiam & corio tectas: quod & admitti poſſet. Feſt. Pomp. libr. 3. *Crepos Romani Lupercos dicebant, à crepitu pellicularum, quem faciunt verberantes: mos enim Romanis in Lupercalibus nudos diſcurrere, & pellibus obvias quaſque fœminas ferire.* Iuv. Moderat. Columella lib. 10. Rei Ruſt.

Cappadocamque premit ferali menſe Lupercus.

Germanos vocat M. Cicero in Orat. pro Cælio. *fera quædam ſodalitas, & plane paſtoritia, atque agreſtu germanorum Lupercorum. Iulios* eoſdem appellat 2. Philip. eoſque pleniſſime ibi deſcribit. *Fabiani*, à Fabio quodam dicti iidem. quod ab Adriano Turnebo notatum libr. 7. Adverſarior. cap. 3. & poſt illum à Marcello Donato Ponzano, Commentarior. cap. 76. Sext. Propert. lib. 4. eleg. 1.

Vellera pellitus ſetoſa movebat arator,
Vnde licens Fabius ſacra Lupercus habet.

Denique & à Quintilio, Quintiliani audiunt ab Ovidio lib. 2. Faſtor.

Riſit, & indoluit Fabios potuiſſe, Remumque
Vincere Quintilios non potuiſſe ſuos.

Fuere hi ſacerdotes *Panis* qui Latinis *Faunus* eſt Ἀγροτέρων θεός *Ruſticorum deus.* Apollonius Smyrnæus, ὀρειβάτης, *per montes ambulans.* Erycius poëta, τερπόμενος δόναξι, *delectatus fiſtula.* Alcæus, de quo quædam non vulgaria ſubnectam, ac primum *ex adulterio eum ſuſceptum à Mercurio, matre Penelope.* M. Tull. libr. 3. de Nat. deor. Iul. Hygin. fabular. c. 224. *Pan Mercurii & Penelopes filius ex mortali factus eſt immortalis.* Id contigiſſe Mercurio in hircum mutato, ob quam cauſam & Pan *hircinis pedibus* effingatur, Simonid. Epigr. 84. lib. 4. Antholog. cap. 12. Thætetus ibidem loci epigr. 85. Auſon. Eidyll. 3. Moſella v. 174. *Capripedes agitat cum læta protervia Panes.* Narrat Herodotus lib. 2. Probus Grammaticus ad illud Eclo. 4. Virgilianæ idem docet: *Pan Deus Arcadiæ.*

Aliis ex Luciano in Dialogis Deorum, & D. Gregorio Nazianzeno Orat. 1. in Iulianum Aug. obſervatum, addendus Nonnus Panopolit. libr. 24. Dionyſiac. v. 87.

Υἱέα Πηνελόπης κεραλκέα Πᾶνα κομήτην.
Filium Penelopes cornua trahentem Pana comatum.

Quod eo lubentius retuli, ut vulgarem de caſtitate Penelopes opinio-

opinionem reſcinderem, quam ex fide Homeri notiſſimæ pudicitiæ, poëtæ penè omnes tradiderunt, at contra hiſtoricorum veterum nonnulli impudiciſſimam fuiſſe, omnibuſque ſui corporis vulgati copiam feciſſe, Duris Samius lib. de Agathocle, & Lyſander hiſtoriæ vetuſtiſſimus ſcriptor. Tzetzes ſchol. *domeſtica turpitudine offenſum Vlyſſem ad Circen rediiſſe, & à Telemacho filio necatum* prodit ad Lycophronis Alexand. cui illa dicitur βασσάρα πορνεύουσα *Baccha ſcortans*; aliis placet *Vlyſſem, ob admiſſos procos, cum illa divortio facto, Lacedæmona conceſſiſſe, inde Mantineam, ibique diem extremum clauſiſſe*, quod relatum à Pauſania in Arcadic. Et Helen. Acron. *Penelope meretrix fuit, quæ amatores ſuos pulchritudine ſua luxurioſos reddebat.* Ad illud Q. Horatii libr. 1. Epiſt. 2.

Sponſi Penelopes, nebulones.

Probaturque impudicitia ex eo, *quod à procis munera acceperit*, quod meretricii animi certiſſimum argumentum, Homer. l. 18. Odyſſ. & *mariti ſui Vlyſſis interfectori nupſit*, ex quo connubio natus Italus. Iul. Hygin. fab. c. 127. Et ob id ipſe Vlyſſes apud Sabinum poëtam in reſponſoriis Epiſtolis:

Tot juvenes inter, tot vina liquentia ſemper,
Hei mihi! quid credam? pignore caſta manes?

P. Ovid. lib. 1. de Arte:

Penelopen ipſam, perſtes modo, tempore vinces.

Et procorum habito delectu, ut fortiori, valentiorique poſſet concumbere, arcu tentabat ſingulos. Auctor incertus Priapeiorum carminum:

Penelope vires juvenum tentabat in arcu,
Qui latus argueret, corneus arcus erat.
Nemo meo melius nervos tendebat Vlyſſe.

Et eſt apud IC. Paulum l. 3. ff. *ſi pars hæred. petat.* locus diverſitate ſcripturæ controverſus: *Alioquin tradidere non leves authores quinquies quaternos enixam Penelopen.* Quæ lectio placuit Fr. Accurſio, licet in aliis editionibus, *Peloponenſem*, legatur, in aliis, *Peloponeſiam*, denique in nonnullis, *Proconneſiam*, ut & apud C. Plinium lib. 7. cap. 3. Sed parum refert.

Ad *Panem* redeo, quem conſtat ruſticum deum habitum, vel ex omnibus poëtis. De quo intelligi poſſet locus Prudentii in Romano Martyre.

Quid ruſticorum monſtra deteſtor deûm?
Faunos, Priapos, fiſtularum præſides,
Nymphas natantes.

Propterèaque *ruſtica hæc Lupercorum ſocietas, & agreſtis* à Cicerone vocatur. Addendum & apes, alveariaque in ejus tutela fuiſſe. Zonas poëta Antholog. libr. 1. cap. 60. Epigr. 7.

Ὄφρα μελισσόος Πὰν ἐπικυψέλιος.
Vt apum ſervator Pan ſubalvearius.

Inter *ſemideos* collocat Placidius ad v. 112. libr. 6. Thebaidos Statianæ. *Herculis & Mercurii ſocium* facit Philodemus Epigrammatographus Antholog. l. 4. cap. 12. Epigr. 86. Et *Echus ſoni inventorem* celebrant. Alcæus ideo amorem ejus captum inducit:

Πᾶνά με τὸν δυσέρωτα, καὶ ἐξ ὑδάτων φύγεν ἠχώ.
Pana me amantem infelicem, & ex aquis fugit Echo.

Arabius Scholiaſticus:

——— ἀμήμαρτος ἄστατον ἠχώ.
Fruſtratus inſtabilem Echo.

Denique *Panis oraculum* apud Piſas fuiſſe loquitur Luctatius Placidius ad v. 479. lib. 3. Thebaid.

——— *ruſticus accola Piſæ*
Pana Lycaonia nocturnum exaudit in umbra.

Et templi idem meminit lib. 3. ad v. 206.

——— *Procul uſque Lycæos,*
Partheniosque ſuper ſaltus.

Vt *Luperci* ab arcendis ab ovilibus lupis dicebantur, ita & ipſe Pan *Lycæus vocatus*, vel à monte ejus nominis, vel ab urbe Lycæa. Ovid. lib. 2. Faſtor.

Quid vetat Arcadiæ dictos de monte Lupercos?

Et quia venatores montibus plerumque gaudent, Panem venatus præſidem fecere, Zozimus Thaſius lib. 6. Antholog. c. 15. epigr. 11.

Σοὶ τάδε Πὰν θηρευτὰ ἀνηρτήσαντο σύναιμοι
Δίκτυα, τριχθαδίης δῶρα κυνηγεσίης.

Tibi hæc Pan venator ſuſpenderunt conſanguinei retia, trina munera venationis. Iulian. Diocles:

Δίκτυά σοι τάδε Πὰν ἀνεθήκαμεν οἶκος ἀδελφῶν.
Retia tibi hæc Pan depoſuimus domus fratrum.

Satyrius poëta eodem capite:

Θηρευτὴς δολιχὸν τόδε δίκτυον ἄνθετο Δᾶμις,
τῷ Πανί.

Venator longum hoc rete poſuit Damis Pani. Sed obvia ſunt omnia.

CAP. III.

De Cereris Græca Sacerdote.

Sacerdotis *Græcæ Cereris* ſæpe fit in *Livio* mentio: ſed quænam ea ſit, non explicatur: atque haud ſcio, an ab ullo alio, præterquam à *Dionyſio* lib. 1. ejus origo referatur. Is enim de ea in hæc verba ſcribit: *Arcades* poſt occupatum montem *Palatinum*, ſibi à *Fauno* Aboriginum Rege conceſſum, tum alia templa ædificarunt, tum vero *Cereri* ædem extruxerunt, & per fœminas *Sacerdotes* ſacra ei fecerunt abſtemia, more Græco: additque deinde ſuo etiam tempore nihil eorum mutatum eſſe. Plura de ea reperire non licuit.

CAP. IV.

De Potitiis & Pinariis, Herculis Sacerdotibus.

Antiquiſſimum fuit etiam *Potitiorum* & *Pinariorum* ſacerdotium, ab ipſo ſcilicet *Hercule* inſtitutum, de quo *Halicarnaſſæus* lib. 1. hæc tradit: Poſtquam condita *Herculi* ara ab *Euandro* fuiſſet, & ſacrificium factum, ferunt incolas regionis (*Aborigenes*) ab *Hercule* rogatos, ut quando ſe ultro inter Deos recepiſſent, ſervarent honores ipſius perpetuos, quotannis juvencum indomitum mactantes, & ritu Græco peragentes id ſacrificium. Et ut ſemper libens adeſſet ſuis ſacris, præfecit illis edoctas prius rituum duas nobiles familias. Hi fuere *Potitii* atque *Pinarii*, penes quas gentes multis ſeculis duravit cura ſacrorum, ita uti ille juxta Græcorum diſciplinam inſtituerat: *Potitiis* ſolis extorum dape veſcentibus, à quibus arcebantur *Pinarii* in communi officio ſemper potiorem partem cedentes collegis ſacerdotii *Potitiis*, ea fuit tarditatis mulcta & negligentiæ, quod juſſi mane præſto eſſe, adeſis demum extis ad cæteram dapem vene-

venerint. Nunc tamen illorum poſteritas non habet curam horum ſacrorum, ſed operantur eis ſervienti ære publico. Hæc *Dionyſius*. Eadem *Livius* lib. 1. docet, & *Servius* in 8. Æneid. cujus verba cum notatu digna ſint, libet adſcribere. Is poſtquam de *ara Maxima Herculi* conſtituta verba feciſſet, hæc ſubjungit: Cum *Hercules* de ſuo armento ad ſua ſacrificia boves dediſſet, inventi ſunt duo ſenes, *Pinarius* & *Potitius*: quibus qualiter ſe coli vellet, oſtendit, ſcilicet, ut mane & veſperi ei ſacrificaretur. Perfecto itaque matutino ſacrificio, cum circa Solis occaſum eſſent ſacra repetenda; *Potitius* prior advenit, *Pinarius* poſtea extis jam redditis. Vnde iratus *Hercules*, ſtatuit, ut *Pinariorum* familia tantum miniſtra eſſet, epulantibus *Potitiis* & complentibus ſacra. Vnde etiam *Pinarii* dicti ſunt ἀπὸ τῆς πείνης, id eſt, à *fame*. Nam ſenem illum *Pinarium* conſtat alio nomine eſſe nuncupatum. Hactenus ille. Porro addit *Livius*, *Potitios*, qui ab *Euandro* edocti antiſtites ſacri ejus per multas ætates fuerant; poſtquam tradidiſſent ſervis publicis ſolenne familiæ miniſterium, ad unum omnes interiiſſe, id quod factum eſt, uti ex eodem auctore conſtat, anno ab urbe condita CDLXI. Conſulibus *M. Valerio Maximo*, *P. Decio Mure*. in Cenſura *Appii Claudii*, cui poſtea *Cæci* cognomen fuit. Sic enim in illius anni hiſtoria ſcribit: Eodem *Appio* auctore *Potitia gens*, cujus ad aram Maximam *Herculis* familiare ſacerdotium fuerat, ſervos publicos miniſterii delegandi cauſa, ſolennia ejus ſacri docuerat. Traditur inde dictum mirabile, & quod dimovendis ſtatu ſuo ſacris religionem facere poſſet. Cum duodecim familiæ ea tempeſtate *Potitiorum* eſſent, Puberes, ad triginta, omnes intra annum cum ſtirpe extinctos: nec nomen tantum *Potitiorum* interiiſſe, ſed Cenſorem etiam *Appium* memori Deûm ira poſt aliquot annos luminibus captum. Hæc *Livius*, quæ etiam habet *Valerius Maximus* lib. 1. cap. 1.

CAPVT V.

De Regibus.

Reges tam apud Græcos quam apud Romanos *Sacerdotes* fuiſſe manifeſtiſſimum eſt. *Virgilius* enim de Rege Deli Anio ita ſcribit:

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique Sacerdos.

De Romanis autem *Livius* lib. 1. & *Dionyſius* lib. 2. ſcribunt; *Numam*, quamvis multa ſacerdotia inſtituiſſet, ipſum tamen etiam quædam obiiſſe, ea maxime, quæ poſtea ad *Dialem Flaminem* fuerint delata. Ejectis vero Vrbe *Regibus*, *Rex ſacrificulus* creatus eſt, qui regia ſacrificia curaret, de quo poſt dicemus.

CAPVT VI.

De Fratribus Arvalibus.

Fratres *Arvales*, ut ſcribit *Varro* lib. 4. de ling. Lat. dicti ſunt, qui ſacra publica faciunt, propterea, ut fruges ferant arva, à *ferendo*, & *arvis*: *Fratres Arvales* dicti, quia *Fratria* dixerunt. Eorum inſtitutionem & originem tradit apud *Agell.* lib. 6. cap. 7. *Maſſurius Sabinus* in 1. Memorab. *Accam Laurentiam* Romuli nutricem fuiſſe dicit: eamque mulierem ex XII. filiis maribus unum morte amiſiſſe, in cujus locum Romulus *Accæ Laurentiæ* ſeſe filium dederit, ſeque & cæteros ejus filios *Fratres Arvales* appellarit. Ex eo tempore *Collegium* manſiſſe *Fratrum Arvalium* numero XII. cujus ſacerdotii inſigne ſit ſpicea corona, & albæ infulæ. Eaſdem *Plinius* libro 17. cap. 2. tradit: ubi inter alia dicit, ſpiceam coronam, quæ vitta alba colligaretur, & ſacerdotio huic pro religioſiſſimo inſigni data eſſet, primam apud Romanos fuiſſe coronam. Honorem quoque hunc non niſi vita finiri, & exules etiam captoſque comitari. De iis etiam *Fabius Fulgentius* in lib. 1. de Vocib. antiq. in hunc modum ſcribit: *Acca Laurentia*, Romuli nutrix conſueverat, pro agris ſemel in anno ſacrificare XII. filiis ſuis ſacrificium præcedentibus; unde cum unus mortuus eſſet, propter nutricis gratiam Romulus in vicem defuncti ſe ſuccedere pollicetur: unde & ritus proceſſit, cum XII. jam deinceps ſacrificare, & *Arvales* dici *fratres*, ſicut *Rutilius Geminus* in libris Pontificialibus memorat. Hactenus ille. *Fratres Arvales* de finibus & terminis motis cognoviſſe, *Iac. Cujacius* I. C. lib. 11. Obſervat. cap. 5. docet, ex veteribus gloſſis, in quibus ſic ſcriptum reperitur: *Arvales ſodales* οἱ περὶ ὅρων διαγινώσκοντες δικασταί. Ideo autem *Arvales* de terminis motis cognoviſſe arbitratur, quod *termini* ſancti & inviolati haberentur, de quibus *Iuvenalis*:

Improbus aut campum mihi ſi vicinus ademit,
Aut ſacrum effodit medio de limite ſaxum,
Quod mea cum vetulo coluit plus annua libo.

Seneca in Hippolyto:

——— *Nullus in campo ſacer*
Diviſit agros arbiter populus lapis.

Adrianus tamen *Turnebus* libro Adverſ. 21. cap. 1. Non Sacerdotes illos *Fratres Arvales* de agris & eorum terminis judicaſſe, ſed judices, qui de agrorum finibus cognoſcerent, mutuatitio nomine, de *Fratrum Arvalium* vocabulo, *Arvales Sodales* appellatos, ſcribit. Vtrius ſententia ſit verior, judicent eruditi.

CAP. VII.

De LX. publicis Sacerdotibus.

De his LX. *publicis Sacerdotibus* à Romulo inſtitutis *Dionyſ.* libr. 2. ſcribit Romulum poſt conditam Vrbem & multitudinem in *Tribus* & *Curias* diviſam, multos addixiſſe divino cultui; ita ut in nulla urbe recens condita oſtendi poſſint tot *Sacerdotes* & *Sacrifici*. Nam præter *Gentilia ſacrificia*, inquit, qui publice pro civitate ſacra tributim, & curiatim facerent, LX. illo regnante deſignati ſunt, ut *Ter. Varro* in Antiq. auctor eſt, vir ætate ſua doctiſſimus. Deinde, quod cum alii temere plerumque ac inconſiderate *Sacerdotes* eligant, quidam licitatoribus proponentes hunc honorem, quidam committentes ſortibus: ipſe neque venalia voluit eſſe ſacerdotia, neque ſorti ſubdita: ſed lege ſanxit, ut è ſingulis *Curiis* legerentur bini, annum ingreſſi quinquageſimum, qui virtute ac genere præcellerent cæteros, ſenſumque ſufficientem haberent, & integro eſſent corpore. His non ad certum tempus, ſed in omnem vitam eum honorem conceſſit, immunibus ob ætatem à militia, & propter privilegium exemptis ab urbanis negotiis. Hæc ille. Alibi non memini me quicquam de iis legere.

CAP. VIII.

De Auguribus & eorum Collegio.

AVGVRES nomen habent ab *avibus*, gerendoque, quia per eos avium geſtus educuntur, ſive ab *avium garritu*, unde & *augurium*. Augurum diſciplina vetuſtiſſima fuit, à *Chaldæis* & *Græcis* uſurpata: maxime autem in *Hetruria* floruit, unde ad *Latinos* & *Romanos* pervenit. Verum nobis non eſt propoſitum ejus rei originem hoc loco ſuperſtitioſe inveſtigare: ſed contenti erimus, ſi quæ apud *Romanos* circa *Augures* obſervata ſunt habere poterimus: Apud eos igitur primi *Augures* à Romulo inſtituti ſunt, quia & ipſe excellens *Augur* fuiſſe conſtanter aſſeritur à *Dionyſio*, *Livio*, *Plutarcho*, & aliis. Fuit autem ab eo trium *Augurum Collegium* inſtitutum, ita ut ſinguli ex ſingulis *Tribubus* legerentur, quorum ſacerdotium deinde confirmavit *Numa*. Is enim, ut *Dionyſius* libr. 2. ſcribit, cum octo genera *Sacerdotum* inſtituiſſet, & illorum omnium religiones & cærimonias octo libris complexus eſſet, quartum ordinem fecit de cœlo ſigna obſervantium, eaque publica à privatis diſcernentium, qui ab una ſuæ artis ſpecie *Romanis* dicti fuerint *Augures*, Græcis hominibus οἰωνόπολοι, totius divinatoriæ peritiſſimi; ſive quid è cœleſtibus ſignis, ſive terreſtribus conjiciendum eſſet. Hactenus *Dionyſius*. His tribus *Auguribus* deinde unus additus, IV. *Augurum Collegium* fecit. Putant nonnulli eum à *Serv. Tullio* VI. Rom. Rege, cum in IV. Tribus Vrbem diviſiſſet, additum reliquis eſſe: non enim traditur. Illud conſtat anno ab urbe condita CDLIV. *Q. Appuleio Panſa. M. Val. Corvo* V. Coſſ. quatuor *Augures* fuiſſe, *Patritios* omnes, quibus ut V. ex plebe adderentur, & IX. *Augurum Collegium* fieret, *Q.* & *Cn. Ogulnii* Tribuni plebis ad populum tulerunt, & magnis contentionibus tandem obtinuerunt. *Livius*. Tradit *Alex. Neapolitanus* libr. 5. Genial. dier. cap. 13. cautum fuiſſe tum Senatuſconſulto ut non ultra novem *Collegium* excederet, quod quidem apud *Livium* non invenio. Manſit tamen hic numerus uſque ad Dictaturam *Sullæ Felicis*, quo tempore, ut ex *Livio Florus* epit. lib. 89. tradit. Sulla *Augurum Pontificumque Collegium* ampliavit, ut eſſent XV. *Augures*, totidemque *Pontifices*, qui numerus poſtea manſit. Nam quod *Alexander Neapolitanus* refert, additis à Sulla XV. *Auguribus*, ad XXIV. numerum *Collegium* auctum fuiſſe, in eo fallitur, adductus haud dubie depravatis *Epitomæ Livianæ* exemplaribus. Totus igitur *Augurum* cœtus *Collegium* dicebatur, qui inter eos major erat, & reliquos ætate anteibat, iiſque præerat, *Magiſter Collegii* appellabatur. Et hactenus de *Augurum* numero: jam qua ratione creati illi ſint videbimus. Primi quidem Augures à Romulo inſtituti & creati ſunt, fortaſſe *Comitiis Curiatis*. Poſtea vero in more fuit, ut ab Augurum Collegio ſi qui deceſſiſſent, alii crearentur, ea ratione, ut in defuncti locum unus aliquis à duobus nominaretur, & à toto deinde *Collegio* expeteretur, & cooptaretur; qui poſtquam ad ſacerdotium admiſſus erat, mox inauguratus, ut mos erat, captatis auguriis in *Collegium* admittebatur. Et hic mos per multos annos à *Romanis* obſervatus fuit, donec anno ab Vrbe condita DCLI. *C. Mario* III. & *L. Aurelio Oreſte* Conſulibus, primus *Cn. Domitius Ænobarbus*, Tribunus Plebis, Neronis Imperatoris atavus, *Pontificibus* offenſis, quod alium, quam ſe, ſui patris in locum cooptaſſent, lege lata, jus *Sacerdotum* ſubrogandorum à *Collegiis* ad populum tranſtulit, cujus legis meminit *Cicero* 2. *Agraria*: ubi tamen dicit, non ad univerſum populum, ſed ad minorem tantum ejus partem ſelectam, *Augurum*, ſicut & aliorum *Sacerdotum*, creandorum jus tranſlatum eſſe, ut qui ab ea factus eſſet, is à Collegio cooptaretur, & *Tributis Comitiis* renunciaretur: permiſſum etiam ea lege eſſe dicit, ut abſentes poſſent petere *ſacerdotia*, quod antea nemini licuit. Ea tamen *Domitii* lege poſtea ſublata, *Sulla Felix* rerum potitus, ſanxit, ut *Sacerdotes* iidem à *Collegiis* crearentur,

rentur, teste *Pædiano* in Divinationis Commentario. Sed quemadmodum legem *Domitiam* abrogavit *Sulla*, sic legem Sullæ aliquot annis post *T. Attius Labienus* Tribunus Plebis abrogavit, *Domitiamque* restituit, *M. Tullio Cicerone*, & *C. Antonio Coss.* anno ab Vrbe condita DCXC. Fecit autem hoc auctore *C. Cæsare*, qui si populus in mandando sacerdotio suffragium ferret, se, qui popularis admodum erat, *Pontificem Maximum* in demortui *Metelli Pii* locum creatum iri, non sine causa petebat, quod & factum est. Rursus, *lege Labieni* abrogata, jus cooptandorum *Sacerdotum* à populo ad *Collegia* retulit, post eædem *Cæsaris*, *M. Antonius Consul*, eo consilio, ut facilius, ac certius *M. Æmilius Lepidus*, cujus filio filiam suam collocaverat, *Pontifex Maximus* in Cæsaris locum subrogaretur. Cæterum cum *Antonii* omnes leges anno sequenti, *C. Vibio Pansa*, *Aul. Hirtio Coss.* ex Senatusconsulto abrogatæ essent, quod ex *M. Tullii* Philippicis, & *Dione* intelligitur: hæc quoque, quam de *Sacerdotiis* tulerat, fracta est, lexque *Domitia* restituta. Postea sub *Augusto* abrogata, tertio lege *Domitia*, *Collegiorum* primo, deinde *Romanorum Principum* arbitrio, *Pontifices*, *Augures* & reliqui *Sacerdotes* cooptari cœpti. Viguit autem *Augurum Collegium* Romæ usque ad *Theodosii* senioris Imperatoris tempora.

Porro *Augurum* dignitatem non parum declarat, quod cum cæteris fere omnibus *Sacerdotibus* simul ac in judicium ducti & damnati essent, alium substitui moris fuisset, *Augures* hac lege immunes essent. Dum enim viverent, licet maximorum criminum convicti essent, *sacerdotio* tamen potiebantur, neque unquam privari poterant: cujus rei *Plutarchus* in Problematibus Romanis problem. 99. tres rationes affert: vel, quod *Romani* sacrorum eorum arcana neminem, qui *Augur* non esset, cognoscere voluerint: vel quod cum qui *Augur* esset cooptatus, jurejurando adigeretur, *Augurum* res nemini sese dicturum, privatum eum postea factum, eo sacramento liberum esse voluerint: addit deinde tertiam, quod *Auguris* vocabulum non honoris, nec magistratus, sed scientiæ atque artis cujusdam nomen sit: eamque ob causam nemini *Augurum* vim ac facultatem divinandi, vel augurandi detrahi posse, licet appellatio ei detrahatur. Idem *auctor Problemate* 73. scribit, *Augures* si ulcera haberent, in augurandi causa sedere prohiberi, ejusque rei causam recitat, signum hoc esse, non oportere eos, qui morsum aliquem, ut ulcus, & perturbationem in animo haberent, res divinas tractare: sed tum Deorum mentem hominibus prodere, cum & liquido & integro animo essent: vel etiam hanc causam esse putat, cum neque victimam sanandi ulceris causa quisquam adhibeat, nec avibus ulceratis ad auspicandum utatur, existimasse *Romanos* ea multo magis in ipsis *Auguribus* servanda esse, ut ad ea, quæ à *Diis* significarentur, puri & integri accederent: cum ulcus mutilatio quædam & pollutio corporis videatur.

Officium *Augurum* fuit, ex avibus vaticinia observare, signaque rerum futurarum, & à Diis monita contemplari: si opportune evolassent, aut sedes idoneas accepissent, obnunciare: de *prodigiis*, *somniis*, *auguriis*, atque *oraculis*, & *portentis* responsa dare; tum observationes *auspiciorum*, procurationes expiationesque, *vatum libros*, portentorum explanationes, & monita *Deorum* edicere: si quid ingruente fato casurum foret, & quod salvis auspiciis fieret. Quodve *augurium* lætum, quodve peculiare esset, quod minas cœlestes, ingruentesque calamitates, aut fatale exitium afferret, præmonere, & vaticinari: quæ omnia comprehenduntur *lege Augurali*, quæ apud *Ciceronem* libr. 2. de *Legib.* extat ejusmodi: *Interpretes*, indotes vineta, virgetaque, & salutem populi auguranto, quique agent rem duelli, quique populare auspicium, præmonento: oblique obtemperanto: divorumque iras providento, iisque parento: caliqué fulgura rejusta, nefasta, vitiosa, dira dixerit, irrita, infectaque sunto: quique non paruerit, capitale esto. Et infra: Ipsique auguriis auspiciisque captandis interesse debent, eaque notare, ac inspicere & referre: & an egregie esset litatum, declarare: quibusque hostiis, & quibus sacris ac supplicationibus, & quæ ad pulvinaria tetra prodigia procurarentur, aut expiarentur, enunciare, &c. Hactenus *Cicero*, qui los annotat.

AD CAP. VIII. ET IX. ET XI.

PARALIPOMENA.

Augurii dignitas, Inventio, species, vulturis auspicium, Omina, sternutatio, aurium pulsus, & occursus quorundam fugiendus.

Quis primus futura, ex aruspicina, aut augurio, prædicendi author gentibus extiterit, incertum penitus ex veterum scriptis est, & inexploratum, quantumlibet antiquissimum ejus artis usum reperiam, non modo apud Græcos etiam heroicis temporibus, ut de *Melampode* Apollodorus scribit libr. 2. bibliothec. Homer. libr. 15. Odyss. *Amphiarao* Iul. Hygin. fab. cap. 73. 128. Papin. lib 1. Thebaid. v. 399.

Non docte futuri Amphiaraè vides.

Sidon. Apollinar. Carm. 9. v. 194.

Nec quos Amphiaraus, aut Melampus.

Sed & apud Barbaras quasque nationes, Ælian l. 2. var. hist. cap. 31. καὶ λέγεται εἶναι θεοὺς, καὶ φρονοῦν ἡμῶν, καὶ φροντίζειν τῶν μελλόντων, καὶ διὰ ὀρνίθων, καὶ διὰ συμβόλων, καὶ διὰ σπλάγχνων, καὶ δι' ἄλλων τινῶν μαθημάτων τε καὶ δηλωμάτων. *Dicunt esse deos, & nostri curam gerere, præsignificare futura per aves, signa, vel omina, viscera, & alias quasdam observationes atque doctrinas.* Ex quo liquet etiam apud barbaros quosque prædictiones hasce in pretio & dignatione fuisse, hanc ad Græcos scientiam manasse tradente *Telegono*, primo ejusdem inventore, prodidit Suidas in voce πλάργος.

At

At *Hetrusci* se authores prædicabant, & à se Romanis concessum divinandi istiusmodi munus. Claudian. l. 1. in Eutropium:

Fulmineos soles Hetruria consulat ignes,
Immensumque nefas fibris exploret aruspex,
Quæ nova portendant superi?

Repertorem extitisse *Tagem* quendam, diffuse M. Tull. l. 2. de Divinat. Adscribam elegantem, de certitudine & inventione hujus disciplinæ, locum, licet hominis ethnici, Ammiani Marcellini l. 21. *Auguria & auspicia non volucrum arbitrio futura nescientium colliguntur (neque enim hoc vel insipiens quisquam diceret) sed volatus avium dirigit Deus, rostrum sonans, aut prætervolans pinna, turbido meatu vel leni, futura præmonstret: amat enim benignitas numinis, seu quod merentur homines, seu quod tangitur eorum affectione, his quoque artibus prodere: quæ impendent: extis item pecudum attenti fatidicis, in species conversi sueti innumeras, accidentia sciunt. Cujus disciplinæ Tages nomine quidam moustrator (ut fabulantur) in Hetruriæ partibus emersisse subito visus è terra.* Ioan. Saresber. manifeste aruspicinam cum auspicio confundit. l. 1. Policrat. cap. 12. *Aruspicium quoque in extorum inspectione viget, quam artem Tages quidam dicitur invenisse.* Martian. Capella l. 2. de Nupt. Merc. & Philolog. *Tages sulcis emicuit, & ritum statim gentis, Sypnumque monstravit.* Concors in hanc rem Latinorum sententia. M. Lucan. l. 1. v. 635. Pharsal.

Sed venient majora metu, dii visa secundent,
Et fibris sit nulla fides, sed conditor artis
Finxerit ista Tages.

P. Ovid. l. 15. fab. 47.

Indigenæ dixere Tagen, qui primus Hetruscam
Edocuit gentem casus aperire futuros.

In eadem fabula legitur:

Fatidem glebam motis aspexit in arvis.

Melius, meo judicio, in MS.

—— *Medius aspexit in arvis.*

Hujus Tagis præcepto asini caput præsepibus affigi solebat ruri, ad arcenda incommoda, ita exponente Ioanne Britannico Sat. 11. v. 97. D. Iuvenal.

—— *Parvis frons arca lectis*
Vile coronati caput ostendebat aselli.

Iun. Moderat. Columella de re Rustica l. 10. in hortorum cura:

Hinc caput Arcadici nudum cute fertur aselli.
Tyrrhenus fixisse Tages in limite ruris.

Imo, & quod nulli adhuc animadversum, Tages hic scriptis auguralem hanc artem mandavit, nam in voce, *Præsegmina*, Fulnius Fulgentius libello de vocibus antiquis ad Chalcidium citat Tagetem in Aruspicinis, dicentem, *Præsegminibus amputatis.* Et peculiari nomine, disciplinæ Hetruscæ, divinandi peritia vocantur, quam complexus est Labeo quindecim voluminibus, *quæ Tagetis & Bacheti dis* appellabat, eodem Fulgentio inibi auct. in voce *Labeo.* Sed ad augures venio.

Erant hi summa veneratione, dignitatem ostendit perpetuus, & non nisi cum vita finiendus magistratus; adeo ut Q. Fabius Maximus sexaginta tribus annis augur fuerit. C. Plin. l. 7. c. 48. quibus & collegium celebre in urbe, & honor amplissimus, eo tamen discrimine, ut quidam *minores*, quidam *majores* dicerentur, nempe ex *Plebe*, aut patriciis electi, sive, quod idem est, quidam *privati*, quidam *publici*, ut ex vetusto marmore constat: M. MARCIO. MEMMIO. FVRIO. BALBVTIO. CÆCILIANO. PLACIDO. C. V. PONTIFICI. MAIORI. AVGVRI. PVBLICO. P. R. QVIRITIVM. QVINDECIM. VIRO. SACRIS. FACIVNDIS. CORRECTORI. VENETIARVM. ET. HYSTRIÆ. PRÆFECTO. ANNONÆ. VRBIS. SACRÆ. CVM. IVRE. GLADII. COMITI. ORDINIS. PRIMI. COMITI. ORIENTIS. ÆGYPTI. ET. MESOPOTAMIÆ. IVDICI. SACRARVM. COGNITIONVM. TERTIO. IVDICI. ITERVM. EX. DELEGATIONIBVS. SACRIS. PRÆFECTO. PRÆTORIO. ET. IVDICI. TERTIO. CONSVLI. ORDINARIO. PATRONO. PRÆSTANTISSIMO. REGIO. PALATINA. POSVIT.

Atque hi quidem appellabantur *publici augures populi Romani Quiritium*, ad distinctionem *privatorum* seu *Imperatoriorum.* Nam & Augusti domesticos habebant augures, hoc est, qui pro sua salute excubarent, & auspicia captarent, & puto eadem libidine vivos imperatores Augures habuisse, qua mortuos flamines. Vetus Inscriptio.

D. M.
CN. IVLI. CN. FILI. DONATI.
PRISCI. EX. EQVO. PVBLICO.
ADIVTORIS. ARVSPICVM. IMPERATORIS. PONTIFICIS.
ALBANI.

Habuerunt porrò augures collegium Romæ, cujus mentio frequentissima apud historicos. Cicero Orat. 2. Philipp. *Quod enim ipse me augurem à toto collegio expetitum Cn. Pompeius, & Q. Hortensius, neque enim licebat à pluribus nominari.* Et in veteri lapide, cujus verba apponam:

COLLEGIVM. AVGVRVM. AVCTORE. IMPERATORE. CÆSARE. DIVI. TRAIANI. PARTHICI. FILIO. DIVI. NERVÆ. NEPOTE. TRAIANO. HADRIANO. AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. V. COS. III PROCOS. TERMINOS. POMOERII. RESTITVENDOS. CVRAVIT.

Ad species jam Augurii descendo, quas omnes in quinque signa distribuunt; *ex cœlo, volucribus, bipedibus, quadrupedibus, diris.* Blondus Flav. l. 1. Romæ Triumphantis. Andreas Tiraquellus in Alexandrum Neapolitanum l. 5. cap. 19.

Augurium ex fulminibus, quorum procuratio ad bidental, ritusque notissimi, & dixi ad principium libri 2. in Eutropium Claudiani, M. Lucan. l. 7. in fine:

Inclusum Thusco veneratur cæspite fulmen.

Aut ex ventis ipsis, quod nescio an ulli notatum hactenus, testatur tamen ex iis captata auguria Luctatius Grammatic. ad v. 665. l. 3. Thebaid. *Solent augures ventorum flatibus futura cognoscere.* Ipse Statius ibidem:

—— *ventisque aut alite visa*
Bellorum proferre diem.

Hinc finxere Ventos deorum esse nuncios, & vota hominum precesque ad eos deferre. Venus illa Ovidiana l. 10. Metamorphos. fab. 11.

Detulit aura preces ad me non in vida blandas.

Virgil. Eclog. 3.

Partem aliquam venti divûm referatis ad aures.

Quæ autem vota irrita cadebant, neque ex animo eveniebant, ea à ventis ad Deos non fuisse perlata credebant, sed vel dissipata, vel in longinquam regionem avecta & procul exportata. Et quicquid evenire nolebant, aut aversabantur, ventis differri, dissiparique exorabant, Alb. Tibull. l. 1. eleg. 5. & l. 3. eleg. 4. apud Adrianum Turnebum libr. 1. Adversar. cap. 23. Virgil. l. 9. Æneid.

Multa patri portanda dabat mandata, sed Euri
Omnia discerpunt, & nubibus irrita donant.

Et l. 10. Æneid.

—— *Partem succedere voti*
Mente dedit, partem celeres dispersit in auras.

Q. Catull. Epigr. 68. & alii passim:

In vento, & rapida scribere oportet aqua.

Ex avibus verò esse desumpta auguria, auspiciaque, de earum differentiis, speciebus, aut nominibus, nihil hic dicendum, nisi eas deorum ministras, ab iisdem jussas hominibus mentem suam & voluntatem præsignificare. Ovid. l. 5. Fast.

—— *Nam diis ut proxima quæque*
Nunc penna veras, nunc datis ore notas.

Græci hoc divinandi genus ὀρνιθείαν, οἰωνιστικὴν, ὀρνιθοσκοπικὸν, ὀρνιθομαντείαν, vocarunt, ac si dicas ex avibus desumpta præsagia, vaticinia ex avibus, aut divinationem captatam.

Caſpar Peucerus Commentario de præcipuis Divinationum generibus. Suidas ex Ariſtophane:

Οὐδεὶς με θεωρεῖ πλὴν ὁ παραπετόμενος ὄρνις.
Nemo me contuetur, niſi prætervolans avis.

Sil. Italic. l. 4. Punicor.

——— Ni vano caſſa volatu
Mentitur ſupero præpes.

Valer. Flac. l. 1. Argonautic.

Seu plenum certis interroget aëra pennis.

Ennius Annalib. de Augurante Romulo, ut refertur à Tullio l. 1. divinat.

Et ſimul ex alto longe pulcherrima præpes
Læta volavit avis.

In aliis eſt ſignificantius:

Læva volavit avis.

Lævum enim ſeu ſiniſtrum, & dextrum in augurali diſciplina diligenter obſervabantur, ut omnibus notum. Sidonius Apollinaris Carm. 7.

Si Lyciæ ſapiunt ſortes, ſi noſtra volatu
Fata loquuntur aves.

Papin. l. 3. Thebaid. v. 470.

——— Nam te pernicibus alis
Addere conſilium volucreſque implere futuri.

Sext. Propert. l. 2. eleg. 28.

Et jam Luna negat toties deſcendere cœlo,
Nigraque funeſtum condidit omen avis.

Nigra vis eſt inauſpicata, augurii infortunatiſſimi, L. Apul. l. 1. Mileſiar. *Fuſcis avibus Lariſſam acceſſi.* Scio aliter in codice Achillis Statii Neapolitani eſſe:

Nigraque funeſtum condidit omen anus.

Quod ferri poteſt. Nam anus veneficiis & incantationibus infames celebrat antiquitas. Ovid. l. 1. Amor. eleg. 8. & dixi alibi in hoc opere.

Romulum obſervato vulturum auſpicio urbem condidiſſe liquet, ut inde dignitas augurum par cenſeatur regum honori, & antiquiſſimum divinandi ex avibus inſpectis auditiſque genus intelligatur. M. Varro apud Cenſorinum de Die Natali cap. 17. colligit ex viſis illis vulturibus ſpatium urbis duraturæ. M. Lucan. l. 7. Pharſaliæ:

Vulturis ut primum lævo fundata volatu
Romulus infami complevit mœnia luco.

Aurel. Prudent. in Romano Martyre:

Antiquitatem Romuli, & Mavortiam
Lupam renarras, primum & omen vulturum.

Sidon. Apollinar. Carm. 7.

Quid rogo biſſeno mihi vulture Thuſcus aruſpex
Portendit?

Et in eodem Carmine:

Iam prope fata tui biſſenas vulturis alas
Complebant, ſcis Roma tuos, ſcis ipſa labores.

Claudian. lib. de Bello Getico:

Tunc reputant annos, interceptoque volatu
Vulturis, incidunt properatis ſæcula metis.

Alii quidem avibus obſervatis Romam conditam volunt, ſed alias illas ab vulturibus fuiſſe, quas inter inauſpicatas aves numerant, quibus amiſſio regni Tarquinio ſignificata ſit. P. Ovid. lib. 5. Faſtor. Sic Remus ad Fauſtulum:

Qui modo ſi volucres habuiſſem regna jubentes,
In populo potui maximus eſſe meo.

Propert. l. 4. eleg. 6.

Quam niſi defendes, murorum Romulus augur
Ire Palatinas non bene vidit aves.

Ennius de diſceptatione inter fratres, referente Cicerone l. 1. de Divinat.

Cedunt ter quatuor de cœlo corpora ſancta
Avium, præpetibus ſeſe pulchriſque locis dant.

Denique rationem iſtius ſignificationis elegantem lege apud Papinium l. 3. Thebaid. v. 483.

——— Cui tu Dictææ ſecundas
Impuleris manifeſtus aves, mirum unde, ſed olim
Hic honor alitibus? ſuperæ ſeu conditor aulæ
Sic dedit effuſum chaos in nova ſemina texens?
Seu quia mutatæ, noſtraque ab origine verſis
Corporibus ſubiere Notos, ſeu purior axis,
Amotumque nefas, & rarum inſiſtere terris
Vera docent.

Quæ ab animalibus ſeu occurſantibus, ab auguribus, ſeu mactatis ab aruſpicibus duci conſueverint præſagia, aliis dicta, non repeto. Ad ultimum genus propero, quod in *Diris* quæ vel *omina*, vel *offenſiones*, vel *voces incerto auctore emiſſæ & auditæ*, aut denique *occurſus hominum, aliorumve animalium minus auſpicatorum*.

Omina pro quolibet auſpicio augurioque. Propert. ſupra. Tibull. l. 1. eleg. 3.

Aves dant omina dira.

C. Petron. Satyr.

Fortior ominibus movit Mavortia ſigna Cæſar.

Id eſt, *auguriis*. Suet. Ner. cap. 46. *Terrebatur evidentibus portentis ſomniorum, & auſpiciorum & ominum.* Iul. Obſequens cap. 86. *Proditum eſt, Gracchum, die quo periit, triſtia neglexiſſe omina.* Luctat. ad libr. 6. Thebaid. v. 932. *Omina ſunt rerum futurarum ſigna, ſive bonarum, ſive malarum.*

Tamen ſtrictius ſumendum nomen. Nam, cum Auſonius in Gripho, dixit:

——— Omina trina.

non quamlibet divinandi formam intellexit, ſed eam, quæ *παλμὸς, πταρμὸς, ſaliſſatio, ſternutatio, & tinnitus auris.* Ioſeph. Scalig. l. 1. Auſonianar. lection. cap. 16. de auris pulſu, ſeu tinnitu, vetus poëta incerti nominis in poëmat. & Epigrammat. vet.

Garrula quid totis reſonas mihi noctibus auris?
Neſcio quem dicis nunc meminiſſe mei.
His quid ſit quæris? reſonant tibi noctibus auris,
Et reſonant totis. Delia te loquitur.

De *ſternutamento* fuſius agendum, cujus vetuſtas etiam ab heroicis temporibus repetenda eſt. Nam *Penelope mala procis ominante, Telemachus ſternutat.* Homer. l. 17. Odyſſ. in fine. Et *Xenophonti concionanti ad milites fœlix inde auſpicium, ut imperator poſtea fieret*, lib. 6. Et ſternutamenta quippiam divinitatis habere augurabantur, eaque *in Cereris poteſtate* eſſe volebant. Suid. in voce *σύμβολον*. Sed longè diſpari ratione Græci quam Latini illa obſervabant, ſiquidem hi inter *minima* reponebant. C. Plin. l. 2. cap. 7. *Fulgurum monitus, oraculorum præſcita, aruſpicum prædicta, atque etiam parva dictu in auguriis, ſternutamenta & offenſiones pedum.* M. Tull. l. 2. de Divinat. *Quæ ſi ſuſcipiamus, & pedis offenſio nobis, & corrigiæ abruptio, & ſternutamenta erunt obſervanda.* At iſti ſummo cultu, imo ſuperſtitione proſequebantur adeo, ut *ſternutantes genu flexo ſalutarent*, Athen. l. 2. dipnoſoph. cap. 27. *& bene precarentur.* Ammian.

Οὐδὲ λέγει ζεῦ σῶσον, ἐὰν πταρῇ οὐ γὰρ ἀκούει
Τῆς ῥινός, πολὺ γὰρ τῆς ἀκοῆς ἀπέχει.

Vertit Thomas Morus Angliæ ſub Henrico 8. Cancellarius:

Quando Iovem inclamas ſternutans, quippe nec audis,
Tam procul ab naſis prominet aure tuus.

Petron. Satyr. *Gyton collectione ſpiritus plenus, ita continuo ſternutavit, ut grabatum concuteret, ad quem motum Encolpius converſus, ſalvere Gytona jubet.* L. Apul. l. 9. Mileſiar. *Crebras ei ſternutationes commovebat, & quod cum putaret ab ea profectum, ſolito ſermone ſalutem ei fuerat imprecatus.* Et Themiſtocle ſternutante in ſacrificii ſolemnitate peragenda, certa victoriæ argumenta capta ſunt, captivique immolati. Plutarch. in vita ejus. Theocrit. Eidyll. 18.

——— Ἀγαθός τις ἐπέπταρεν ἐρχομένῳ τοι
εἰς Σπάρταν.

Bonus tibi quiſpiam adſternutavit proficiſcenti ad Spartam. Ergo itineris eventus denotatus ſternutatione, ut de Tiberio legimus, qui *ſe ſalutantem graviter & triſti animo tulit, cum ſternutaſſet.* C. Plin. l. 28. cap. 2. Et in genere, *matutinæ ſternutationes infanda ominantur, meridianæ firmi ſunt augurii.* Ariſtot. Problemat. ſect. 33. cap. 11. Ioan. Brodæus doctè ad Antholog. l. 1. cap. 19. Epigr. 5. ubi Macedonii Principis habetur verſus:

Ἔπταρον ἄγχι τάφοιο.
Sternutabam prope ſepulchrum.

Et deinde ſequitur omen:

Ἔπταρον εἰς ἀνέμους.
Sternutabam in ventos. hoc eſt, *fruſtra.*

Q. Catull. Epigr. 43.

Hoc ut dixit, Amor, ſiniſtra, ut ante
Dextra, ſternuit approbatione.

In Veneta editione Achillis Statii:

Hoc ut dixit, Amor, ſiniſtram, ut ante
Dextram, ſternuit approbationem.

Sed ego cenſuerim legendum:

Hoc ut dixit, Amor, ſiniſtram amanti
Dextra ſternuit approbationem.

At quam hoc ineptum, & nullius ponderis, ſed frivolæ plenum ſuperſtitionis, egregiè Ioan. Saresber. lib. 2. de Nugis Curial. cap. 1. *Quid enim refert ad conſequentiam rerum, ſi quis ſemel, aut amplius ſternutaverit?* Et tamen efficaciſſimum id in amore, Ariſtenæt. l. 2. Epiſt. 5. ἡδέως μάλα ἔπταρον μεταξὺ γράφουσα, ἄρα ὁ νέος τοῦ μὲν μέλημα διεμνημόνευσέ μου. *Sed ecce hæc dum ſcribo, jucundiſſime ſternutavi; num forte juvenis, mea cura, meminit mei?* Sext. Aurelian. Propert. l. 2. Eleg. 3.

Num tibi naſcenti, primis, mea vita, diebus,
Aridus argutum ſternuit omen Amor?

Nunc de *offenſionibus* dicendum, quæ inde naſcebantur, *ſi exituro limen inſonuiſſet, pes hæſiſſet.* C. Plin. l. 2. cap. 7. Plutarch. in Demetrio, & in Gracchis. Valer. Maxim. libro 1. cap. 4. de eodem Graccho. C. Sueton. Ner. cap. 19. *Ipſo profectionis die deſtitit, turbatus ſimul religione ac periculo. Nam cum circuitis templis in æde Veſtæ reſediſſet, conſurgenti ei primum lacinia adhæſit.* Cic. abunde l. 2. de Divinat. alii notarunt. Et apud maximum poëtam, certiſſimum ducitur Troiæ evertendæ argumentum, quod equus l. 2. Æneid.

——— quater ipſo in limine portæ
Subſtitit.

Et Proſerpina egrediente, præſagium raptus fuit, quod, ut ait Claudian. l. 2. de Raptu:

——— ter cardine verſo
Præſagæ ſonuere fores.

Ovid. epiſt. 13. Laodamiæ:

Hunc, fateor, volui revocare, animuſque ferebat,
Subſtitit auſpicii lingua timore mali:
Cum foribus velles ad Troiam exire paternis,
Pes tuus offenſo limine ſigna dedit.

Alb. Tibull. l. 1. eleg. 3.

O quoties ingreſſus iter, mihi triſtia dixi
Offenſum in porta ſigna dediſſe pedem.

Reſtant *ultima omina, voces incerto authore prolatæ ſub tempus nocturnum, & occurſus.* Et voces quidem perpetuò ſiniſtri augurii: præter Ciceronem l. 2. de Divinat. Halicarnaſſæum l. 7. in fine, & l. 8. in fine, Euſeb. l. 3. præparat. Euangel. cap. 6. Plutarch. in Themiſtocle. Et *anno urbis conditæ ſexcenteſimo decimoſeptimo, M. Æmylio, C. Mancino Hoſtilio Coſſ. in portu Herculis, cum Mancinus conſul conſcenderet navem, petens Numantiam, vox improviſo audita, mane Mancine*, Iul. Obſequens lib. de Prodig. cap. 83. C. Sueton. in Ner. cap. 46. *De Mauſolæo ſponte foribus patefactis exaudita vox eſt, nomine eum ciens.* P. Ovid. libr. 15. Metamorphoſ. fab. ult.

Mille locis lachrymavit ebur, cantuſque feruntur
Auditi ſanctis, & verba minantia lucis.

Et Epiſt. 7. Didûs:

Hinc ego me ſenſi noto quater ore citari,
Ipſe ſono tenui dixit, Eliſa veni.

M. Lucan. l. 1. Pharſaliæ:

——— magnæque per avia voces
Auditæ nemorum.

P. Virgil. l. 1. Georg. in fine:

Vox quoque per lucos vulgo exaudita ſilentes
Ingens, & ſimulachra modis pallentia miris
Viſa ſub obſcurum noctis.

C. Petron. in civilibus:

Necnon horrendi nemoris de parte ſiniſtra
Inſolitæ voces flamma ſonuere ſequenti.

Vltima augurii pars in *occurſu* poſita, cum nempe negotium aggreſſuris, iter incœpturis, inauſpicata offertur perſona. Cujus ritus antiquitatem, ex Luciano demonſtravit apud Græcos invaluiſſe Brodæus. de Romanis Sueton. in Auguſto cap. 83. *Pumilos, atque diſtortos, & omnis generis ejuſdem, ut ludibria Naturæ, malique ominis abhorrebat.* Simile quippiam de bellorum civilium narrat ſucceſſu L. Florus lib. 4. hiſtor. Rom. cap. 7. M. Tull. Orat. in Vatin. *Cum viderint, tanquam auſpicium malum deteſtantur.* Plut. in Bruto. In hoc genere naturali aliquo defectu inſignes continebantur. L. Sen. *Sacerdos non integri corporis, quaſi mali ominis res vitanda eſt.* Aut Æthiopes & Mauri, nam occurſante ſibi Mauro, infauſtitatis argumenta duxit Adrianus Aug. adde & Eunuchos occurſibus infames habitos, docemur authoritate Claudiani l. 1. in Eutropium:

——— hoc dedecus addidit oris
Luxuriæ Fortuna ſuæ, cum pallida nudis
Oſſibus horrorem dominis præberet imago
Diſcolor, & macies occurſu læderet omnes,
Aut pueris latura metus, aut tædia menſis,
Aut famulis crimen, aut procedentibus omen.

Huc facit & illud Iuvenalis Sat. 3. v. 177.

——— cum perſonæ pallentis hiatum.
In gremio matris formidat ruſticus infans.

Interim de omine, illud eſt Ovidianum libr. 1. Faſtor.

Omina principiis, inquit, ineſſe ſolent.

Et corrigendus Lucanus l. 3. Pharſal. v. 182.

——— fuit hæc menſura timoris
Velle putant, quodcunque poteſt, non omnia feſta,
Non ficto lætas voces ſimulare tumultu,
Vix odiſſe vocat.

Theodorus Pulmannus exiſtimavit legendum eſſe, neſcio an rectè in ſecundo verſu:

——— non omnia fauſta,

Sed indubiè melius, ſignificantiuſque:

——— non omina fauſta.

Alludit ad morem revocandi in urbem Imperatoris, quem cum victore exercitu reducem fauſtis acclamationibus recipiebant, fauſta illi omina apprecantes.

Et ut finem huic de Auguribus, Aruſpicibuſque tractatui imponam, obſervo, cum aliis magiſtratibus poſſe eſſe auguratum connexum. Vetus marmor.

PRÆFECT. IVVENT...... equo Publico. ADIECTO. IN. V. DECVR. ORNATO. MILITIÆ. PRÆF. COH. AFRICÆ. FLAMINI. VIRBIALI. AVGVRI. ÆDILI. AVGVSTALI. Q. Q. IVVENVM.

Et altera inſcriptio vetus apud Aldum Manutium Orthographia, pag. 40. cujus hæc ſunt verba.

D. M.
M. ANTONII. ANTII. LVPI. PR. PATRICII.
AVGVRIS. QVÆSTORIS. SODALIS. TITII.
TRIB. MIL. LEG. II. Adin. PIÆ. FIDEL. X.
NIR. STL. IVDICAN. PRÆFECT. FER.
Lat. CVIVS. MEMORIÆ. PER. VIM.
OPPRESSI. IN. INTEGRVM. SECVNDVM.
AMPLISSIMI. ORDINIS. CONSVLTVM.
RESTITVTA. EST. SEPVLCHRVM.
AB. EO. COEPTVM.

Magiſtratus hujus ſummi & honoratiſſimi dignitas vel ex eo elucet, quod oportuerit primis naſcentis Reipublicæ primordiis in Hetruriam mitti duodecim optimatum filios, ut inſtruerentur auguralis hujus diſciplinæ initiis, quæ deinde, totius vitæ tempore exercerent: quod abunde ab aliis animadverſum, hic prætermitto.

CAPVT

CAPVT IX.

De Auguriis.

Posteaquam de *Auguribus* præcedenti capite, quantum potui, non quantum debui, dixi, libet nunc, ipsorum etiam *Auguriorum* rationem ostendere, non dubitans, quin hæc tractatio præcedens caput mirum in modum sit illustratura. *Augurium* quasi *avigerium*, quòd aves gerunt, ut *Servius*, vel uti *Festus*, ab avium garritu dictum, generaliter vocarunt *quodvis omen, quod vel subito, & ex improviso, aut in corporibus nostris perciperetur, aut intra ædes, aut extra domos in itineribus obiceretur, cujuscunque esset generis, vel quod ritu aliquo solenni, raroque prænotatum, cœli regionibus circumspectis, ex avibus peteretur, moneretque de ignotis & futuris, quæ ars & disciplina conjectorum atque interpretum signis pensitatis explanabat.* Speciatim autem appellatio usurpata est de eo genere divinationum, quod ex *cantu, volatuque avium, & tripudiis pullorum futura auguraretur, ac præsagiret.* Nos hoc loco de utroque significato agemus, initium facientes ab *auguriorum* divisionibus. *Auguriorum* alia erant *prospera*, quæ ex *Augurum* disciplina censebantur *annuere*, ac *suffragari* deliberatis, & spondere successus, rebus motis aut de consilio Senatus incipiendis, vel sancire decreta de magistratibus aut honoribus distribuendis. Alia *adversa, infausta, & piacularia* erant, quæ proposito adversari, vel abrogare aut improbare latas sententias, & facta decreta de rebus quibuscunque, vel detrectare successus putabantur. Vtrorumque alia *oblativa* dicebantur, quæ non poscebantur: alia *impetrativa*, quæ optata veniebant. *Oblativa* nihil adferre, & temere emissa esse, aut sine ratione, sua quadam concitatione prorupisse putabantur; nisi commotos, & velut perculsos animos ita afficerent, ut ad se pertinere assentirentur: si hoc negarent, nihil sese percipere aut experiri eorum, quæ illa prænuntiarent, ex Augurum disciplina persuasum habebant, & in potestate nostra positum affirmabant, auspicia non petita amplecti, aut recusare. *Impetrativa* vero suscitari divinitus, & raro fallere, ex multorum eventuum notatione & collatione, ac sese ipsa asserere, atque explicare observatione, constantia, & æqualitate sua putabant. Hæc igitur ritu solenni ab avibus petebantur, vel captabantur, hac, uti accepimus, ratione: *Augur* captaturus auspicia ex arce cœlo non turbido, nec procelloso, sed silenti, placido, sereno, & puro aëre lituum sine nodo, hoc est, baculum à summo inflexum in parte, qua robustior est, manu tenebat. (Vide lit. *V.*) Erat is *insigne augurale*, quo cœli regiones deserebant, & designabant metas, intra quas se observaturos signa constituerant, ut quod dextrum esset, quodve sinistrum oculis animoque metiri possent. Manu enim hæc spacia; quæ templa vocabantur, definire, & notare, salvis auspiciis non licebat. Verba quibus Augures templa definiebant, vel effabantur, extant apud *Varronem*, sed miris modis corrupta, quæ uti *Ioseph. Scaliger* emendavit, hic adscribam. Concipitur templum, inquit *Varro* [*Lib. 6. de lingua Lat.*] non iisdem verbis usquequaque: in arce autem sic, TEMPLA. TESQVAQ. INCITA. SVNTO. QVO. AD. EGO. CASTE. LINGVA. NVNCVPAVERO. OLLA. VETER. ARBOR. QVISQVIS. EST. QVAM. ME. SENTIO. DIXISSE. TEMPLVM. TECTVMQ. ESTO. IN. SINISTRVM. OLLA. VETER. ARBOR. QVICQVID. EST. QVOD. ME. SENTIO. DIXISSE. TEMPLVM. TECTVMQ. ESTO. IN. DEXTERVM. INTEREA. CONCRETIONE. CONSPITIONE. CORTVMIONE. VT. EIQ. RECTISSVME. SENSI. Hæc Varro ex emendatione *Scaligeri*. Captato igitur prospectum agros, atque Vrbem, & conversa facie in *ortum*, regiones ab *Oriente* in *Occasum* terminabat, limite *decumano*, & cardine ex transverso signo metato, quo oculi ferent quam longissime. Ex distinctis regionibus antica in *Ortum* vergebat, postica à tergo *Occasum*, dextera *Meridiem*, *Boream* sinistra respiciebat. His peractis cæsa victima, longum præfatus carmen, preces effundebat, quibus signa illarum rerum, quas S. P. Q. R. meditabatur, poscebat: & ne inter precandum forte titubaret, aut hallucinaretur, vel aliquid omitteret, aliquo præeunte repetebat. Vtebantur autem inter precandum his fere verbis: *Iovis pater, si mihi est auctor, urbi populoque Romano Quiritium hæc sane sarteque esse, uti tu nunc mihi bene sponsis, beneque voluveris.*

A precibus confidebat velato capite, & duplici amictus *toga augurali*, quæ *lena* dicta est, vel *trabea* ex purpura & cocco, defixisque in cœlum oculis, & attente solliciteque circumspectis, ac perlustratis cardinibus omnibus, expectabat, nunquid alicunde ostenderet sese, & unde nasceretur ac prodiret: & si objiceretur *avis* aliqua, huc ne an illuc volaret, an prono, obliquo, supinove motu corporis ferretur: quo flecteret, contorqueret, porrigeret, contraheret membra: an hac, vel in illa se parte occultaret: à dextrane, vel sinistra parte canerent *oscines*. Visis *auspiciis* surgebat è templo. Non autem satis erat unum *augurium* vidisse, nisi confirmaretur ex simili. Nam si dissimilia essent posteriora, solebantur priora. Quod si post acceptum *augurium* ad aquam venisset, inclinatus hauriebat exinde manibus, & fusis precibus vota promittebat, ut visum perseveraret *auspicium*, quod aquæ interventu disrumpi credebatur. *Servius.*

Porro *Auguriorum genera* erant *quinque*, ex quibus auspicandis rebus, continuandisve, aut abrumpendis

pendis accommodata præsensio, prænotioque futurorum eventuum peti putabatur. Eorum primum è *cœlo* nascebatur: alterum præbebant *aves*: tertium *pulli*: quartum *quadrupedes*: quintum *diræ movebant*. Ex cœlo tonitrua & fulmina *auguria* dabant in hunc modum. Si aut lævum aut impari numero intonuisset, aut si ex ortu emissa fulmina cœli circumactu in eandem partem rediissent, quale *Syllæ Dictatori* oblatum memorant: aut si in exortivas recurrissent partes: vel si excussa nubibus à terra resiliissent, & crebris in sublimi ignibus fulsissent: aut si fulgura à sinistra ad dextram, emicuissent prosperos eventus, & summam felicitatem nunciare hæc à Diis putabantur. Non enim tam adventus spectabatur fulminum, quam reditus, sive ab ictu resiliret ignis, sive opere confecto, aut igne consumpto spiritus remearet. *Serena tempestate* tonuisse, hominesque, aut ædes sacras de cœlo tactas esse, infausti auspicii fuisse, sæpe notatum est. Si ab *Occasu* tonitrua increpitassent; aut per *Septentrionem* in *Occasum* transcurrissent: aut multiplicati ictus pari desiissent numero, diros eventus, & calamitates portendebant. Sic *Marco Crasso*, castra, quæ trans *Euphratem* metatus fuerat, bis icta fulmine cladem, quam paulo post perpessus est, designavêre. *Paulo Æmilio* ad Amphipolim sacrificanti, fulmen cœlo elisum cum sacra combussisset, Regni amissionem denunciavit.

Distinguebantur *fulmina* & auctoribus, & usu, ac finibus. [*Plin. lib. 2. cap. 52.*] Romani *diurna* Iovi, *nocturna* Summano (quem *Plutonem* dicebant.) [*Plin. lib. 28. cap. 2.*] attribuebant: & ea, quæ solus *Iupiter* ejacularetur, læta promittere, quæ habito Deorum concilio, adversa minitari putabantur. Cumque quando vel solus, vel communicato consilio Iupiter intonaret, in dubio esset: fulgetra adorare, & poppysmatibus obstrepere, consensum gentium fuisse, *Plinius* notavit.

Porro fulminum alia *bruta* erant, vanaque, quæ nulla ratione naturæ: alia *Fatidica*, quæ ex alto, statisque de causis, & ex suis venire sideribus censebantur. Horum alia *Consiliaria* vocabantur, quæ negotiis cogitatis: alia *auctoritatis*, quæ decretis ac susceptis iisdem supervenissent: alia *status*, quæ nec opinantibus coruscassent. Alia item *publica*, alia *privata* notabantur: *publica* non supra tricesimum, nisi in deductione oppidorum: *privata* non ultra decimum annum, nisi in sponsalibus aut natali die, *auspicata* portendebant. [*Plin. lib. 2. cap. 52.*] Ex iisdem rursus quædam *postularia*, sacrorum emendationem exigebant: quædam *pestifera*, mortem intentabant: quædam *monitoria*, latentia aperiebant fata: quædam *auxiliaria* erant: quædam *hospitalia* seu *regalia*: quædam *peremptalia*, quæ fata præcedentibus designata fulgetris perimere credebantur. *Familiaria* prima fiebant, familiam suam cuique adepto, & in totam vitam *fatidica* habebantur. [*Plin. lib. 2. cap. 54.*] Cumque in lucos pollutos crebriora, & quati ac vibrari & trajici fulmina *Haruspices* notassent, ea ut averterent, reliquias fulminis cum sacrificio sepelire, dispersosque ignes in unum cogere, & tacita prece terra condere solebant in loco, quem *Bidental* vocabant. Thusci in sedecim cœlum partes divisere, prima erat à *Septentrionibus* ad *Æquinoctialem* exortum, secunda ad *Meridiem*, tertia ad *æquinoctialem occasum*, quarta obtinebat quod reliquum est ab *occasu* ad *Septentriones*. Has iterum in quaternas diviserunt partes, ex quibus octo ab exortu *sinistras*, totidem è contrario appellavere *dextras*. Ex his maxime dira, quæ in *Septentrionem* ab *Occasu* porrigebantur, omninoque multum referebat, unde venirent fulmina, & quo ferrentur, atque excurrerent.

Secundo *augurium* præbuisse *aves* diximus. *Avium* aliæ erant *Oscines*, aliæ *Præpetes*; *Oscines*, aves dicebantur, quæ ore canentes faciebant *auspicium*, ut corvus, cornix, noctua: *Præpetes*, quæ secundo volatu ante eum, qui auspicabatur, volabant, & *auspicium* faciebant. [*Agell. lib. 6. cap. 6.*] Et hæ quidem aut superiora tenebant, & *præpetes* vocabantur: aut inferiora, & *inferæ* dicebantur. *Præpetes* autem ideo, quia omnes aves priora petunt volantes. Erant etiam aliæ avium differentiæ. Quædam enim dicebantur *sinistræ*, quæ sinebant aliquid fieri. Quædam *funebres*, quæ averso omine impediebant aliquid fieri. [*Servius in 2. Æneid.*] Et hæ aut *arculæ* dicebantur, ab *arcendo*, quod arcerent, vel vetarent: aut *cliviæ*, quia difficilia vocabant *cliviæ*: aut *remores*, à *remorando*: aut *inebræ*, & *cnebræ*, ab *inhibendo*: quo nomine omne obstaculum intelligebatur: aut alteræ aves, cum alteræ supervenirent, quæ felici auspicio vitium facerent: aut *volsgræ*: quæ se vellendo malum auspicium faciebant. *Supervacaneæ* erant, quæ ex summo acumine vocem emittebant. Ex *præpetibus* erant *aquilæ*, *vultures*, *buteones*, *sanqualis*, *immusculus*, & aliæ. *Picus* autem *Martius*, *Feronius*, *Parra* & in oscinibus, & in *Præpetibus* habebantur.

Aquilæ si dextra parte advolarent, sive patulis & porrectis perstreperent alis, omen futuri boni certissimum præbebant, *Homero* teste. *Aristander* augurio aquilæ trajicientis in hostes, Alexandrum victorem portendit ante conflictum. Cum Tarquinio Prisco *aquila* pileum detractum capiti evexisset in sublime, moxque reposuisset, regnum ei ominatum ferunt. [*Dionys. lib. 3.*] Fœtus aquilarum implumes à vulturibus rostro, pedibusque à pastu abacti, & raptati, conceptique cum ipsis nidis, *Tarquinio Superbo* exilia portenderunt, ac regni amissionem. *Iaculum* de satellitum manibus rostro extortum & dejectum in profundum ab aquila, *Dionysio Syracusano* regnum abrogavit, & diras incussit calamitates.

Duodecim vulturum numerus *Romulum* condentem Vrbem, de tempore durationis monuit. Sæpe tamen *vulturem* in ædem Iovis, aut Deorum volasse, prodigii loco habitum est. *Vultures*, *corvi*, *& aquilæ* si coiissent, conflictus & cædes in dubias denunciabant. *Ciconiæ* concordiam ferebant. Ex *accipitrum* genere *Circi* nuptias, & rem pecuariam fortunabant. *Buteones*, quos τελόχους vocant, à numero testium, & *Falco-*

nes futuri maximi boni ſpem certam ſi apparuiſſent, faciebant. Dario conſpectus accipitrum, duo paria *vulturum* vellicantium, ſpem de Regno Perſico injecit, quo, conjuratis ſupplicio affectis, eſſet potiturus. *Milvi* diri ſemper, inauſpicatique fuere ominis, ſicut & *incendiaria avis*: Ea quæ ſit nec invenitur, nec traditur: Quidam ita interpretantur, eam *incendiariam* eſſe, quæcumque appareret, carbonem ferens ex aris, vel altaribus, alii *Spinturnicem* eam vocant: ſed & hæc ipſa quæ ſit, neſcitur. [*Plin. lib.* 10. *cap.* 13.]

Picus Martius & *Luſcinia*, atque inter *ardeolas* illa quam ἀλκυὼν πίθηκον vocant, [*Plin. lib.* 10. *c.* 15.] ſi ad Auſtrum volatu contenderet, aut Septentrionem, proſpera feliciaque decernere, & omni periculorum metu ſolvere exiſtimatum eſt. *Pici Martii* præcipue *Latio* fuerunt in auguriis, à Rege qui nomen huic avi dedit. Cum in capite Prætoris urbani *L. Tuberonis* in foro jura pro tribunali reddentis, *Picus* ſedeſſet ita placide, ut manu prehenderetur: reſponderunt vates, exitium imperio portendi, ſi dimitteretur: ſi examinaretur, *Prætori*. Ille autem protinus conceſſit, nec multo poſt prodigium implevit.

Hirundinum circumvolitationes decubituſve, aut inſeſſus infauſti habiti. Earum conſpectus *Dario* in Scythas cum exercitu proficiſcenti interitum: confeſſus vero in *Pyrrhi* tabernaculo & nave *Antonii*, funeſtas utrique clades attuliſſe creditum fuit.

Columbam augurium deſignare felix *Homero* placuit. Præpoſteros aut veſpertinos *gallorum* cantus optimi eventus ſigna aliqui notavere. *Gallinarum* cantus nunquam exaudiri, niſi quando dirum aliquid imminneret. *Corvi* inauſpicatæ garrulitatis aves, à dextra, ut *cornices* à ſiniſtra ſpes non ambiguas: ſi ab *Ortu* occinerent clara voce, præſentem felicitatem ſignificabant. Ab *Occaſu* vel læva, ſi proclamarent, aut gluttirent vocem, velut ſtrangulati, exitium apportabant.

Corvi diſcerptos devorantes pullos, reliquiaſque deferentes in nidum, ante Civile bellum inter *Syllam* & *Marium*, quo plurimo depugnatum eſt ſanguine, viſi, & crudelitatem, qua in ſua illi ſævierunt viſcera portendiſſe judicati ſunt. Eædem aves *Alexandro* Babylonem ingreſſuro, & *Ciceroni* vitaturo inſidias ab *Antenio* ſtructas, garritu, ſtrepitque ingrato impendens periculum, & ærumnas extremas minitatæ ſunt. *Bubo* funebris, & maxime abominatus, publicis præcipue auſpiciis, noctis monſtrum nec cantu aliquo vocalis, ſed gemitu, ſi in urbibus, aut omnino in luce viſeretur, dirum oſtentum præbuit. Cum *Sexto Papelio* Iſtro, & *Lucio Pedonio* Conſulibus cellam Capitolii *bubo* intraſſet: eo anno Nonis Martiis Vrbs luſtrata eſt. Idem factum *Luc. Caſſio*, *C. Mario* Conſulibus, *bubone* viſo. Privatorum ſi domibus inſedeſſet, aut ſi taceret, non ſemper feralis compertus, utpote qui *Agrippæ* captivo Iudæorum Regi, regnum promiſiſſe putabatur.

Bubonis vox audita anno urbis DCXIX. & inſequenti exercitus Romani oppreſſionem ad Numantiam portendiſſe credita eſt. Rurſus viſus non auditus *bubo* felix omen attuliſſe, judicatus eſt aliquoties.

Noctua ſi volaſſet, victoriam nunciare: ſi ſereno cecineſſet, turbare aërem: ſi tempeſtate occineret, ſerenare obſervatum eſt. Hæc cum in haſta *Pyrrhi* Regis, contra Argos euntis conſedeſſet, fatum illi, & diſcrimen extremum portendit, & attulit. Ante Pharſalicam pugnam *apes* aræ inſidentes, & in navibus conſpectæ, *Dioni* & *Pompejo Magno*, cladem paulo poſt ſecutam prænotarunt; idcirco cum in Bruti exercitu *examen apum* procubuiſſet, Haruſpices caſtra mutare eum juſſerunt, ne in hoc loco damni aliquid, & detrimenti acciperet. Cæterarum etiam avium, & inſectorum volatus multiplici diſcrimine in omina converſa ſunt. *Chalcas* apud *Homerum*, ex *paſſerum* numero, belli Trojani annos auguratur. De *tripudio* pullorum poſt dicam, capite peculiari.

Ex quadrupedibus *lupos*, *vulpes*, *capras*, *juvencas*, *aſinos*, *arietes*, *lepores*, *muſtelas*, *mures*, omina moviſſe & *auſpicia*, quæ *pedeſtria* dicebantur, compertum eſt. *Lupus* ſi ad dextram commearet pleno ore, proſperæ & magnæ rei argumentum putabatur. *Lupos* caſtra introiiſſe, & laceratis obviis intactos abiiſſe, exercitibus cladem portendiſſe: ſi in foro Romano viſi eſſent, & incolumes evaſiſſent, oppreſſionem urbis, aut alia deſignaſſe pericula animadverſum eſt. *Romanis* coloniam in Lybiam ducturis, *C. Graccho* Tribuno plebis legem rogante, cum *lupus* metas aggeri definitas ſubruiſſet, & diſſipaſſet, fecit ut à propoſito deſiſterent. *Cervæ* à lupo fugata, cum inter duas acies illæſa evaſiſſet, Romanis victoriam addixit. Adeo inauſpicatus *luporum* in Vrbe conſpectus habitus eſt, ut quotieſcunque viſerentur, ſive oppreſſi inſectantium induſtria interficerentur, ſive evaderent, ſemper urbis ſolenni luſtratione expiaretur, qua averti atque depelli calamitates quas apportaſſent *lupi*, credebantur. *Examina apum*, quacunque ſe dimiſiſſent, polluere, & infortunare locum credita ſunt: quare quoties in Vrbe comparuerunt, luſtratam Vrbem ex *Sibyllinis* inſtitutis legimus. *Bovem*, ſi loqueretur (quod ſæpe compertum eſt) *Vrbem* læſi numinis ream peragere, & luſtrationem Vrbis exigere cenſuerunt Romani. *Agmina* etiam *locuſtarum* anxia ſemper ac ſollicita procuratione eorum, quæ ad placanda facerent numina, depulerunt. *Mulam* gemellos peperiſſe, aut *leonem* conſpectum, aut ab *aſino* laceratum eſſe *leonem*, aut mures deroſiſſe aliquid, triſtis, dirique fuit ominis, & magni terroris. Suburbana *colubris* plena, & equi ab illis depaſti, præſagierunt *Cræſo* Lydorum regi, fore, ut regnum ab exteris ſubigeretur.

Dirarum nomine complector tum ea, quæ in noſtris fiunt corporibus, aut iiſdem, alioquin accidunt inſolite; tum quæ in domibus, agris, itineribus, quocunque modo præter rationem & morem eveniunt atque objiciuntur.

Leporem inter ineundum tranſverſo ſaltu velut diremiſſe, aut fœtam *vulpem*, vel prægnantem *canem* obviaſſe,

obviaſſe, aut *ſerpentem* commeantium iter interrupiſſe, aut procidiſſe, aut offendiſſe pedibus, aut laciniæ adhæſiſſe, aut ſubito conſtitiſſe, aut expaviſſe, vel defeciſſe viribus abſque manifeſta cauſa, aut ſpectra conſpexiſſe, aut circumfuſas, aut ſcintillantes flammas, aut riſus, gemitus, compellationem ſui exaudiviſſe, & quidquid fuit hujuſmodi, infortunata præſagire, & infeſta itinera creditum eſt. [*Plin. lib.* 28. *cap.* 2.] Mulieres per itinera ambulantes torquere fuſos, aut omnino detectos ferre, ſpei omnium præcipueque frugum adverſabatur. Introire in ædes *atrum alienum canem*, *Anguem* per impluvium decidere de tegulis, infauſtum erat utrumque. [*Terentius in Phormione. Plin. lib.* 28. *cap.* 2.]

Muſtela conſpecta, aut *ſerpens*, poculum, ſalinumve everſum, diſperſi cineres, oleum effuſum, aut mel, ſi quid à *muribus* eſſet corroſum, quod de ſua Platonis politia *Cicero* annotavit: Si cibus prolaberetur, ſi incendia nominarentur inter epulas, aut ſub menſas aquæ profunderentur, recedente aliquo ab epulis ſimul verri ſolum, aut bibente conviva menſam vel repoſitorium tolli, aut repente conticeſcere convivium, inauſpicatiſſima erant. Revocari *ſternutamento* menſas & fercula, inter diras erat. Ita ſi *tigna* gemuiſſent, aut crepaſſent menſæ, trabeſve, dira portendebant.

Vinum effudiſſe, aut vino veſtes inquinaſſe, bonæ fortunæ ſignum erat.

Si vibrata *ſalitione* inſuetum alter oculorum, dexter vel ſiniſter palpitaret: ſi concuterentur, ac veluti exilirent, aut trepidarent *muſculi*, humeri aut femora: ſi prurire pedes inciperent: ſi inæquali vibratu cohorreſceret cutis: ſi *tinniret* alterutra auris, aut inſolitum ſtriderent *dentes*: ſi ſternutationes pari imparive numero crebræ vel raræ fierent: ſi vagis incertiſve motibus huc illuc membra jactarentur: ſi membra obrigeſcerent ſubito, velut ſtupore affecta, aut titubaret, vel inſiſteret lingua, mali erant ominis.

Voces etiam vel ex occulto miſſæ, vel reſponſi inſtar redditæ, ſuſpiciones ſæpe de variis moverunt eventibus in utramque partem. Sæpe *veridicæ exauditæ voces* in rebus turbidis, & tanquam monita Deorum acceptæ ſunt, qualem ex luco *Veſtæ* extitiſſe memorant, non multo ante captam à Gallis *Vrbem*, ut muri & portæ reficerentur: futurum enim, niſi præſtitum hoc, atque effectum eſſet, ut *Vrbs* caperetur. *Latratus* canum ejulantium gemitus imitantes, & *noctuarum ululatus*, diri ſemper fuere ominis. *Equos* hinnitu alacriore, & ferociore fremitu victoriam ominari prælia inituris, etiam nunc militibus perſuaſum eſt.

Cum maximas *Vrbs* clades perpeſſa eſſet, & ancipiti contentione agerent patres, an relicto ſolo patrio, *Vejos* migrarent: vox *Centurionis* audita, *Hic manebimus optime*, retinuiſſe in Vrbe cives, & confirmaſſe fertur. [*Livius lib.* 2. *Extrem.*] Hoſtilio Mancino Conſuli Romano, anno Vrbis DCXVII. conſcenſuro navem & *Numantiam* petituro, vox objecta de improviſo ſcribitur, *Mane Mancine*: paulo poſt devictus ipſe, & Numantinis deditus eſt. *Craſſo* in Parthos ituro, qui *Cauneas ficus* venales clamabat, omen illud innuit, quo paulo poſt fortunis exſpoliatis omnibus, fama, vita & exercitu amiſſis, interiit. Neronem paucis diebus ante mortem vox è *Mauſoleo* reddita appellavit: *Auguſtum Cæſarem* ſupremo digreſſu ab Vrbe vox temere emiſſa monuit, non amplius eum Romæ futurum. *Caſſio & Bruto* profituris in aciem, *Æthiops* obvius eventum pugnæ præſignificavit. Quin-etiam ab *ovibus* & *piſcibus* auguria petebant veteres, uti *Plinius* & *Plutarchus* docent. Sed ſufficiant iſta hoc loco. Plura ex veterum monumentis magna cura & diligentia conquiſivit *Alexander Neapolitanus*, & eum ſecutus, *Gaſparus Peucerus* in ſuis doctiſſimis Commentariis, de Divinationum generibus, quæ videri & conſuli poſſunt.

CAP. X.

De Pullariis & Tripudiis.

Pullarii à pullis dicti ſunt, teſte *Cicerone*, qui in 2. de Divinat. ſic ſcribit: Attulit in cavea pullos, qui ex ea nominatur *Pullarius*. Hic caveæ pullorum curam agebat, è quorum paſtu auguria *Augures* captare ſolebant: quæ quoties offa, quæ pullis dabatur, aliquo modo cadebat in ſolum, *tripudia ſoliſtima* dicebantur. Ita *Feſtus*. Puls potiſſimum dabatur pullis in auſpiciis, quia ex ea neceſſe erat aliquid decidere, quod *tripudium* faceret, id eſt, *terripavium*. *Pavire* enim *ferire* eſt. Captabantur autem auguria ex pullis hoc modo: Quotieſcunque de inchoanda re quapiam, exequendaque, Deorum per pullos ſenſa, placitaque exploratum ibant (oportebat autem id fieri ſummo mane, & primo diluculo) imperato de more ſilentio, pultem illis aut offam cavea recluſa objiciebant. Quod ſi ad oblatam eſcam mox pulli è cavea non proſilirent, aut ſerius egreſſi, vel non attingerent eam, vel alarum planctu diſſiparent, vel relicta eſca oberrarent, aut occinerent, aut prorſus non veſcerentur, vel avolarent penitus, omen præ ſe ferebant magni terroris, & ſollicitudinis, eventuſque triſtiſſimos, & *pullarius* exitum animo præmetiens, ne quid molirentur, ſed vel deſiſterent ab incœpto, vel differrent deliberationes, vel mutarent hoc prorſus, quod præ manibus erat, hortabatur. Quod ſi *pulli* mox proruerent cum impetu, certatimque in eſcam involarent, & avide depaſcerentur, ita ut veſcentibus illis aliquid ex ore relaberetur, & terram paviret, quod *tripudium* faceret *ſoliſtimum*: inde ſpe hauſta mirifica *pullarius*, ut

ut conſtanter fortiterque cœpta negotia urgerent, jubebat, & ſucceſſus optatos, ac proſpera à Diis omnia ſpondebat. *Cavea* & *pullorum* hæc icon in antiquis monumentis cernitur: ut in Fig. notata littera X.

Solebant autem, ut *Cic.* lib. 2. de Divinat. ait, in auſpiciis apud veteres adhiberi non paſſim omnes, ſed hi tantum, qui eſſent periti. *Peritos* enim oportebat eſſe eos, qui quid ſilentium foret, intelligerent. *Silentium* id in auſpiciis dicebatur, quod omni vitio careret. Rogabat hinc *Augur*, an adhuc *ſilentium* eſſet; reſpondebat ſtatim *pullarius*, ſilentium ſibi eſſe videri. Tum ille, ſi aves paſcerentur, petebat, aut ubi, non, quod ad auſpicia pertineret, utrum paſcerentur, necne *pulli*, quos *pullarius* attuliſſet: ſed quia, cum paſcebantur, neceſſe erat aliquid ex ore decidere, & terram pavire, ex hoc *terripavium* primo, poſt *terripudium*, deinde *tripudium* eſt dictum. Cum igitur offa jam ex ore pulli deciderat, tum auſpicanti *tripudium ſoliſtimum* nunciabatur. Extabat decretum Collegii *Augurum* vetus, avem omnem *tripudium* facere poſſe. Hunc augurandi modum *Claudius* 1. bello Punico & 2. *Flaminius* deriſere. De P. Claudio *Valerius Maximus* lib. 1. cap. 4. ſic ſcribit: *P. Claudius* bello Punico primo cum prælium navale committere vellet, auſpiciaque more majorum petiiſſet, & *pullarius* non exire cavea pullos nunciaſſet, abjici eos in mare juſſit, dicens: *Quia eſſe nolunt, bibant.* Et *L. Iunius* P. Claudii collega, neglectis auſpiciis claſſem tempeſtate amiſit. Quorum ille populi judicio concidit, damnationiſque hic ignominiam voluntaria morte prævenit; cujus meminit etiam *Polybius* lib. 1. *Cicero* lib. 1. & ſecundo de Divinatione, & lib. ſecundo de *Natura Deorum*. De Flaminio vero *Livius* lib. 22. ſcribit, quod is, cum *tripudio* auſpicaretur *pullarius*, diemque committendi prælii propterea differret, ex eo quæſiverit, ſi ne poſtea quidem pulli paſcerentur, quid faciendum eſſet, cum ille quieſcendum cenſeret, dixerit ei: *Præclara eſſe auſpicia, ſi eſurientibus pullis res geri, ſaturis autem nihil geri poſſet:* ſigna itaque convulſerit, atque pugnaverit ad Thraſimenum, & cum XV. Romanorum millibus ab Hannibale cæſus fuerit.

Quod ſi *pullarius*, quæ Dii divulgata voluiſſent, diſſimulaſſet, aut veteratorie ſuppreſſiſſet, idem contrahi nefas credebatur, ac ſi quæ occulenda & tacita ferenda erant, palam feciſſet. Si vero mentitus fuiſſet, aut omine confícto, aut eo quod oſtenſum eſſet ſubdole & fraudulenter depravato, & in contrarium detorto, ſenſum non illi, qui conſulebat, fraudi eſſe, ſed in auctoris retorqueri caput cenſebatur, cujus rei exemplum refertur à *Livio* libro decimo, ubi *Pullarius* mentiri auſus, & *tripudium ſoliſtimum* Conſuli *Papirio* nuncians, paulo poſt patefacta fraude ab altero *Pullario*, in initio pugnæ emiſſo temere pilo ictus cecidit, & ſui mendacii pœnas dedit. Porro quia de *Tripudiis* dixi, addendum & hoc eſt, fuiſſe etiam *Tripudium Sonivium*, de quo ita apud *Feſtum* legendum docet *Ioſephus Scaliger*: *Sonivio* ſignificat in carmine *Saliari*, item in commentario *Augurali*, ſonanti. *Sonivium tripudium* dicitur, ut ait *Pulcher*, quod ſonet, ut cum pullo excidit puls, quadrupedive aliquid ex ore. *Servius* ad illud Virgilii: *Tremere omnia viſa repente.* Hoc *augurium*, inquit, juxta auguralem diſciplinam dictum eſt, quod appellatur *Tripudium ſonivium*: id eſt, à *ſono*. Ad quod pertinet, ſi arbor ſponte radicibus cadat, ſi terra tremat, quod hîc Æneæ factum oſtendit, antequam voce divina reſponſa perciperet. *Plinius libro decimoquinto, cap. vigeſimo ſecundo* etiam ejus meminit his verbis: Quæ cauſa eas (de nucibus juglandibus loquitur) nuptiis fecit religioſas, tot modis fœtu munito, quod eſt veriſimilius, quam quia cadendo *tripudium ſonivium* faciant.

Meminit *Feſtus* & *Tripudii Oſcini*: *Oſcinum*, inquit, *tripudium eſt*, quod oris cantu ſignificat quid portendi, cum cecinit *corvus*, *cornix*, *noctua*, *parra*, *picus*. Atque hæc etiam de *Pullariis*, de *auguriis*, quæ ex pullis captarentur, & *tripudiis*. Reſtant de *Aruſpicibus*, *Aruſpicina*, & *Extiſpicio* quædam, de quibus capite ſequenti.

AD CAP. X. PARALIPOMENA.

De Soliſtimo tripudio, ejus Præfectis. Gallorum gallinaceorum pugnacitas.

Et iſtud genus divinandi maximæ authoritatis habitum, quum pullos cavea incluſos veſci juberent, non quidem pullarii ſeu cuſtodes pullorum, ſed magiſtratus ipſi, ſive urbici, ſive militares. De his Sueton. Tiber. cap. 2. *Apud Siciliam non paſcentibus in auſpicando pullis, ac per contemptum religionis mari demerſis, ut biberent, quando eſſe nollent, prælium navale iniit* (Claudius Pulcher) *ſuperatuſque eſt.* Iul. Obſequens prodig. cap. 83. cum Lanuvii auſpicarentur, pulli è cavea in ſilvam Laurentinam avolarunt, neque inventi ſunt. Et ſemper exercitus ſequebantur hi pullarii, locum prope ſigna in mediis caſtris habebant, intrantibus vallum ad manum lævam, quem augurale appellabant, ut obſervat I. Lipſius ad l. 2. Annal. C. Taciti, ſub principium, ubi fruſtra alii legendum putant, *nocte capta egreſſus Auguſtali*, *Augurali* enim placet. Sil. Italic. l. 5. Punicor.

Tunc ales, priſcum populis, de more, Latinis
Auſpicium, cum bella parant, menteſque deorum
Explorant ſuper eventu, ceu præſcia luctus,
Damnavit veſci, planctuque alimenta refugit.

Et eodem libro paucis interjectis:

——— *tunc ſigna ſequentur*
Nulla vulſa manu, veſcique interritus ales
Gaudebit.

De urbicis magiſtratibus Aurel. Prudent. in Romano Martyre:

Cum conſulatum initis, ut vernæ ſolent,
Pudet fateri, farre pullos paſcitis.

Vtrumque conjunxit C. Plinius l. 10. c. 21. *Vt plane digna aliti tantum honoris præbeat,* (C. in MS. *perhibeat*) *Romana purpura, horum ſunt tripudia ſoliſtima, hi magiſtratus* (alii magiſtros) *noſtros quotidie regunt, domoſque ipſis ſuas claudunt, aut reſerant, hi faſces Romanos impellunt, aut retinent, jubent acies, aut prohibent, victoriarum omnium toto orbe partarum auſpices, hi maxime terrarum imperio imperant.* E pullis itaque gallis deſumpta auguria, quod omnium animalium ii ſint pugnaciſſimi: notat Con-

radus Ritterſhuſius ex Polybio lib. 6. & Philone Iudæo. Achmes Seirim Oneirocrit. c. 295. ἐμάχετο μετὰ ἀλεκτρυόνος, *pugnare cum gallo gallinaceo.* Artemidor. lib. 3. cap. 5. ἀλεκτρυόνες δ' οἱ μάχιμοι, στάσεων, καὶ φιλονεικιῶν μόνον εἰσὶ σημαντικοί. *Galli vero pugnaces, ſeditionum & contentionum ſolummodo ſignificativi ſunt.* Id vetuſtiſſimum; nam gallinacei tonſoris Midæ adverſus Calliæ pennis ac roſtro, ſpectante Socrate, pugnant, Diogen. Laërt. lib. 2. Eratque Athenis certamen gallorum, cujus author fuit Themiſtocles, Ælian. Var. Hiſt. l. 2. c. 28. μετὰ τὴν κατὰ τῶν Περσῶν νίκην, Ἀθηναῖοι νόμον ἔθεντο, ἀλεκτρυόνας ἀγωνίζεσθαι δημοσίᾳ ἐν τῷ θεάτρῳ μιᾶς ἡμέρας. *Poſt relatam de Perſis victoriam, Athenienſes legem poſuerunt, ut galli gallinacei quotannis uno die certamen in theatro inirent.* Id à Themiſtocle inſtitutum, tum maxime cum Perſæ ſuperati fuerunt, ut reſtaret veluti de devictis trophæum. Nam avis iſta è Perſide primum in alias regiones tranſmiſſa eſt, ut narrat Athenæus l. 14. Dipnoſophiſt. cap. 25. & à Syris divinum cultum obtinuit. Lucian. lib. 16. de Syriæ dea. De ejus pugnacitate Oppian. Cilix. Cyneget. l. 2. v. 189.

Οἷον ἀεὶ θέρσιν ἀλεκτρυόεσσι μαχηταῖς.
Vt ſemper impetuoſis gallinaceis bellatoribus.

Pindar. Olympicor. od. 12.

Ἐνδομάχας ἅτ' ἀλέκτωρ.
Domi pugnans velut gallinaceus.

Philem. de Animal. propriet. cap. 12.

Ἀλεκτρυὼν μὲν τοι φυσικῶν τὴν μάχην
Στρατηγεῖ καθαρῶς, ἐ σοβεῖ, καὶ τέρπεται.
Νικώμενος δὲ μετριάζει σωφρόνως,
Καὶ ζῇ σιωπῶν εὐαρίθμητον χρόνον.

Vertit Georgius Berſmannus:

Victor duello, voce gallinaceus,
Geſtuque faſtum prodit inſolentiæ,
Sed victus idem ſe gerit remiſſius,
Latenſque paululum tenet ſilentia.

Ob id Marti gallum ſacravit antiquitas. Præter Mythologos Ariſtophanes in Avibus:

Ὄρνις ἀφ' ἡμῶν τοῦ γένους τοῦ Περσικοῦ
Ἄρεως νεοττὸς ὦ νεοττὲ δέσποτα.

Vertit Andreas Divus Iuſtinopolitanus:

Avis à nobis genere Perſico
Martis pullus, ô pulle domine, id eſt, dominator.

D. Auſon. in Gripho Ternarii:

——— *ter clara inſtantis Eoi*
Signa canit ſerus depenſo Marte ſatelles.

Revertor ad ſoliſtimum tripudium, verba ſolennia in eo captanda ſunt, *damnare*, ut ex ſuperioribus patet, & *addicere*, & damnare quidem in ſiniſtro præſagio, triſtique eventu, addicere in fortunatis proſperiſque auguriis. T. Liv. Decad. 1. l. 1. *Cum omnium ſacellorum inaugurationes admitterent aves, in Termini templo non addixere,* & 3. Decad. lib. 10. *Fabio auſpicanti priuſquam egrederetur à Tarento, aves ſemel atque iterum non addixerunt.* Ovid. lib. 15. Metamorph. Fab. 50.

——— *certant ita dicere ſortes.*

Legendum eſt omnino:

——— *certant addicere ſortes.*

CAP. XI.

De Haruſpicibus, Haruſpicina, & Extiſpicio.

Haruſpices à victimis in ara aſpiciendis, dici, quia poſtquam hoſtia immolata eſt, inſpectis extis futura prædicant: unde *Extiſpices* appellentur, ignotum non eſt. Cum igitur diſtincti ab *Auguribus* ſint, proprium eis caput attribuimus, quo quid notatu de iis dignum eſt, trademus. A Romulo primum ſunt inſtituti, teſte *Dionyſio* libro 2. Primum autem *Haruſpices* omnes *Hetruſci* fuerunt, in quorum patria hæc diſciplina maxime viguit. Hinc eſt illud apud *Cic. lib. 2. de Legibus: Prodigia, portenta ad Hetruſcos & Haruſpices, ſi Senatus juſſit, deferunto.* Et huc ſpectat, quod *Livius* lib. 5. refert: *Prodigia* interim multa nunciari, quorum pleraque, & quia ſinguli auctores erant, parum credita, ſpretaque, & quia Hoſtibus *Hetruſcis*, per quos ea procurarent, *Haruſpices* non erant, &c. Poſtea vero Senatus decrevit, ut Principum filii ſex ſingulis Hetruriæ populis in diſciplinam traderentur, teſte *Cicerone* libro primo de Divinatione: id quod & *Valerius Maximus* lib. 1. capite primo confirmat: qui tamen non ſex docet, verum decem Principum filios mitti ſolitos in Hetruriam, verba ejus ſunt: *Tantum autem ſtudium antiquis, non ſolum obſervandæ, ſed etiam amplificandæ, religionis fuit, ut è florentiſſima tum & opulentiſſima civitate decem Principum filii Senatuſconſulto ſingulis Hetruriæ populis, percipiendæ ſacrorum diſciplinæ gratia traderentur.* Hæc ille. Quo in loco, quemadmodum & apud Ciceronem, non ſex, vel decem, vel duodecim legendum eſſe cenſet *Henricus Glareanus*: ut cum duodecim *Hetruriæ* populi fuerint, ſingulis unus fuerit traditus. Huc lex illa *Ciceronis* pertinet: *Hetruriæ Principes diſciplinam doceto.* Fuit igitur *Haruſpicum* officium, victimas in ara inſpicere, conſiderare, & ex iis futura, arte Dæmonum divinare, qua de re libet nonnulla hîc annotare. Conſiderabant *Haruſpices*, aut hoſtias ipſas priuſquam jugularentur: aut earum poſtquam diſſectæ erant, exta: aut flammam, quæ ex incenſis & ardentibus evolabat victimis: aut farinas, vel farinæ materiam: ex quibus liba pinſebantur, & molæ: aut thus quod adolebatur: aut vina & aquas.

Primum in vivis adhuc victimis dum producerentur, aut conſiſterent ad aras, & tractarentur ſacrificantium manibus, obſervabant indicia, & notas futurorum. *Mali ominis erat*, ſi victima ductorem non ſponte ſequeretur, ſed vi trahenda eſſet: vel ſi ex ducentium manibus ſeſe proripuiſſet, & profugiſſet: vel elapſa ictum fefeliſſet: vel percuſſa aut exiliiſſet altius aut horridius exclamaſſet, aut non ſtatim, & quidem placide concidiſſet: vel ſi ſemianimis provoluta in terram, eandem pedibus calcitraſſet importunius: vel difficulter expiraſſet: vel jugulata non copioſo diffluxiſſet ſanguine: vel ſi inter jugulandum triſte aliquid, infauſtumve oculis, auribuſve occurriſſet. Signa hæc offenſi & alienati numinis, pœnaſque minitantis eſſe putabantur. Contra *læti ominis* indicia, & faventis Dei teſtimonia adferebat, cum emiſſa ad aram ſponte acceleraret, & ſine tumultu ictum perferret, collapſaque placide, ſineque deformi ſtrepitu, aut pedum comploſione animam exhalaret, & confoſſa tandem copioſum ſpirantemque &

cum

cum impetu, ſtridoreque prorumpentem effunderet cruorem. Talem *lati*, & cum gratulatione, acclamationeque excipiebant: ad alterius conſpectum expaveſcebant, & animis conſternebantur, moxque & trepide ſuſpectas aras adibant, ritusque abſolvebant cæteros, & ſollicite, qua ratione offenſum numen reconciliarent, deliberabant. Deinde in diſſectis jam victimis, ex ſignis ſalubribus, noxiiſque, ex habitu, coloreque extorum & fibrarum, defectu aliquarum particularum in præcipuis organis, aut præter naturam adnatis, collectiſve ex humorum adfluxu abſceſſibus, ſumebant conjecturas de eventuum conditione, & in quam partem numen, cui adornabatur ſacrificium, inclinatum eſſet, ac propenderet. *Exta* autem dicebantur, quod ea Diis proſecarentur, quæ maxime extarent eminerentque, qualia erant *jecur*, *pulmo*, *lien*, *cor*, *præcordia*, *renes*, *& lingua*, *&c.* in quibus præcipuum erat *jecur*. Ab hoc igitur contemplationem extorum inchoabant. Id ſi grata & nativa purpura ruberet, nullaque eſſet contaminatum labe: vel ſi *caput jecinoris* auctum, duplicatumve, aut *geminum jecur* reperiretur: vel ſi *extremæ fibræ* verſus interiora replicatæ, ac convolutæ viſerentur: hæc eximiæ felicitatis argumenta certiſſima dare, & magnas acceſſiones, potentiæ amplificationem, prolationem finium, triumphos, ſumma dignitatum faſtigia deſignare augurabantur. Conſtitutis etiam in *hepate* geminis capitibus unum hoſti, alterum illi, in cujus gratiam inſtituebatur divinatio; deſtinabant alterutrum eorum ſi vel corrugatum emarcuiſſet, vel colorem habitumque ſuum quovis modo mutaſſet: *ruinam* aut *inclinationem*, adverſaque omnia minitari: ſi velut inflatum, atque diſtentum intumuiſſet, & florido enituiſſet colore, motuque alacri & continuo micaſſet: *victoriam certam* ſpondere, & *ſucceſſus* feliciſſimos illi putabatur, cujus nomine cædebatur. Si vero aut obſitum ulceribus, puſtuliſve, aut livore deforme, aut duritie contractum, corrugatumve abſceſſibus, aut humoribus vitioſis imbutum eſſet, atque obſtructum: vel in ſua non conſpiceretur ſede, ſed aut à præcordiis avulſum ſubſediſſet, aut permutatis ſedibus, lienis locum occupaſſet, illo in dextram regionem tranſlato, aut procidiſſet in interiora: vel ſi contabuiſſet, aut alioquin gracilius juſto, aridiuſque appareret: vel ſi totum defuiſſet, aut ſolo caruiſſet capite: denique ſi inter coquendum purulenta inquinaretur ſanie, aut ad eum exareſceret modum, ut inter exta non emineret, aut colliquatum diſſolveretur in pultem: hæc *piacularia* eſſe, *funeſtaque* adeo perſuaſum erat, ut ſecus accidere, atque de his demonſtratum erat, nihil poſſe affirmaretur. Anno Vrbis DCXXXVI. *Catoni* conſuli immolanti exta emarcuerunt, & caput jecinoris evanuit. *Cajo principi & M. Marcello* jecur ſubito extabuiſſe annotatum eſt: quare prælio periiſſe exiſtimatus eſt.

A jecinore *cor* inſpiciebant: id ſi palpitaret, aut exiliret aut flacceſceret, aut minus juſto appareret, aut omni deſtitueretur pinguedine, aut coiviſſet in rugas, aut inter exta omnino non viſeretur, *exitii*, *diræque* atque infeſtæ fortunæ omina præbebat. Nam & *Iulio Cæſari*, quo die purpurea veſte proceſſit, & à conjuratis interfectus eſt, *cor* bis in opimis bobus defecit, & *Cajo Majo* Vticæ immolanti. *Pertinaci Cæſari*, utriuſque viſceris, hepatis & cordis defectus in ea, quam ante mortem mactari juſſit victima, interitum portendit. Si vero aut ſolito grandius, aut ſpiſſum, glabrumque & humectum, nec flaccidum, nec ex ariditate in plicas rugaſque contractum, inveniretur, aut ſi in ſumma baſi largiore pinguedine veſtitum foret, aut abriperetur ab aquila: *propitios* hæc *Deos*, & cœptis annuentes, flatuſque ſecundos aſpiraturos confirmabant.

Corde explorato, ad *fellis*, *lienis*, *pulmonum*, & membranarum viſcera ambientium conſideratio-
nem ſe vertebant, ſi κύστιν χολοδόχον geminam, qualem *Auguſto* exhibitam ferunt, eo die, quo *Anto-*
nium profligavit ad Actium: aut copioſa bile turgentem, atque effluentem notaſſent, *acria* & *felicia*
prælia expectabant. Si ſuo loco poſitum *lienem* ſine puſtulis, duritie, corrugatione, ſineque alieno
colore conſpexiſſent, *felicia* propoſitæ rei ominabantur. Si contra in dextrum *lien* vergeret, aut antror-
ſum propenderet, aut reperet deorſum, aut notas alienas à natura ſua haberet: Si exta ex ſacrificantium
manibus decidiſſent: Si viſcera aut cruore fœdius aſperſa, aut livido fœdata colore, aut maculis varia-
ta forent: Si *peritonæum* ruptum alicubi hiaret, aut ſanguine ſuffuſum eſſet: ſi phlyctœnis & ampullis
pure aut ſalſilagine refertis ſcaterent inteſtina, aut lacerata eſſent intus, vel rupta ac divulſa: Si draco-
nes inter exta ſerperent: Si fœterent viſcera aut putrilagium redolerent: *fatalium* hæc, & jam *immi-*
nentium malorum indicia erant, quæ pro conditione earum rerum, de quibus victimæ conſulebantur,
vates interpretabantur. *Pulmones bifidi*, inciſique, moras adferebant rebus, & cunctationes: ſimpli-
cis & ſolidi mora rupta continuabant rerum curricula, & exequutionem maturabant. Hinc ſacrificio-
rum alia *Muta* erant, in quibus nulla inerant ſigna: alia *Arguta*, quæ conſpicuas, & illuſtres notas
exhibebant: alia *Regalia* vocabant, quæ vultum fortunæ & felicitatis pollicebantur. Et tanti faciebant
has divinationes Romani, ut & libris deſcribi rationem conſulendi, eoſque inſtar oraculorum cuſtodiri
publice, & in ea diſciplina ſuos exerceri à teneris curarint liberos, nihilque moverint, aut cœperint,
niſi ſacrificiis diligenter perluſtratis, & examinatis. Affici enim victimas, notiſque monitricibus even-
torum ſubito ſeu conſignari ab iis numinibus, quæ adeſſent coram vocata, & ritus ſpectarent, perſuaſiſ-
ſimum habebant.

Tertio *flammas in ſacrificiis* conſiderabant, & ex iis futura divinabant hac ratione: Si admota *flamma*
victimas ſtatim corriperet, & diffuſa repente totas occuparet, ac conſumeret: Si tranquilla, pura per-
ſpicua & nitida, nullis infecta coloribus alienis, ut nigro, rutilove, aut pallido: nec permixta vel ſordibus,

dibus, vel caligine, fumiſve, fineque ſtrepitu, & ſine egeſtione, atque ejaculatione favillarum turbulenta, & crepitante, recto ductu turbinatæ pyramidis inſtar attolleretur, & inſurgeret: Sique non niſi tota victima depaſta, atque exuſta moreretur: *placide* numen hoſtiam acceptare, ac complecti, annuereque quæ requirebantur, conjiciebant: Si contra multo vix excitari flatu poſſet, & cum exarſiſſet, non coiret, ſed finderetur atque in hiatum dehiſceret, nec in totam ſubito ſpargeretur, ac penetraret victimam, ſed viciniora ſenſim velut ſerpens, lamberet, atque uſtularet, nec recto ductu niteretur ſurſum, ſed in vertigines, gyroſque convolutus, atram ſecum & denſam eveheret caliginem, aut reperet deorſum, aut dilaberetur ad latera aut aliena naſceretur ſpecie: Sique aut ventis diſploderetur, aut reſtingueretur pluviis, aut inſolitum crepitaret, & circumquaque multum eructaret ardentium favillarum: aut ſi palleret plus nimio, vel nigricaret, aut evaneſceret ſponte, priuſquam tota conflagraſſet victima: aut ſi intactæ aliquæ partes remanerent, & integræ: *laſi infeſtique numinis* & ſacrificium reſpuentis omen eſſe ſuſpicabantur.

Scrutabantur & *fumos*, quos *vertigines* facerent, quantumque ſe attollerent, & quo motu, rectove, an obliquo, vel in orbes contorto, aut complicato, agglomeratione quadam in tortiles ſpiras: & quo redolerent nitore, alienove, an eo, qui ex carnibus uſtis effumaret.

Quin & pice, quæ ex *tædis* colligitur, comminuta in pulverem, & hoc in ignem conjecto, futura divinabant, hoc modo: Si exardeſcens inde flamma coiret, nec diſpergeretur, *fauſta*: ſi divideretur, aut diſſiliret, *infauſta* deſignare credebatur. Si pugnantem, diductum in diverſa, procumbentem in focum, crepitantem, *ægris* malum, evaneſcentem *iiſdem mortem* minitari putabatur.

Ex incenſo *thure* divinabant: Si ignis mox illud arreptum, diſſolutumque verteret in fumum, & ſuffitum cieret gratum, *læta*: ſi fugeret, aut odorem exprimeret inde fœtum & à natura thuris diverſum, *abominanda* oſtendi putabantur. Meminit loci cujuſdam *Dion.* in hiſtoria Romana, quem *Nymphæum* appellat, in quo hoc modo ex ſuffito thure præſcita de omnibus rebus petita fuerint, præterquam de *morte* & *conjugio*. Tandem etiam ex vini conſecrati ad libationes, & ex ſacræ aquæ, qua abluebantur, & decoquebantur victimæ, *coloribus*, *ſapore*, *motu*, *ſtrepitu*, ſubitis mutationibus, argumenta eventuum colligebant, tum *molas*, & *libamenta*, & præcipue materiam eorum, ut *hordeum*, *far*, & inde confectas farinas, quibus victimæ conſpergebantur, ſerutabantur, & expendebant. Sed quis omnia poſſit enumerare? Collegit hæc diligenter & erudite tractavit clariſſimus vir D. D. *Gaſparus Peucerus*, in ſuis de generibus Divinationum Commentariis, ex quibus ea deſumpſimus. Extat apud *Agell.* exemplum perfidiæ *Haruſpicum Hetruſcorum*, & eorundem pœna, unde verſus ille ſcite factus & pueris decantatus ſit: *Malum conſilium conſultori peſſimum eſt.*

Vnum adhuc, antequam ad aliorum *Sacerdotum* conſiderationem accedamus, monendum videtur, quis auctor hujus diſciplinæ fuerit. Celebrarunt autem *Hetruſci* univerſæ hujus diſciplinæ auctorem, puerum, proſciſſione terræ exaratum, nomine *Tagem*, qui ut ex Hetruſcorum lib. 2. de Divinat. *Cic.* commemorat, cum terra araretur, & ſulcus, altius impreſſus eſſet, repente extitit puerili ſpecie, ſed ſenili prudentia, & eum affatus eſt, qui arabat. Ad hujus conſpectum cum obſtupuiſſet *bubulcus*, clamoremque majorem, cum admiratione edidiſſet, concurſus eſt factus, totaque brevi tempore in eum locum *Hetruria* convenit. Tum plura ille locutus multis audientibus qui omnia ejus verba exceperunt literiſque mandarunt: omnis autem ratio fuit ea, quæ *Haruſpicinæ* doctrina continebantur. Atque hæc de *Auguribus* & *Haruſpicibus* hactenus. Progrediemur in inſtituta *Sacerdotum* deſcriptione.

CAP. XII.

De Tribuno Celerum.

De *Tribuno Celerum* nihil hoc loco dicturus eram, niſi *Dion. Halic.* lib. 2. monuiſſet, ipſum etiam quædam ſacra peregiſſe. Hæc enim ſunt ejus verba: Tertiam ſacrorum adminiſtrandorum partem Numa *Tribuno Celerum* tribuit, quem Romulus equitum, quos *Celeres* vocabant, Præfectum conſtituit, quos equites ac pedites Regum ſtipatores fuiſſe diximus. Nam & hi ſolennia quædam habebant ſacrificia. Hactenus *Dionyſius*: præter quæ de ſacris *Tribuni Celerum* nihil invenio.

CAP. XIII.

De Curionibus XXX. & Curione Maximo.

Curiones à *Curiis* dicti ſunt: cum enim Romulus populum Romanum in tres *Tribus* & triginta *Curias* diſtribuiſſet, ſingulis *Curiis* præpoſuit unum aliquem virum, quem *Curionem* dixit, qui ſacra pro *Curia* ſua curaret. Hoc ſacerdotium *Numa Pompilius* Rex II. confirmavit: ſic enim de eo *Dionyſius lib.* 2. Numa, inquit, omnia quæ ad religionem ac ceremonias pertinent, octo libris juxta totidem *Sacerdotum* genera complexus eſt. Primus ſacra triginta *Curionum* continebat, quorum erat publice pro

pro ſuis *Curialibus* rem divinam facere. Hæc ille. *Curiæ* autem non tantum erant triginta illæ partes populi, ſed ſic etiam ſingularum earum partium ædes dicebantur, in quibus quæque *Curia* ſua ſacra publica faceret, feriaſque obſervaret. Ad hæc rite efficienda ſingulæ *Curiæ* ſingulos *Sacerdotes* habebant, qui *Curiones* dicebantur. Quia igitur triginta *Curiæ*, ſeu partes populi erant, *Curiones* etiam tot fuiſſe neceſſe eſt. Hi ſinguli à ſingulis *Curiis* eligebantur. Vnus autem, qui reliquis omnibus præſidebat, & *Curio maximus* dicebatur, cujuſque auctoritate cæteri *Curiones* regebantur, omnium *Curiarum* ſuffragiis, *Comitiis Curiatis* creabatur, uti alio loco pluribus oſtendemus. Sacra, quæ in Curiis fiebant, *Curionia* dicebantur, & *Curionium æs*, quod dabatur *Curioni* ob ſacerdotium Curionatus. *Feſtus*.

CAP. XIV.

De Sodalibus Titiis, vel Titienſibus.

Horum Sacerdotum *Dionyſius* & *Livius* non meminerunt. *M. Terentius Varro* lib. 4. de ling. Lat. eorum meminit ſcribens, *Sodales Titios* dictos eſſe à *Titiis avibus*, quas in auguriis certis obſervare ſunt ſoliti. Hi ſacerdotes quando, & à quo ſint inſtituti, incertum eſt: cum quia antiquiſſimi Scriptores id in ſuis monumentis non tradiderunt, tum quia *Tacitus*, qui duobus locis eorum meminit, non uno modo de iiſdem ſcribit: jam enim tradit, eos à *Tito Tatio* Sabinorum Rege, & à *Romulo* in Vrbem Romam recepto, mox eos non à *Tito Tatio*, ſed à *Romulo* poſt Tatii obitum, in ejus honorem inſtitutos fuiſſe. Verba *Cornelii Taciti* Hiſtoriarum lib. 11. ſunt hæc: *Faces Auguſtales ſubdidêre: quod Sacerdotium, ut Romulus Tatio Regi, ita Cæſar Tiberius Iuliæ genti ſacravit.* Alibi vero ita ſcribit: [*Lib.* 11. *Annalium.*] *Idem annus novas ceremonias accepit, addito Sodalium Auguſtalium ſacerdotio, ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum ſacris Sodales Titios inſtituerat.* Hæc Tacitus: quem ſi ſequamur, conjicere poſſimus, *Titios Sodales* non à Titiis avibus, uti *Varro* vult, ſed à *Tito Tatio* ita appellatos eſſe, quemadmodum etiam *Titienſis Tribus*. Libet tamen etiam addere, quæ de his *Adrianus Turnebus* Adverſ. l. 21. cap. 1. tradit *Titios* inquit, *Varro* dictos eſſe ait, à *Titiis* avibus: ſed illæ aves cui hodie aucupi notæ ſunt? Equidem eſſe neminem puto, qui eas magis cognoſcat, quam *ſpinturnicem*, hominibus ignotam, ut cenſet *Plinius*. Et poſt pauca: Vetus Interpres *Perſii* in illum locum, *Ingentes trepidare Titos*, à titis *Titos* vocatos ait. *Servius* dicit palumbes vulgo appellari *tetas*. Iſidorus, *Palumbes*, inquit, eo quod ſunt factæ pabulo, quas vulgo *tetos* vocat. An hæ ſint *Titiæ* aves, intelligentioribus & doctioribus judicandum relinquo. Hæc ille. Eadem habet Commentario in *Varronem*.

AD CAP. XIV. PARALIPOMENA.

De Sodalibus Titiis, aliiſque Sacerdotibus.

Sacerdotia omnia iſta pene deſcripſit M. Lucanus l. 1. Pharſaliæ v. 595. cujus verſus adſcribam:

Pontifices ſacri, quibus eſt permiſſa poteſtas.
Turba minor ritu ſequitur ſuccincta Gabino,
Veſtalemque chorum ducit vittata ſacerdos,
Troianam ſoli cui ſas vidiſſe Minervam,
Tum qui ſata Deum, ſecretaque carmina ſervant,
Et lotam parvo revocant Almone Cybellem,
Et doctus volucres augur ſervare ſiniſtras,
Septemvirque epulis feſtus, Titique ſodales,
Et Salius læto portans ancilia collo,
Attollenſque apicem generoſo vertice Flamen.

Fratres Arvales omiſit, niſi forte de iis ſecundum verſum intelligamus, quod non puto. De quibus eſt cap. 6. hujus libri ſupra, & mentio in vetuſto marmore ex Aldo Manutio Orthographiæ pag. 25.

L. CÆSONIVS. C.F. QVIRINA. LVCILIVS. MACER. RVFINIANVS. COS. FRATER. ARVALIS. PRÆFECTVS. VRBI. ELECTVS. AD. COGNOSCENDAS. VICE. CÆSARIS. COGNITIONES. PROCOS. PROV. AFRICÆ. XX. VIROS. EX. SENATVS. CONSVLTO. R. P. CVRANDÆ. CVRATOR. AQVARVM. ET. MINICIÆ. CVRATOR. ALBEI. TIBERIS. ET. CLOARVM. VRBIS. LEGATVS. PROV. AFRICÆ. EODEM. TEMPORE. VICE. PROCONSVLIS. CVRATOR. R. P. SVESSANORVM. PRÆTOR. KANDIDATVS. QVÆSTOR. KANDIDATVS. ELECTVS. IN. FAMILIAM. PATRICIAM. X. VIR. STIL. IVDICANDIS.

Quæ ideo pleniſſime exſcripſi, ut intelligeretur, pleroſque ex his magiſtratibus poſſe cum honoribus urbicis conjungi, & cohærere. Adde & ſodales Titios plerumque adoleſcentes fuiſſe. fragmentum lapidis antiqui.

Q. CÆCILIO. FEROCI. KALATORI. SACERDOTII. TITIALIVM. FLAVIALIVM. STVDIOSO. ELOQVENTIÆ. VIXIT. ANNIS. XV. MENSE. I. DIEBVS. XXIV. FILIO. OPTIMO. AC. REVERENDISSIMO. M. GAVIVS. KARINVS.

Et de ſeptemviro Epulonum de quibus eſt cap. 28. hujus libri infra. Succurrit hæc vetus inſcriptio, qua conſtet non modo eum honorem civibus in urbe concedi conſuevisſe, ſed & in caſtris, militantes eundem gerere ſolitos. Verba ipſius marmoris ſunt apud Onuſrium in Vrbe Roma pag. 64.

CN. DOMITIO. SEX. F. AFRO. TITIO. MARCELLO. CVRINO. LVCANO. COS. PROCOS. PROVINCIÆ. AFRICÆ. LEGATO. EIVSDEM. PROVINCIÆ. T. VI. FRATRIS. SVI. SEPTEMVIRO. EPVLONVM. PRÆTORI. LEGATO. PROVINCIÆ. AFR. IMPERAT. CÆS. AVG. PRÆF. AVXILIORVM. OMNIVM. ADVERSVS. GERMANOS. OMNES. DONATO. AB. IMP. VESPASIANO. CÆS. ET. T. AVG. F. CORONIS. MVRALI. VALLARI. AVREIS. HASTIS. PVRIS.

CAP.

CAP. XV.

De Flaminibus in genere.

De *Flaminum* ſacerdotio dicturus, primum in genere, quinam *Flamines*, & unde dicti fuerint, explicabo: deinde cum præcipua dignitas *Flaminis Dialis* fuerit, de eo, quæ paſſim reperiuntur recitabo, ad extremum de aliis *Flaminibus* verba faciam.

Flamines unde dicti fuerint, notum ſatis eſt, videlicet à *Filo*, quaſi *Filamines*. Sic enim *Terentius Varro* libro 4. de ling. Latina: *Flamines*, quod licio in capite velati erant ſemper, ac caput cinctum habebant filo, *Flamines* dicti. Horum ſinguli cognomina habent ab eo Deo, cui ſacra faciunt: ſed partim ſunt aperta, partim obſcura. Sic *Servius*: Flamines in capite habebant pileum, quod cum per æſtus ferre non poſſent, filo tantum capita religare cœperunt. Nam nudis penitus capitibus incedere nefas erat: unde à filo, quo utebantur, *Flamines* dicti, quaſi *Filamines*. cum quo facit etiam *Sex. Pompeius Feſtus. Plutarch.* eos à *pileo*, *Pileamines* primo, poſt *Flamines* dictos putat. Sunt etiam, qui eos à ſacris infulis *Flamines* dictos exiſtimant, quas in capite geſtabant, quæ ab antiquis *Flamæ* dicebantur: ſive à *flammeo*, quod genus eſt tegminis capitis: mulierum tamen potius, quam virorum. At hæc quidem de nomine eorum traduntur, ubi videmus plures inclinare in eam ſententiam, quod à filo *Flamines* nomen acceperint. Et cum toties pilei *Flaminum* mentio fiat, non videtur alienum ab hoc loco, ſi deſcriptio ejus quoque addatur, quam habet *Ioſeph. Scaliger* in Conjectaneis in *Varronem*: Totus pileus, inquit, vel potius velamenta, *Flammeum* dicebatur: unde *Flamines* dicti. Porro deſinebat in conum, unde *Apex* dictus. Summum autem faſtigium vocabant *Tutulum*. Addebatur virgula ex felici arbore, quæ in *Flaminibus* dicebatur *Stroppus*, in Flaminicis *Inarculum*. Totus apex filo laneo velabatur, dicebatur *apiculum*. Ab hoc putat quaſi *Filamines* dictos *Varro*: Infra mentum pertinebant *amenta*, quæ pileum retinebant: eæ dicuntur *offendices* quod ſe mutuo offenderent, & convenirent. Solius tamen *Flaminis Dialis*, pileum dicebatur *Albogalerus*: fiebat enim ex hoſtia alba, Iovi cæſa, quæ dicebatur *Idulis*, de qua alibi. Hactenus *Scaliger*, quæ omnia veterum Scriptorum teſtimoniis confirmari poſſunt. *Apex* enim, inquit *Feſtus*, Sacerdotum inſigne dictus eſt ab eo, quod comprehendere antiqui vinculo, *apere* dicebant, unde *aptus* is, qui convenienter alicui junctus eſt. *Tutulum* vocari ajunt *Flaminicarum* capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea innexa crinibus, & extructum in altitudinem, quidam *pileum lanatum*, forma tali figuratum, quo *Flamines* ac *Pontifices* utantur eodem nomine vocari ajunt. *Stroppus* eſt, ut *Ateius Philologus* exiſtimat, quod Græce στρόφιον vocatur, & quod *Sacerdotes* pro inſigni habent in capite: quidam *coronam* eſſe dicunt, aut quod pro corona inſigne in caput imponatur, quale ſit *ſtrophium*. *Inarculum* dicit, virgula erat, ex malo Punico incurvata, quam *Regina* ſacrificans in capite geſtabat. *Servius* etiam, quemadmodum doct. *Scaliger* ex ſchedis *Petri Danielis* docet, ſcribit *Arculum* eſſe virgam ex malo Punico incurvatam, quæ fiat quaſi corona. Et imam ſummamque inter ſe alligari vinculo laneo albo, quam in ſacrificiis certis *Regina* in capite haberet: *Flaminica* autem *Dialis* omni ſacrificatione uti deberet. *Apiculum*, filum eſt quo *Flamines* velati, apicem regerunt: ſic legendum *Scaliger* docuit, & addit: Pone enim regerebant *apicem*, ne gravis eſſet ſummis æſtatis caloribus. Amentis enim, quæ *offendices* dicebantur, ſub mentum adductis religabant, ut cum vellent regererent, & pone pendêre permitterent. *Offendices Titius* ait eſſe nodos quibus apex retineatur, & remittatur. At *Veranius Choriola* exiſtimat, quæ ſint in locis apicis, quibus apex retineatur & remittatur, quæ ab *offendendo* dicuntur. Nam quum ad mentum perventum eſt, offendit mentum. *Albogalerus*, à galea nominatus, eſt enim pileum capitis, quo *Diales Flamines*, id eſt, *Sacerdotes Iovis* utebantur. Fiebat enim ex hoſtia alba Iovi cæſa: cui adfigebatur apex virgula oleagina. Hujus icon in antiquis monumentis videtur talis, ut videre eſt in fig. Y. Cæterum quo tempore creati primum *Flamines* fuerint, de eo inter veteres Scriptores non convenit. *Plutarch.* enim eorum primam creationem & inſtitutionem *Romulo* attribuit: *Dionyſius* vero Romanarum rerum inveſtigator acerrimus, & *Livius* eandem *Numæ* adſcribunt. *Plutarchi* in Numa verba ſunt hæc: *Iovis Martiſque Sacerdotibus à Romulo conſtitutis, tertium ipſe Romuli conſtituit, quem Flaminem Quirinalem nominavit.* Livius verò l. 1. *Tum Sacerdotibus creandis animum adjecit: quamquam ipſe plurima ſacra obibat, ea maxime, quæ nunc ad Dialem Flaminem pertinent.* Sed quia in civitate bellicoſa plures Romuli quam Numæ ſimiles Reges putabat fore, iturosque ipſos ad bella: ne ſacra regiæ vicis deſererentur, *Flaminem Iovi* aſſiduum Sacerdotem creavit, inſignique eum Veſte, & Curuli regia ſella adornavit: huic duos *Flamines* adjecit, *Marti* unum, alterum *Quirino*. Hæc *Livius*: quæ eadem confirmavit *Dionyſius*. Maxime igitur conſentaneum vero eſt, *Numam Pompilium* 11. Romanorum Regem, *Flamines* primum inſtituiſſe, tres videlicet numero, *Dialem, Martialem*, & *Quirinalem*. Non autem ſemper hic numerus manſit. Sed proceſſu temporis XII. alii aliis additi ſunt, & ita ad XV. numerum *Flamines* aucti. Erat tamen inter eos differentia: priores enim tres, quorum originem ad Numam referri diximus, ex Patriciis creabantur, & majores dignationis erant, ideoque *Flamines majores* dicebantur: reliqui ex

ple-

plebeiis, & *minores* appellabantur. Docet id *Sext. Pomp. Festus* cum scribit: *Majores Flamines* appellabantur Patricii generis, *minores* Plebeii. Inter omnes autem maximæ dignationis erat *Flamen Dialis*, teste eodem *Pompejo* his verbis: Maximæ dignationis *Flamen Dialis* est, inter quindecim Flamines, & cum cæteri discrimina majestatis suæ habeant, minimi habetur *Pomenalis*, quod Pomona levissimo fructui agrorum præsidet, pomis. Priores item tres *Flamines* ex Patriciis creatos esse docet *Cic.* in oratione pro domo sua. Quanquam autem XV. *Flamines* essent, qui nomine convenirent: collegæ tamen non erant, neque eorum quoddam collegium vocabatur. Siquidem *Flamen* unius Dei Sacerdos erat, habebatque sua quisque sacra, quæ per se quisque procuraret, quæque ad alias nihil omnino attinerent: quod *Cic.* libr. 2. de Legibus satis indicat, hujusmodi legem recitans: Divisque aliis *Sacerdotes*, omnibus *Pontifices*, singulis *Flamines* sunto. Flamines autem (de *majoribus* potissimum loquor) tametsi non essent *Pontifices*: ita tamen erant adscripti in Collegium *Pontificum*, ut si quando de re aliqua apud *Pontifices* ageretur, ipsi una *Iudices* sederent ejus rei, de qua ad *Collegium Pontificum* relatum esset: quod potest ex Oratione *Cic.* pro domo sua intelligi, quæ cum sit habita apud *Pontifices*, ad quorum collegium rejectum erat de domo à Clodio consecrata judicium: in ea tamen Oratione judices sedisse *Regem sacrorum*, & *Flamines* ostendit.

Creabantur *Flamines* à populo Comitiis Curiatis, uti ex Lælio Fælice docet *Agell.* libr. 15. cap. 27. Creati inaugurabantur à *Pontifice Max.* quod cum fieret, capti ducebantur à patribus, velut ab hostibus, ideoque *Flamines capti* dicebantur, eodem *Agellio*, lib. 1. cap. 12. teste. Ejus dicto omnes suberant, id quod ex plurimis veterum scriptorum locis patet: unico *Livii* lib. 37. contentus ero, cum de *Qu. Fabio Pictore* sic scribit: priusquam in provincias Prætores irent, certamen inter *P. Licinium Pont. Max.* fuit, & *Q. Fabium Pictorem Flaminem Quirinalem*, quale Patrum memoria inter *Q. Metellum & Postb. Albinum fuerat*. Consulem illum cum *C. Lutatio* Collega in Siciliam ad classem proficiscentem, ad sacra retinuerat *Metellus Pont. Max.* Prætorem hunc ne in Sardiniam proficisceretur *P. Licinius* tenuit. Et in Senatu, & ad populum magnis contentionibus certatum est, & imperia inhibita ultro citroque, & pignora capta, & mulctæ dictæ, & *Tribuni* appellati, & provocatum ad populum est. Religio ad extremum vicit, & dicto audiens esse *Flamen Pontifici* jussus. Hactenus *Livius*. Qua de causa *Flamini Diali* antiquitus nec magistratum petere, nec capere permissum erat. In cujus rei gratiam ei *lictore* & *Regia Sella Curuli* uti permissum est. Inde Cornelium Merulam *Flaminem Dialem* Coss. in locum Cinnæ Vrbe pulsi suffectum, pœnas dedisse violati antiqui juris quidam crediderunt. In magistratu enim paulo post occisus est. *Flaminium* autem *Sacerdotium* ita perpetuum erat, ut tamen ob certas quasdam causas *Flamines* etiam sacerdotio privari possent, dicebanturque *Flaminio abire*, aliique subrogabantur. Quod si nullis illarum causis coacti fuissent sacerdotium deponere, id dum vivebant, retinere solebant. Sic enim *Val. Max.* lib. 1. cap. 1. Consimili ratione post *P. Clœlius Siculus*, *M. Corn. Cethegus*, *C. Clodius* propter exta parum curiose admota aris Deorum immortalium, variis temporibus, bellisque diversis *Flaminio abire* jussi sunt, coactique etiam. At *Sulpitio* inter sacrificandum apex è capite prolapsus, eidem sacerdotium abstulit. Sed & aliæ erant causæ ejus deponendi sacerdotii, de quibus alibi dicetur. *Flaminum* uxores *Flaminicæ* vocabantur, ut tradit *Festus*, quibus divortium facere non licebat. Ministri eorum *Flaminii* dicebantur, & ministræ *Flaminiæ*, *Flaminia ædes*, *domus Flaminis Dialis*, *&c.* His ita in genere de *Flaminibus* præmissis, seorsim nunc de singulis dicemus, incipientes à *Flamine Diali*.

CAPVT XVI.

De Flamine Diali.

Flamen Dialis, inquit *Festus*, dictus, quod filo assidue veletur, indeque appellatur *Flamen*: *Dialis* autem appellatur, à *Dio*, à quo vita dari hominibus putabatur. *Terentius Varro* à Jove eum dictum ait, qui sit *Dijovis*. Constitutus igitur à *Numa* erat, ut assidue Jovi præsto esset, eique sacra faceret. Plurimæ hujus erant cærimoniæ, quas observare cogebatur. *Agellius* lib. 10. cap. decimoquinto, ex libris, qui de *Sacerdotibus publicis* compositi fuerant, & ex primo *Fabii Pictoris* libro has recenset: I. Equo *Dialem Flaminem* vehi, religio est. II. Item *Classem procinctam* extra pomœrium, id est, exercitum armatum videre: idcirco rarenter *Flamen Dialis* creatus *Consul* est, cum bella consulibus mandabantur. III. Iurare *Dialem*, fas nunquam est. IV. *Annulo* uti, nisi pervio, cassoque fas non est. V. Ignem è *Flaminia*, id est, Flaminis Dialis domo, nisi in sacrum efferri jus non est. VI. *Vinctum*, si ædes ejus introierit, solvi necessium est, & vincula per impluvium in tegulas subduci, atque inde foras in viam dimitti. VII. *Nodum in apice*, neque in cinctu neque in alia parte ullum habet. VIII. *Si quis* ad verberandum ducatur, si ad pedes ejus supplex procubuerit, eo die verberari piaculum est. IX. *Capillum Dialis*, nisi qui liber homo est, non detonset. X. *Capram* & carnem incoctam, & hederam, & fabam, neque tangere *Diali* mos est, neque nominare. XI. *Propaginem* è vitibus altius prætentis non succidet. XII. *Pedes lecti*, in quo cubat, luto tenui circumlitos esse oportet, & de eo lecto trinoctium continuum non decubat: neque in eo lecto cubare alium fas est, neque apud ejus lecti fulcrum, capsulam esse cum struc atque ferro oportet.

XIII. *Va-*

XIII. *Vnguium Dialis*, & capilli segmina subter arborem siliquam (alii *felicem* legunt) terra operiuntor. XIV. *Dialis* quotidie festatus est. XV. *Ac sine apice*, sub dio esse licitum non est, sub tecto, uti libet, & non pridem à *Pontificibus* constitutum. Addit hoc loco *Agellius*, Masurium Sabinum scripsisse, & alia quædam ei remissa, gratiamque aliquot ceremoniarum factam esse. XVI. *Farinam fermento* imbutam attingere ei fas non est. XVII. *Tunicam* intimam, nisi in locis tectis, non exuit, ne sub cœlo, tanquam sub oculis Iovis, nudus sit. XVIII. *Super Flaminem Dialem* in convivio, nisi *Rex* sacrificulus, haud quisquam alius accumbit. XIX. *Vxorem* si amisit, Flaminio decedit. XX. *Matrimonium* Flaminis, nisi morte dirimi non est jus. XXI. *Locum* in quo bustum est, nunquam ingreditur. XXII. *Mortuum* nunquam attingit. *Funus* tamen exequi religio non est. Hæc *Agellius*, & paulo post subjicit verba prætoris ex edicto perpetuo de *Flamine Diali*, *& Sacerdote* Vestæ hæc: SACERDOTEM VESTALEM, ET FLAMINEM DIALEM IN OMNI MEA IVRISDICTIONE IVRARE NON COGAM. Addit etiam verba ex 2. libr. Rerum divinarum *Varronis*, quod *Flamen Dialis* solus album habeat galerum, vel quia maximus sit, vel quia Jovi immolata hostia albato fieri oporteat. Nec poterat *Flamen Dialis* antiquitus aut magistratum petere, aut capere, ne sacris avocaretur, & multa contra religionem facere cogeretur. *Plutarch.* in Quæst. Rom. q. 113. Hæc fere fuerunt *Flaminis Dialis* ceremoniæ, quarum quidem in Script. antiquis testimonia extant. *Plutarch.* aliquot earum causas inquirit, in Problemat. vel Quæst. Rom. q. 109. ut quod non liceat *Flamini Diali* farinam, aut fermentum tangere: quia videlicet farina alimentum sit imperfectum, & crudum, & neque manserit triticum, id quod fuerat, neque factum sit, quod fieri debebat nimirum panis: sed simul seminis vim amiserit, & usum cibi non sit assecutum. Eandem ob causam eidem interdictum esse dicit contactu carnis crudæ. *Fermentum* autem tangere ei non licere ait, quod & ipsum natum sit ex corruptione, & farinam, cui admiscetur, corrumpat, ut languidior fiat, & inefficax. Cur à tactu & nominatione *capræ* & *canis* abstinere cogatur, causas has affert: de *capra* quidem, vel quia esset lasciva, & fœtida, ideoque abominari; vel quod morbo Comitiali animal istud obnoxium esset, ideoque metuerint, contagionem mali ad eos perventuram, qui tum vescerentur *capra*, aut eam tangerent, cum in morbo esset. De *cane* vero hanc causam affert, quod sit animal pugnax, ideoque asylis, & sacrosanctis prohibetur sacrificiis, in quibus omnis periculi exsors perfugium supplicibus concedatur. [*Quæstione* 110. *Quæstione* 111. *Quæstione* 112.] Cum ergo *Iovis* quoque *Sacerdotem*, utpote vivum sacrumque perfugii simulachrum deceat ad se libere admittere quosvis supplices & deprecantes, nemine arcente, aut terrente, à *canibus* ipsi abstinendum esse dicit, ne illi petituros hanc veniam terrerent, atque arcerent. Non licere ei *hederam* tangere dicit, vel quod sit sterilis & inutilis hominibus, imbecillaque, & ea de causa aliis, quibus innitatur, opus habeat, umbraque & virore suo multis quasi præstigiando imponat: vel quod ad eam mulieres Bacchicis furoribus deditæ recte ferantur, eamque manibus discerpant, & vorent: ideoque nonnullos existimare, inesse spiritum hederæ, qui de statu rationis deturbet, mentemque abalienet, exagitetque, & prorsus ebrietatem à nullo ortam vino inducat. Debere autem *Iovis Sacerdotem* Orgia Bacchi vitare. Quam etiam ob causam scribit eidem vetitum esse transire per viam, ubi vitium propagines in sublimi prætentæ sint: voluerunt videlicet significare, nefas esse eum inebriari, sed vino moderari, nec ab eo vinci, cum, qui ebrii sunt, eorum superius capitibus sit vinum, eaque degravet & premat. *Fabam nec tangere*, nec nominare *Flamini Diali* licebat, quod ea putaretur ad mortuos pertinere, & in flore ejus luctus literæ apparere viderentur, testibus *Sext. Pompeio Festo*, & *Plinio*. Cæterum à *Numa* usque ad Marii & Sullæ tempora; perpetua & continuata serie *Flamines Diales* semper fuerunt, usque ad *L. Cornel. Merulam*, qui in seditione civili *L. Cornel. Cinnæ*, & *Cn. Octavii* anno DCLXVI. in magistratu occisus fuit. Post quem, cum *C. Iul. Cæsar*, qui postea *Dictator* fuit, id sacerdotium consecutus fuisset, non longe post à victore *Sulla*, & *Sacerdotio*, & *uxoris dote* mulctatus est: ita ut nullus deinceps *Flamen Dialis* inauguratus fuerit, usque ad finem Imperii *Augusti Cæsaris*. Sub quo anno plus minus c. postquam sacerdotium id vacaverat, *Flamen Dialis* inauguratus est *Sext. Corn. Maluginensis*, post quem perpetuo ordine *Flamines Diales* multi fuerunt, usque ad novissima imperii tempora, quibus cum reliquis sacerdotiis veteris superstitionis ab Imp. *Theodosio* id sacerdotium omnino sublatum est. Hæc de *Flamine Diali*. Ejus uxor dicebatur *Flaminica*, quam & ipsam seorsum easdem fere ceremonias observare solitam, idem *Agell.* lib. 10. cap. 15. docet: videlicet 1. quod bene nato operiretur. 2. & quod in rica furculum de arbore siliqua (sive *felici*) haberet; 3. & quod *scalas*, quæ Græce κλίμακες appellantur, ascendere ei plus tribus gradibus religiosum esset. 4. atque etiam cum it ad *Argios*, quod neque comeret caput, neque capillum depecteret. Hactenus *Agellius*. Accedemus nunc ad reliquos *Flamines*.

CAP. XVII.

De reliquis Flaminibus.

Diximus ante primum à Numa Pompilio tres *Flamines* institutos fuisse, *Dialem*, *Martialem*, & *Quirinalem*, postea temporis progressu pluribus additis ad quindecim numerum eorum excrevisse. Cum igitur de *Flamine Diali* satis multa in medium attulerimus, consequens est, ut reliquorum

rum etiam rationem explicemus: quod quidem paucis expediemus, cum multa ad eos pertinentia ante sint dicta.

MARTIALIS igitur, qui dignitate proximus erat *Diali*, & *major Flamen*, atque ex Patriciis creabatur, *Marti* qui Romuli pater esse putabatur, institutus est, eique sacra fecit, quod clare docet *Varro*. Sed & QVIRINALIS Flamen major, & Patricii generis, à Numa in Romuli honorem institutus est, quod Romulus *Quirinus* appellatus, parens & Vrbis conditor fuisset. Frequens hujus *Flaminis* mentio extat apud *Livium*, *Varronem*, *Sext. Pompejum*, *Festum*, & alios. Reliquorum aliquot *Flaminum* cognomina docet nos *Ter. Varro* lib. 4. de lingua Latina, cum scribit: *Flaminum* singuli cognomina habent ab eo Deo, cui sacra faciunt; sed partim sunt *aperta*, partim obscura. *Aperta*, ut *Martialis*, *Volcanalis*: obscura: *Dialis* & *Furinalis*: cum *Dialis* à Iove sit, qui est *Dijovis*: *Furinalis*, à *Furina* cujus etiam in Fasteis *Furinaleis Feriæ* sunt. Sic *Flamen Falacer*, à divo Patre *Falacre*. Idem alibi: Eundem Pompilium Numam *Ennius* ait fecisse *Flamines*, qui cum omnes sint à singulis Deis cognominati, in quibusdam apparent etyma: ut cur sit *Martialis*, *Quirinalis*. Sunt in quibus *Flaminum* cognominibus latent origines: ut qui sunt in versibus plerique: *Volturnalis*, *Palatualis*, *Furinalis*, *Floralis*, *Falacer*, *Pomonalis*, obscura est eorum origo. Volturnus, *Palatua*, *Furina*, *Flora*, *Falacer*, *Pomona*, pomorum patrona.

VOLCANALIS igitur Flamen & minor fuit, & plebeius, *Volcano* institutus.

VOLTVRNALIS, Volturno, vel Deo, vel Flumini fuit dicatus, ut ei sacra faceret.

PALATVALIS, Flamen fuit constitutus ad sacrificandum ei Deæ, in cujus tutela *Palatium* erat. Sext. *Pompejus Festus*. Eam Deam Varro *Palateam* vocat.

FVRINALIS, Deæ Furinæ institutus est.

FLORALIS, Deæ Floræ, de qua, sicut & de reliquis Diis & Deabus, libro præcedenti multa.

FALACER, quemadmodum *Varro* scribit, *Divo Patri Falacri* est institutus. Quis autem iste Deus fuerit, à nemine veterum traditur. *Adr. Turnebus* comment. in *Varronem*, suspicatur, *Falacrem* fortasse fuisse eum Deum, qui præfuerit *falis Circi*, quorum meminit *Iuvenalis*:

Consulit ante falas, Delphinorumque columnas.

POMONALIS, Pomonæ, Deæ pomorum, institutus est: & quemadmodum *Sext. Pompeius Festus* docet, minimi habebatur, quod *Pomona* levissimo fructui agrorum præsideret, pomis.

Fuit etiam *Flamen Carmentalis*, qui Carmentæ Euandri Arcadis matris sacra curabat, cujus *Cicero* in Bruto ita mentionem facit: *M. Popilius*, cum Consul esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum Læna faceret, quod erat *Flamen Carmentalis*, plebis contra Patres concitatione & seditione nunciata, ut erat Læna amictus, ita venit in concionem, seditionemque, tum auctoritate, tum oratione sedavit. Et hic quoque *Flamen minor*, & plebejus, quia *Lænas* hic, cujus à *Cicerone* mentio fit, ex plebe Consul electus est.

Flaminis Virbialis, qui Deo Virbio, id est, *Hippolyto* consecratus fuit.

Laurentialis, qui Accæ Laurentiæ institutus fuit.

Lavinalis quoque, & *Lucularis*, nullus veterum Scriptorum, sed epigrammata tantum quædam, quæ ab *Onuphrio Panvinio* proponuntur, meminerunt. Hæc itaque xv. illorum *Flaminum* nomina sunt, officia autem, ut singuli suis Diis sacra facerent.

Præter hos vero aliorum *Flaminum* in Scriptoribus & lapidum epigrammatis vetustioribus fit mentio, eorum scilicet, qui imperatoribus *Augustis* vita defunctis, & inter Divos relatis fuerunt instituti, iisque sacra peregerunt, quorum quidem tot fuerunt, quot *Imperatores* à Romanis consecrati sunt, quorum omnium nomen & testimonia summa diligentia collegit *Onuphrius Panvinius*, secundo suo Reipublicæ Romanæ commentario.

Cùm autem hîc mentio inciderit *consecrationis Imperatorum Romanorum* vita defunctorum, operæ pretium me facturum arbitror, si quibus ceremoniis ea peracta sit, paucis hoc loco explicem: id quod capite sequenti faciam, ex traditione *Huberti Goltzii*.

CAP. XVIII.

De consecratione Imperatorum vitâ defunctorum apud Romanos.

Romanis mos erat à *Cæsare Augusto* primum institutus, deinde à *Tiberio* instauratus, eos consecrare Impp. qui superstitibus filiis, vel successoribus moriebantur, quique eo erant honore affecti, inter Divos relati dicebantur. Sic primus omnium *Augustus* Iulium Cæsarem, *Tiberius* Augustum mortuos consecraverunt. Cum *Imperator vita defunctus* consecrandus erat tota Vrbe primum quasi luctus quidam esse videbatur, festæ celebritati promiscuus: quippe functum vita corpus ritu hominum sumptuoso funere sepeliebant; ceream deinde imaginem defuncto quam simillimam fingebant; eamque in *Palatii* vestibulo propositam supra eburneum lectum maximum, atque sublime, vestibus instratum aureis, locabant. Et quidem imago illa ad ægroti speciem pallida recumbebat. *Circa lectum* vero utrinque magnam partem diei sedebant, à *læva* quidem *Senatus* omnis vestibus atris amictus, à *dextra* vero *matronæ*, quas viro-

virorum aut parentum dignitas honestabat. Harumque nulla vel aurum gestans, vel ornato monilibus conspiciebatur, sed vestibus albis exilibus indutæ, mœrentium speciem præbebant. Hæc ita per septem dies continuos faciebant, *Medicis* ad lectum quotidie accedentibus, inspectumque veluti ægrum deterius se habere subinde pronunciantibus. Dein ubi jam visus esset obiisse diem, lectum humeris attollebant *Equestris Senatoriique ordinis* nobilissimi, ac lectissimi juvenes: perque viam sacram in vetus forum deferebant, ubi *Magistratus* Romani deponere *Imperium* consueverant. Extructum autem erat in ipso Romano foro coloris lapidei *tribunal ligneum*, super quod ædificium quoddam fabrefactum erat, quod columnæ undique sustinebant, eratque ebore varie ornatum, & auro: eo allatus fuerat alius lectus consimilis, cui stragulis purpureis, atque auro intextis ornato erant circum capita belluarum terræ, marisque: in eoque statuam ceream *Principis consecrandi*, ut dixi, ex *Palatio* allatam, ornatu triumphali collocabant, à qua puer egregia forma, ita ut *Imperator* dormiret, pennis pavonis muscas agebat. Eo ita jacente superstites *Imperatores*, *& Senatus*, *Senatorumque uxores* vestibus iisdem induti accedebant pone lectum, dum in forum ipsi devenissent, ubi *mulieres* quidem in porticibus, *Senatus* vero sub dio sedebant. Ab utraque autem fori parte, gradus quidam erant ad scalarum similitudinem extructi, in quibus altera ex parte puerorum chorus erat è *Nobilissimis*, atque *Patriciis*, altera fœminarum illustrium, hymnos in defunctum, pæanasque canentium, verendo ac lamentabili carmine emodulatos. Quibus ita dispositis, funebris pompa in foro inchoabatur extra Vrbem in *campum Martium* tendens. Primum anteferebantur statuæ omnium veterum *Romanorum* illustrium, qui unquam ab ipso *Romulo*, usque ad ejus consecrationis tempus fuissent. Deinde *Provinciarum* & nationum omnium, quæ Romano imperio subjectæ erant, ænea simulacra, variis distincta ornamentis, ut erat cujusque gentis patria consuetudo. Sequebantur post varia genera *Civium*, *Lictorum*, *Scribarum*, *Præconum*, & qui sunt ejusdem generis. Sequebantur deinceps signa diversorum illustrium virorum, quos præclare fecisse aliquid, aut excogitasse, aut in aliquo studio floruisse constaret. Veniebant postea *equites*, *ac pedites armati*, certatores equi, atque ea quæ ad parentandum pertinebant, quæ ab ipsis *Principibus & Sacerdotibus*, eorum uxoribus, & à clarissimis Equitibus, ac populis, & à civium congregatione missa fuerant. Postremo ferebatur *altare inauratum*, ornatumque ebore, & lapillis Indicis. Quæ postquam transierunt, *Imp. vivus Rostra ascendebat*, defunctumque Imp. laudabat. Cumque oraret, crebro à *Senatoribus* adstantibus exclamabatur, partim laudantibus defunctum, partim lugentibus: sed oratione habita multo magis id factitabant, ac tandem cum lectum de loco, in quo erat, moveri oporteret, omnes simul *Senatores* lamentabantur, ac flebant. Quibus peractis, iterum lectum à tribunali tollebant *Pontifices & Magistratus*, non modo qui tum erant, sed etiam hi, qui in sequentem annum designati fuerant, eundemque postea tradebant nonnullis *Equitibus* ferendum. Pars *Senatorum* lectum anteibat, ex quibus multi dolere se simulabant, querulas voces emittendo, multi canebant flebile carmen ad tibias. *Imperatores* postremi sequebantur. Ita extra urbem in *Martium campum* veniebant. Vbi qua latissime campus patet, *rogus* sive *suggestus* quidam specie quadrangula, lateribus æquis assurgebat, nulla præter quam lignorum ingentium materia compactus in tabernaculi formam: id quidem *interius* totum erat aridis fomitibus oppletum: *extra* autem intextis auro stragulis, atque eboreis signis, variisque exornatum: *supra* vero alterum minusculum quidem tabernaculum positum erat, sed forma & ornatu persimile portis, januisque patentibus. *Tertium* item, & *quartum*, semper superiore tabernaculo contractius, ac deinceps alia donec ad extremum, quod est omnium brevissimum, perveniebatur. In summo ejus *currus inauratus*, quo mortuus Imperator olim vehebatur, collocatus erat. Potest ejus ædificii forma comparari turribus his, quæ portubus imminentes, noctu igne prælato naves in tutas stationes dirigunt. *Phari* vulgo appellantur. Ejus quoque tabernaculi formam adhuc in antiquis numismatibus *Sabinæ Augustæ*, *Ant. Pii*, *Faustinæ Augustæ*, *& matris & filiæ*, *M. Aurelii Antonini*, *L. Aur. Veri*, *P. Helvii Pertinacis*, *L. Septimii Severi*, *& Iuliæ Piæ Augustæ* consecratorum videntur, quorum duo subjeci: ut videre est in Fig. Z. notata.

Igitur lecto in *secundum tabernaculum*, quod primo contractius est, sublato, aromata & suffimenta omnis generis, fructus, herbasque & succos omnes odoratos conquisitos, acervatim effundebant. Quippe neque gens erat, neque civitas, neque qui honore ullo aut dignitate præcelleret, quin certatim pro se quisque suprema illa munera *Principis* honori deferrent. Vbi vero ingens aromatum, ac eorum, quæ parentandi causa allata fuerant, suffimentorum acervus magnus aggestus est, ac locus omnis oppletus, *Imperator* superstes, cæterique Imperatoris mortui propinqui ejus statuam osculabantur: quo facto *Princeps* tribunal conscendebat: *Senatores* vero, exceptis Magistratibus, in tabula parata assidebant, ut tuto simul, & commode spectarent, quæ gerebantur. *Magistratus* & cæteri ex ordine collocabantur, ut cujusque dignitas postulabat. Tum circa ædificium illud adequitabant *Vniversi Equestris ordinis* certa quadam lege, ac recursu, motuque *Pirrichio*, numeroque in orbem decurrentes: *pedites* quoque circum ipsum rogum cursus urbanos & confictos peragebant. *Currus* item circumagebantur insessi purpuratis *Rectoribus*, qui personas ferebant *Ducum omnium Romanorum*, *Principumque illustrium*. Quæ ubi celebrata erant, *facem* capiebat Imperii successor, eamque tabernaculo admovebat, tum *Consules* primo cæterique omnes *Magistratus*, & alii ordine undique ignem subjiciebant, cunctaque illico fomitibus illis aridis,

aridis, odoramentisque referta, igni valido corripiebantur. Mox ab extremo minimoque tabernaculo, tanquam è fastigio quodam, simul cum subjecto igni *aquila* dimittebatur, quæ in cœlum ipsam *Principis* animam deferre credebatur. Ac jam ex illo, una cum cæteris Numinibus *Imperator* defunctus colebatur: unde etiam in nummis quibusdam videntur *aquilæ*, vel *pavones* expressæ defunctos *Imperatores*, vel *Augustas* in cœlum ferentes. ut videre licet Figg. notatis a. b.

Hæc autem habentur in *Pertinacis* & *Severi* consecrationibus à *Dione* & *Herodiano* descriptis: quibus quo omnia accuratius percipiantur, *Augusti* quoque consecrationem adjiciam à *Dione* ita descriptam: Postquam ejusmodi præcepta recitata sunt, funus *Augusti* ducitur. Erat *lectus* ex ebore & auro factus, stragulis purpureis auroque intextis ornatus, subter quem tanquam in feretro corpus ejus jacebat occultum. Ante omnia vero *statua* ejus *cerea* vestitu triumphali videbatur, eaque ex palatio ferebatur ab iis, qui in sequentem annum *Magistratus* designati fuerant: deinde ex *Curia* altera aurea, tertia *curru triumphali* videbantur ferebanturque statuæ majorum ipsius, atque propinquorum: qui è vita discesserant, uno tantum *Cæsare* excepto: propterea quod jam esset in Deorum numerum relatus: portabantur deinde statuæ civium *Romanorum* omnium, quicunque in *Magistratu* unquam ab ipso Romulo ad ea usque tempora fuissent. Sed & quædam *Cn. Pompeii Magni* statua ferri visa est. Aderant etiam omnes provinciæ & nationes pictæ, quæ aut in societatem ab ipso acceptæ, aut devictæ fuerant. Eadem propemodum ratione mulieres *Augustas*, quæ consecrabantur, inter *Divas* referri solitas crediderim: neque enim alia mulierum consecrandi ratio tradita est: prima autem omnium *Livia Augusta* consecrata est. Porro autem tam *Imperatoribus* quam eorum uxoribus, vel filiis, aut sororibus consecratis *Flamen* & *Sodales*, qui ab eo nomen acciperent, ex S. C. addebantur, templumque in quo hymnos in ejus honorem compositos tenerent, construebatur. Hactenus *Goltzius*.

AD CAP. XVIII. PARALIPOMENA.

De Apotheosi Imperatorum Romanorum, quam antiquus hic mos, mutata nomina, erectæ statuæ.

Non fuit hæc consuetudo tantum Romanorum, quum prima ea fuerit bene merentibus referendi gratiam species, divinis cives post obitum afficere honoribus, sed aliorum sic consecrati omnes dii veterum non quidem publice modo, sed & privatim unicuique id permissum. Pet. Nann. lib. 7. Miscellaneor. cap. 26.

Elias Vinetus ad D. Ausonii Epigr. 26.

Nunc ego sum Cynices primus, & ille deus.

Aur. Macrob. lib. 2. in Somnium Scipionis cap. 17. *Ejus anima in deos relata, quod nunquam deseruit virtutes, semper exercuit.* Et quidem de Hercule, Libero patre, Castoribus, aliisque diis Consentibus quis post tam multos rem vulgatissimam notare velit? De Alexandro Macedone clarum magis, sed minus notum exemplum est, fuisse vel exinde discamus præter Arrianum, Plutarchum & Q. Curtium Ælian. var. hist. l. 5. cap. 12. ἐκκλησίας οὔσης Ἀθηναίοις παρελθὼν ὁ Δημάδης, ἐψήφισατο θεὸν τὸν Ἀλέξανδρον τρισκαιδέκατον. *Convocata Atheniensium concione, Demades surgens, decreto jussit, ut Alexander scriberetur Deus decimus tertius.* Sed cum indignum Græcis id moribus videretur, mulcta centum talentorum ei irrogata est. Et Anaxarchus cognomento Eudæmonicus κατεγέλα Ἀλεξάνδρου, ἑαυτὸν ἐκθεοῦντος, *ridebat Alexandrum, quod se deum faceret.* Idem Ælianus lib. 9. var. hist. cap. 37. Et Olympias mater ipsius: ὦ τέκνον, εἶπεν, ἀλλὰ σὺ μὲν ἐρανοῦ μεταλαχεῖν βουλόμενος, καὶ τοῦτο σπουδάζων, νῦν οὐδὲ τῶν κοινῶν δήπου, καὶ ἴσον πᾶσιν ἀνθρώποις μεταλαχεῖν ἔχεις, γῆς τε ἅμα, καὶ ταφῆς. *O fili, inquit, tu vero cum inter cælites locari volueris, & id perficere summo studio conatus sit, nunc neque illorum quidem quorum omnibus mortalibus æquale & par jus est, particeps fieri potes, terraque simul, & sepulturæ, aut tumuli.* Idem operis ejusdem lib. 13. cap. 30. id autem ab eo non nisi superata Perside, & profligato Dario ipsius Alexandri epistolis denunciatum est Græcis. Nam tunc ἐπέστειλε τοῖς Ἕλλησι θεὸν ἑαυτὸν ψηφίσασθαι, γελοίως γε. *scripsit Græcis, ut se deum facerent, satis equidem stulte: & cum mandata ad singulas Græciæ civitates referrentur, quidam metu, quidam commodi & emolumenti specie invitati, decreverunt quod ille petebat, humanæ fragilitatis oblitus; at Lacedemonii:* ἐπειδὴ Ἀλέξανδρος βούλεται θεὸς εἶναι, ἔστω θεός. *Quoniam Alexander vult esse deus, esto deus.* Ælian. var. ejusdem hist. lib. 2. cap. 19. sed tamen decimus tertius inter deos Consentes factus. Pier. Hieroglyph. lib. 43. sed ad Romanos.

Longum foret, si Antoninos, Trajanum, Claudium, Vespasianum, filios ejus, Augustum, (D. Auson. Cæsarib.

Addidit Augustum divis matura senectus.)

Et Cæsarem Dictatorem, inter deos relatos persequi vellem, quod diligentissime Onuphrius, in Fastis suis, & Goltzius in Numismatis exequuti sunt, & ex Vopisco, Æl. Lampridio, Spartiano collegit Ioan. Kirchmanus lib. 4. de Funerib. Rom. cap. 13. 14. Vnicum hoc sufficiat dixisse, *omnes Imperatores inter deos post mortem referri solitos.* Servius Honoratus illud lib. 1. Georg. v. 24.

Tuque adeo, quem mox, quæ sint habitura deorum
Consilia, incertum est.

Iuvenal. Sat. 6. v. 115. *rivales divorum*, Vet. scholiast. *Ridens, quia imperatores inter deos referuntur.*

Facetum illud est Vespasiani principis, qui *prima morbi accessione, ut inquit, puto deus fio.* C. Sueton. in eo cap. 24. in fine. De Augusto, & Domitiano, vide quæ fuse dixi supra lib. 1. Reg. 8. & quia tam multa de Augusti divinis honoribus scriptores disseruerunt, quidam imperite ortum ejus consuetudinis ad illum retulerunt, sed falsi illi, nam Dictator ante illum consecratus fuit. Sueton. in Iulio cap. 88. *Stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa undecimam horam, creditumque est animam Cæsaris esse in cælum recepti, & hac de causa, simulachro ejus in vertice additur stella.* Aliter aliis proditum: verba Servii Mauri adscribam: *Apparet sidus in vertice, hoc est, super galeam; nam ex quo tempore per diem stella visa est, dum sacrificaretur Veneri genitrici, & ludi funebres Cæsari exhiberentur, per triduum stella apparuit in septentrione, quod sidus Cæsaris putatum est Augusto persuadente: nam ideo Augustus, omnibus statuis, quas ob divinitatem Cæsari statuit, hanc stellam adjecit. Ipse vero Augustus, in honorem patris Augusti, stellam in galea cœpit habere depictam:* Hæc ille ad v. 681. l. 1. Æneid.

——— Geminas cui tempora flammas
Læta vomunt, patriumque aperitur vertice sidus.

Sil. Italic. lib. 13. Punicor.

——— ——— ille deûm gens
Stelligerum attollens apicem Trojanus Iülo
Cæsar avo, quantas moles, cum sede reclusa
Hac tandem erumpent, terraque marique movebunt.

Propert. l. 4. eleg. 6.

Tunc pater Idalio miratus Cæsar ab astro,
Sum deus, & nostri sanguinis ista fides.

Iupiter Ovidianus l. 15. Metamorph. fab. ult. ad Venerem:

Hanc animam interea caso de corpore raptam
Fac jubar.

Et postea ambitiose apotheosim describit:

Cæsaris eripuit membris, nec in aëra solvi
Passa recentem animam, cœlestibus intulit astris.
Dumque tulit, numen capere, atque ignescere sensit,
Emisitque simul, simul altius evolat illa,
Flammiferumque trahens spatioso limite crinem
Stella micat.

In tertio versu alii legunt non male, ut mihi videtur:

Dumque tulit, lumen capere, atque ignescere sensit.

Ritum plenissime in deos referendi, expressum legere potes apud Herodianum lib. 4. Hist. Rom. quem ex illo descripsere multi, Blondus Flavius Romæ Triumphantis lib. 2. Bernardin. Realin. Annotat. in varia scriptorum loca cap. 16. Francisc. Robortell. l. 2. Emendat. cap. 38. *Apotheosin* vocare hanc solemnitatem solemus. Iuvenal. Sat. 6. v. 619. *Descendere jussit in cælum.* vet. scholiast. *Ridens, pro ad inferos, & apotheosin deridet, deum fecit imperatorem.* M. Tull. l. 1. ad Atticum epist. 13. *Videsne consulatum illum nostrum, quem Curio antea* ἀποθέωσιν *vocabat?* Et l. 12. ad eundem epist. 13. *Insulas Arpinas habere potest germanam* ἀποθέωσιν. Et epist. 36. *Fanum fieri volo, neque hoc mihi erui potest* (aut ut in aliis, *neque hoc mihi suaderi potest*, aut, *neque hoc mihi dissuaderi potest*) *sepulchri similitudinem effugere, non tam propter pœnam legis studeo, quam ut maxime assequar* ἀποθέωσιν.

Est autem idem *apotheosis*, ac *consecratio*, quam vocem advocavit idem Cicero lib. 1. ad Quintum fratrem Epist. 1. *Quoniam in istis urbibus cum summo imperio & potestate versaris, in quibus tuas virtutes consecratas, & in deorum numero collocatas vides.* vet. scholiast. Iuvenal. ad Sat. 11. v. 63. *Æneas qui in Numicium fontem lapsus, creditur consecratus, ideo ait, aquis, flammis vero Hercules, quo in Oeta monte se incendit, non tolerant ardorem vestis.* C. Plin. Cæcil. Iunior in Panegyrico elegantissimo: *Dedicavit cœlo Tiberius Augustum, sed ut majestatis numen induceret, Claudium Nero, sed ut irrideret, Vespasianum Titus, Titum Domitianus, sed ille, ut dei filius, hic frater ut videretur, tu sideribus patrem intulisti.* Est ergo *apotheosis*, *quasi dei factio, aut divinitatis collatio*; veteres glossæ, ἀποθεῶ, *divino.* Quod proprie *facere* verti potest, aut *deos dare*, ut dixi supra l. 2. cap. 17. M. Manil. l. 4. Astronomic.

Iam facit ipse deos, mittitque ad sidera numen,
Majus & Augusto crescit sub principe cælum.

L. Sen. Herc. Furente:

——— Hæc quæ cælites
Recepit, & quæ fecit, & (fas sit loqui)
Fortasse faciet.

Et in Octavia, si modo illius est, & non alterius pejoris poëtæ. Act. 2. sc. 2.

Stulte verebor, esse cum faciam deos.

Et in eadem scena:

Pietate nati factus eximia deus.

Allusit, ut puto, M. Martial. l. 8. epigr. 24.

Qui fingit sacros, auro vel marmore vultus,
Non facit ille deos, qui rogat ille facit.

Aliquos ritus apotheoseos, nulli in hunc diem, quod sciam, observatos subjiciam; ac primum NOMINA MVTABANTVR inter deos referendis, sic apud priscos Io dicta est Isis, Melicerta Portumnus, Ino, Leucothea apud Græcos, apud Latinos priscos Æneas consecratus legitur, nomenque mutatum. T. Livius 1. Decad. l. 1. non longe à principio: *Situs est, quæcunque eum dici jus fasque est, super Numicum flumen, Iovem indigetem appellant.* Ea propter Heroum templa transituri, ne in deos receptum heroëm alio nomine, quam quod impositum ex apotheosi fuisset; compellantes offenderent, taciti & silentes, indictoque sibi silentio, precabantur, observavit Nonnius Miscellaneor. lib. 4. Ad Romanos descendere quid opus? cum omnes historici loquantur, Romulum post consecrationem *Quirinum* vocitatum. Poëtæ. Sil. Italic. l. 15.

Ledæos referam fratres, vestrumque Quirinum.

Claudian. lib. de Bello Getico:

——— Delubra Numæ, sanctumque Quirini.

Sic in MS. meo in aliis hactenus lectum fuit:

——— Delubra Numæ, sedemque Quirini.

Q. Horat. Epod. od. 16.

Quæque carent ventis & solibus, ossa Quirini
Nefas videre, dissipabit insolens.

P. Ovid. l. 3. Amor. eleg. 7. & lib. 2. Fastor.

Proxima lux vacua est, & tertia dicta Quirino,
Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit.

M. Lucan. lib. 1. Pharsal. v. 196.

——— Rapti secreta Quirini.

Et lib. 14. Metamorph. fab. 15.

Lustratum genitrix divino corpus odore.
Vnxit, & ambrosia cum dulci nectare mixta
Contigit os, fecitque deum, quem turba Quirini
Nuncupat indigetem, templisque arisque recepit.

Et ejusdem libri fab. ult.

——— Priscum pariter cum corpore nomen
Mutat, Oramque vocat, quæ nunc dea juncta Quirino est.

Ob id, ut puto, Homerus alia apud deos, alia apud homines nomina, quibusdam imponit, nam Paris illi perpetuo Alexander appellatur, ut l. 3. Iliad. in limine, & passim, licet Carolus Sigonius, unam nomen, alteram vero appellationem cognomen esse contendat, libello de Nominibus Rom. c. 3. Ipse Homer. lib. 14. Iliados v. 291.

Χαλκίδα κικλήσκουσι θεοὶ, ἄνδρες δὲ Κύμινδιν.
Chalcidem nominant dii, homines vero Cymindin.

Et lib. 20. Iliad. v. 73.

Ὃν Ξάνθον καλέουσι θεοὶ, ἄνδρες δὲ Σκάμανδρον.
Quem Xanthum vocant dii, homines vero Scamandrum.

P. Ovid. lib. 11. Metamorph. fab. 10.

Hunc Icelon superi, mortale Phebœtora vulgus
Nominat.

Effigies, ei pari splendore, paribusque insignibus, atque dum vivus erat, *erigebatur.* Exemplum nobile apud Ælianum var. hist. lib. 12. cap. ult. quod nuper incredibili Europæ dolore, cruento supra fidem spectaculo, in Henrico Magno efferendo in regia mœsti, attonitique vidimus. Nihil magnificentiæ itaque aberat, sed crebra famulantium turba circunstabat ministratura inter deos referendo, omnia ornamenta, adeoque etiam coronæ imponebantur. M. Cic. Pro L. Flacco. notavit Pet. Victorius var. lect. l. 2. c. 7. dicam infra l. 5. cap. 39. abunde, uti de Flaminibus, aris, templis, iis erectis consecratisque. Interim locum adde è Corripo Africano lib. 1. de laudib. Iustini, num. 13.

Ipse videbatur cunctis plangentibus unus
Effigie gaudere pia, diademate comptus,
Purpureaque in veste jacens requiescere somno.

Denique ab hac apotheoseos consuetudine emanavit, ut *divos deosque* Imperatores appellarent, *numenque* eis adscriberent. Theodosius & Valentinianus Augg. C. Theod. l. 15. tit. 4. *Ludis quoque simulachra proposita tantum in animis concurrentium mentisque secretis nostrum numen & laudes vigere demonstrat.* Q. Symmach. lib. 3. epist. 18. *Solemne est divo nostro Theodosio.* Gunther. Ligurini l. 6.

Hæc de responsis divi, pater optime regis
Salva pace tua, tibi rescribenda putamus.

Vetus marmor apud Aldum Manutium in Ortographia sua pag. 292.

IMP. . . . CÆSAR. . . . . . L. DOMITIO. AVRELIANO. PIO. FELICI. INVICTO.
AVG. PONTIFICI. MAX. GOTHICO. MAX.
GERMANICO. MAX. TRIB. POT. V. COS.
DESIGNA. III. IMP. III. P. P. PRO. COS.
RESTITVTORI. ORBIS. INVICTISSIMO. ET. VICTORIOSISSIMO.
PRINCIPI.
FVRIVS. ORFITVS. V. C. PRÆF. VRB.
DEVOTVS. NVMINI. MAIESTATIQVE.
EIVS.

Et ſtatuæ huic ſeu effigiei ſubjiciebant aquilam, quam credi volebant animam in cœlos, & ad deorum conceſſum defuncti alis ſuis efferre. Quare Hectoris raptator Achilles à Lycophrone Aquila appellatur. Ioan. Meurſius notat Artemidor. Oneirocrit. l. 2. c. 10. ἔθος γὰρ παλαιὸν ἀποθνήσκοντας τούτους πλάσσειν τε καὶ γράφειν ἐπ' αὐτῶν ὀχουμένους, καὶ διὰ τῶν δημιουργημάτων τιμᾶν. *Mos enim vetus eſt, hos mortuos tum fingere, tum pingere iis* (antea dixerat, ὀχεῖσθαι ἀετῷ, *vehi aquila*) *inſidentes, & per hujuſmodi opificia colere.*

CAP. XIX.

De Virginibus Veſtalibus.

Veſtales dicebantur hæ, quod *Veſtæ* ſacra curarent, & ignem ejus cuſtodirent. De quarum prima apud Romanos inſtitutione non admodum inter Scriptores convenit. Fuiſſe quidem eas *Lavinii*, & *Albæ* ante Romam conditam, dubium non eſt, cum quod Æneas *Veſtæ ſacra* una cum *Penatibus* & *Palladio* ex Troja in Latium tulerit, & condito Lavinio, *Veſtæ* ibi ædem ſacraverit, cui deinde Aſcanius etiam condita, *Alba longa*, templum in monte Albano extruxit: tum vero quod *Rhea Silvia*, Romuli mater, à Numitore patruo *virgo Veſtalis* creata fuerit. Vtrum vero *Romulus*, ut quidam volunt, an qui ei ſucceſſit, Numa Pompilius, quod pluribus placet, *Veſtæ ædem* Romæ conſtruxerit, eique *Virgines cuſtodes* ignis æterni aſſignaverit, de eo valde diſcrepant. *Dionyſius* certe, cujus in hiſtoria Romana non minima eſt auctoritas, *Numæ* id inſtitutum tribuit: & contrarium ſentientes graviter refutat; cujus verba, quæ quidem huc ſpectent, libet adſcribere: *Romulus*, inquit, *nullas virgines Veſtæ Sacerdotes inſtituit, memor fortaſſe materni dedecoris, quæ inter illius miniſteria virginitatem amiſerat: haudquaquam idoneus futurus juxta leges patrias, ſi quam violaſſe pudorem deprehendiſſet, ne ſibimet refricaret probrum domeſticum.* Hæc ille, quem ſequuti dicemus à Numa Pompilio *Virgines Veſtales* primum eſſe creatas, & inſtitutas. Quo vero numero, quod earum officium, quæ dignitas fuerit, de iis porro *Dionyſium* loquentem audiamus. Sic autem is ſcribit: Quinto loco erant *virgines* igni ſacri cuſtodes, quas illi à ſua Dea *Veſtales* nominant, cui Rex hic primus templum ſacravit, & *cultrices virgines*. Et paulo poſt: *Virgines* autem quæ *Deæ* ſacris operabantur, quatuor erant ab initio, & jus optandi eas penes *Reges* eſſe, *Numa* voluit: poſtea tamen propter ſacrificiorum multitudinem ad ſenarium numerum auctæ (à L. ſcilicet Tarquinio Priſco V. Romanorum, ut idem *auctor* alibi docet) in eo hodieque permanent degentes in *Deæ fano*, à cujus aditu nemo arcetur interdiu, ſed pernoctare intus fas eſt viro nemini. Has neceſſe eſt per triginta annos manere puras à nuptiis, ſacrario ſervientes, & legitimis cæremoniis, ac primo decennio rationem ſacrorum eis oportebat diſcere, ſequenti exercere, poſtremo docere alias. Poſt exactum vero annum trigeſimum, nihil vetabat eas poſitis coronis, reliquiſque inſigniis ſacerdotii, cui vellent nubere: feceruntque id paucæ aliquot, ſed parum læto vitæ exitu, & ominoſo apud cæteras, ita ut libenter poſthac *virgines* ævum exigerent in *Deæ* contubernio ac tum demum in defunctæ locum alia ſublegebatur à Pontificibus. Honores autem eis exhibentur à civitate multi & eximii, propter quos nec liberorum, nec nuptiarum tanguntur deſiderio. Pœnæ quoque, ſi qua delinquat, graves ſunt propoſitæ, quas *Pontifices* ab aliis exigunt, flagris cædentes deprehenſas in leviore crimine, *ſtupratas* vero miſerabili, longeque fœdiſſimo tradentes ſupplicio. Vivæ enim funebri pompa efferuntur, amicis ac cognatis cum lacrymis lecticam proſequentibus; delatæque ad *Collinam* portam extra muros, in ſubterranea cella ſepeliuntur, nec monumento dignitatis, nec parentatione, aliiſve ſolennibus defunctorum honoribus. Admiſſum autem circa ſacra *piaculum*, tum aliis prodigiis deprehenditur, tum maxime, ſi *ignis* extinguatur, quod formidoloſiſſimum Romanis habetur, ut perniciem civitati minitans, quæcunque tandem cauſa acciderit & poſt multam procurationem, alium ignem in templum inferunt. Hactenus *Dionyſius*. Vbi quæ ſcribit de pœna *Veſtalium* impudicarum, quam quidem à *L. Tarquinio Priſco* inſtitutam eſſe volunt. Plenius à *Plutarcho* explicantur: cum de iis verba faciens in hunc modum ſcribit: Si quid deliquerit, inquit, *Veſtalis*, verbera ei à ſummo *Pontifice* infliguntur, aliquando etiam nudæ, linteo prætenſo, in obſcuro, & umbroſo loco. At quæ virginitatem polluit, viva defoditur juxta portam *Collinam*. Eſt ibi intra urbem tumulus quidam terreus, in longum porrectus, *Aggerem* Latini vocant: in eo domus ſubterranea non magna, in quam ex ſuperiori parte deſcenſus fit, paratur: in eaque lectus conſtratus, lucerna ardens, paucæque eorum, quæ ad vitam fovendam neceſſaria ſunt, primitiæ reponuntur, ut *panis*, *aqua*, *lac* in vaſculo, & *oleum*, tanquam nefas putent fore, ſi corpus ſummis conſecratum ſacrimoniis fame pereat. Tum illam, quæ ſupplicio eſt afficienda, lecticæ impoſitam extra opertæ, loriſque revinctam, ita ut ne vox quidem exaudiri poſſit, per forum vehunt: ei omnes via decedunt taciti, & ingenti cum mœſtitia ſilentes tranſmittunt, neque eſt horribilius ullum ſpectaculum, aut dies, quam urbs agat triſtiorem. Vbi ad locum, quem dixi, lectica pervenit, vincula lictores ſolvunt: aut *princeps ſacrorum* ſecreto quædam comprecatus manibus ad Deos ſublatis, antequam neceſſitati ſupplicii ſatisfaciat, oblevatam educit, & in ſcalis deorſum in domum deferentibus conſtituit, ita ipſe cum reliquis *Sacerdotibus* revertitur. Poſtquam damnata deſcendit, ſurſum gradus attrahunt, multaque ſuperne terra ingeſta domus occulitur, complanaturque. Hactenus *Plutarchus*.

Sextus Pompejus Feſtus tradit, *Sceleratum* campum appellari proxime portam *Collinam*, in quo *virgines Veſtales*, quæ inceſtum fecerint, vivæ ſunt defoſſæ. Cauſas autem, propter quas *Veſtales* tali ſupplicio, non alio, afficiantur, idem auctor inquirit, & tradit has: vel, quod mortuos tantum cremēnt, injuſtum autem eſſe eam cremare, quæ ſacrum ignem non pie cuſtodiverit: vel quod corpus ſummis conſecratum cæremoniis interficere, & manus adferre *ſacræ mulieri*, nefas cenſeant, ipſamque ultro mori volentes, infra terram demittant, in extructum ad hoc domicilium. Hæc *Plutarchus*. Morem eum à Græcis deſumptum eſſe *Guilhelmus Canterus* docet. Quod ſi *ignis* negligentia earum extinctus eſſet, nequaquam eum accendere ab alio igni licebat, ſed renovabant eum, flammamque eliciebant à Solis radiis puram & ſinceram. Eam ad rem inſtrumentis utuntur, quæ σκαφεῖα nominant. Sunt autem excavata in modum turbinis rectanguli: hæc ſi adverſo ſoli opponantur, fit ut radii Solares in circumferentiam undique incidentes, ad centrum omnes concurrant, itaque & aërem tenuem reddant, & materiam (quæ leviſſima, ſicciſſimaque inſtrumentis imponitur) ſtatim inflamment, quia videlicet radii *Solares* à corpore renitente ita coguntur, & ſtipantur, ut naturam ignis accipiat. Hactenus *Plutarchus*. Cum quo etiam *Feſtus*: Ignis *Veſtæ*, inquit, ſi quando interſtinctus eſſet, virgines verberibus afficiebantur à *Pontifice*, quibus mos erat tabulam facilis materiæ tamdiu terebrare, quouſque exceptum ignem cribro æneo virgo in ædem ferret. Honores illis redditi fuerunt, ut etiam vivo patre teſtamentum condere, ac cætera gerere ſine curatore poſſent, quemadmodum & trium filiorum matres, ut cum faſcibus, ſi prodirent, deducerentur. Et ſi caſu in quemquam incidiſſent, qui ad lethum ageretur, necari eum non licebat: verum dejerare *virginem* oportebat, ſe non ultro, ſed forte; non autem dedita opera, & de induſtria obviam factam. Qui autem occurreret, cum ipſo feretro veheretur, moriebatur. *Plutarchus*. Plinius ſcribit, *Veſtales virgines* ſervos fugitivos, ne urbe exirent, precationibus ſuis retinere, item crinem ſuum ad *Loton* arborem Romæ vetuſtiſſimam, cognomento *capillatam*, conſecrandam deferre fuiſſe ſolitas. Cæterum cujus ætatis, ex qua familia, & quo ritu *virgo Veſtalis* capi ſolita fuerit, eleganter docet *Agellius*, cujus verba, quemadmodum à *Lud. Carrione* reſtituta ſunt, adſcribam. Qui, inquit, de *Veſtali virgine* capienda, ſcripſerunt (quorum diligentiſſime ſcripſit *Labeo Antiſtius*) minorem quam annos VI. majorem quam annos X. natam negaverunt capi fas eſſe. Item, quæ non ſit *patrima* & *matrima*. Item, quæ lingua debili ſenſuve aurium deminuta, aliave quavis corporis labe inſignita ſit. Item, quæ ipſa, aut cujus pater emancipatus ſit, etiamſi vivo patre in avi poteſtate ſit. Item, cujus parentes alter ambove ſervierint, aut in negotiis ſordidis deſervierint. Sed eam, cujus ſoror ad id ſacerdotium lecta ſit, excuſationem mereri ajunt. Item, cujus pater *Flamen*, aut *Augur*, aut *Quindecimvir* ſacris faciundis, aut qui *Septemvir Epulonum*, aut *Salius* ſit. Sponſæ quoque *Pontificis*, & tibicinis ſacrorum filiæ vacatio à ſacerdotio iſto tribui ſolet. Præterea *Capito Atteius* ſcriptum reliquit: Neque ejus legendam filiam, qui domicilium in Italia non haberet, & excuſandam ejus, qui libros treis non haberet. *Virgo* autem *Veſtalis*, inquit *Agellius*, ſimulatque capta, atque in atrium Veſtæ deducta, & *Pontificibus* tradita eſt, eo ſtatim tempore ſine emancipatione, ac ſine capitis minutione è patris poteſtate exit, & jus teſtamenti faciundi adipiſcitur. De more autem, rituque capiundæ virginis, literæ quidem antiquiores non extant: niſi quod fertur, quæ capta prima eſt, à *Numa* Rege eſſe captam. Sed *Papiam legem* invenimus, qua cavetur, ut *Pontificis Maximi* arbitratu *virgines* è populo viginti legantur: ſortitioque in concione ex eo numero fiat, & cujus virginis ducta erit, ut eam *Pontifex Maximus* capiat, eaque *Veſtæ* fiat. Sed ea ſortitio ex *lege Papia* non neceſſaria nunc videri ſolet: nam ſi quis honeſto loco natus adeat *Pontificem Maximum*, atque offerat ad ſacerdotium filiam ſuam, cujus duntaxat, ſalvis religionum obſervationibus, ratio haberi poſſit, gratia *Papiæ legis* per Senatum fit. Capi autem virgo propterea dici videtur, quia *Pontifex Maximus* manu prenſa ab eo parente, in cujus poteſtate eſt, veluti bello capta abducitur. In lib. I. *Fabii Pictoris*, quæ verba *Pontificem Maximum* dicere oporteat, cum virginem capit, ſcriptum eſt. Ea hujuſmodi ſunt: SACERDOTEM. VESTALEM. QVÆ. SACRA. FACIAT. QVÆ. IOVS. CIET. SACERDOTEM. VESTALEM. FACERE. PRO. POPVLO. ROMANO. QVIRITIBVSQVE. VTIQVE. OPTVMA. LEGE. FIAT. ITA. TE. AMATA. CAPIO. Præterea in Commentariis *Labeonis*, quæ ad duodecim tabulas compoſuit, ita ſcriptum eſt: *Virgo Veſtalis* neque hæres cuiquam inteſtato, neque inteſtatæ quiſquam, ſed bona ejus in publicum redigi ajunt. Id quo jure fiat, quæritur. Amata inter capiendum à *Pontifice Maximo* appellatur: quoniam quæ prima capta eſt, hoc fuiſſe nomine, traditum eſt. Hactenus *Agellius*, qui etiam alibi recitat verba Prætoris ex dicto perpetuo de *Flamine Diali*, & *de Sacerdote Veſtæ*, hæc: SACERDOTEM VESTALEM ET FLAMINEM DIALEM IN OMNI MEA IVRISDICTIONE IVRARE NON COGAM. Alebantur *Veſtales* ſumptibus publicis. Duravit autem earum ſacerdotium uſque ad *Theodoſii* ſenioris Imperatoris tempora, quo regnante, una cum aliis Sacerdotiis, nequicquam reclamante Senatu, omnino eſt ſublatum, id quod ex Epiſtolis *Symmachi*, & *Ambroſii* reſponſionibus manifeſtum eſt.

CAP. XX.

De Saliis Palatinis XII.

Sexta pars legum ad religionem pertinentium, inquit *Dionyſius*, tractabat jura eorum quos Romani vocabant *Salios*, de quibus nos hoc cap. agemus. Vnde nomen acceperint, dubitatur inter veteres ſcriptores. Plerique enim à *ſaliendo* vel *ſaltando* eos dictos fuiſſe ſcribunt, quod id facere in comitio in ſacris quotannis & ſolerent, & deberent. Quidam tamen eos à *Salio* quodam, vel *Saone* ſic appellatos volunt, id quod *Sextus Pompeius Feſtus* his verbis docet: *Salios*, inquit, à *ſaliendo* & *ſaltando* dictos eſſe, quamvis dubitari non debeat, tamen *Polemon* ait, Arcada quendam fuiſſe nomine *Salium*, quem Æneas à Mantinea in Italiam deduxerit, qui juvenes Italicos ἐνόπλιον *ſaltationem* docuerit. At *Critolaus* Saonem ex Samothrace cum Ænea *Deos Penates*, qui Lavinium tranſtulerit, *Saliare* genus ſaltandi inſtituiſſe, à quo appellatos *Salios*. Plerique tamen à *ſaltando* id nomen deducunt, quos & nos ſequimur. Inſtituti primum ſunt, *Livio*, *Dionyſio* & *Plutarcho* teſtibus, à Numa Pompilio Rege qui, ut pleraque ſacra inſtituit, & Sacerdotes ſingulis præfecit, ita etiam *Salios* XII. ex Patricio ordine elegit, qui *Marti* ſacra in Palatio celebrarent: unde etiam *Palatini* ſunt appellati. Hi erant, ut *Dionyſius* lib. 2. inquit, ſaltatores quidam, & laudatores Deorum belli præſidum. Feſtum autem eorum incidit in *panathenæa* Græcorum, menſemque *Martium*, agiturque publice ad dies aliquot, per quos tota Vrbe choreas ducunt uſque in forum & *Capitolium* aliaque loca, tam privata, quam publica, æreis balteis ſuccincti ſuper pictas tunicas, & induti aſtrictas fibulis prætextas, quas vocant *trabeas*, quæ Romanorum veſtis eſt propria, & honorata cum primis. Geſtant etiam capitibus, quos vocabant *apices*, faſtigiatos in altum pileos. Græci appellant *Cyrbaſias*. Accinguntur autem ſinguli gladio, dextra tenentes lanceam, aut virgam, aut tale quid aliud: ſiniſtra vero *ancyle*, Thraciæ cætræ ſimile. Et paulo poſt: Geſticulantur militariter ad tibiæ modulos, nunc ſimul, nunc per vices, interim canentes pæana quendam patrium. *Saltationem* autem armatam, quæ colliſis ad ſcutum gladiis crebros ciet ſtrepitus, ſi quid credendum eſt antiquis Scriptoribus, primi *Curetes* inventam tradiderunt poſteris, &c. Hactenus ille. Eadem *Livius* tradit, ſed brevius *Salios*, inquit, duodecim *Marti Gradivo* legit, tunicæque pictæ inſigne dedit, & ſuper tunicam æneum pectori tegmen: cœleſtiaque arma, quæ *Ancylia* appellantur, ferre, ac per urbem ire canentes carmina cum tripudiis, ſolennique ſaltatu juſſit. Cœtus *Saliorum* dicebatur *Collegium*, quibus qui præerat, & eos quaſi moderabatur, dicebatur *Magiſter Saliorum*: item *Præſul*. Vnde *Lucilius*:

Præſul ut amptruat, inde & volgu' redamptruat olli.

Redamptruare, ait *Feſtus*, quemadmodum *Ioſeph. Scaliger* in lucem edidit, dicitur in *Saliorum* exultationibus, cum præſul *amptruavit*: quod eſt, motus edidit, & referuntur invicem iidem motus. Cæterum carmina, quæ à *Saliis* fiebant, & canebantur, vel in Deos facta erant, & dicebantur ab eorum nominibus verſus *Ianualii*, *Iunonii*, *Minervii*: vel in univerſos homines componebantur, & appellabantur *axamenta*, auctore *Feſto*, ab *axare*, quod eſt nominare: vel, uti *Scaligero* placet, quod in axibus, ſeu tabulis deſcribebantur, quemadmodum apud Græcos leges. Primum *Saliare carmen* compoſuiſſe fertur *Numa Pompilius*, quod omnium Latinorum carminum antiquiſſimum fuiſſe dicitur, & idcirco obſcuriſſimum, id quod & *Cicero* ac alii veteres Scriptores ſæpiſſime teſtantur, & multa vocabula ex eo à veteribus Grammaticis citata, probant. De *Ancylibus*, quibus uſi *Salii* fuerunt, vel potius quorum cuſtodiæ præpoſiti fuerunt, pauca adhuc adjiciam. *Feſtus*: Numa Pompilio regnante è cœlo cecidiſſe fertur *ancyle*, id eſt, ſcutum breve, quod ideo ſic eſt appellatum, quia ex utroque latere erat reciſum; ut ſummum infimumque ejus latius medio pateret, unaque edita vox, omnium potentiſſimam fore civitatem, quamdiu in ea manſiſſet. Itaque facta ſunt ejuſdem generis plura, quibus id miſceretur, ne internoſci cœleſte poſſet, probatum opus eſt maxime *Mamurii*: qui præmii loco petiit, ut ſuum nomen inter carmina *Salii* canerent, &c. Vnde *Mamurii Veturii* nomen frequenter in cantibus Romani frequentabant. Vide & *Servium*, *Plutarch. Ald. Manutium* lib. 2. de Quæſitis per epiſtol. & alios.

VIRGINES SALIARES.

Virginum *Saliarium* ſolus, quod ego ſciam, meminit *Sext. Pompeius*, his verbis: *Saliares Virgines* Cincius ait eſſe conductitias, quæ ad *Salios* adhibebantur, cum apicibus paludatæ, quas *Ælius Stilo* ſcripſit ſacrificium facere in Regia cum Pontifice, paludatas cum apicibus, in modum *Saliarum*. Hæc ille. Vide Fig. *c*. notat.

CAP. XXI.

De Fetialibus, & Patrepatrato.

Fetiales dicti, quod fidei publicæ inter populos præerant. Nam per hos fiebat, ut juſtum conciperetur bellum, & inde deſitum. & ut fœdere fides pacis conſtitueretur. Ex his mittebant, antequam conciperetur, qui res repeterent: & per hos etiam nunc fit fœdus. Hactenus *Varro*. Quando *Fetiales* primum Romæ

inſtituti & creati ſint, quæque eorum munera fuerint, perſpicue docet *Dionyſius* lib. 2. cujus hæc ſunt verba: Septima legum ſacrarum pars dicata erat *Collegio Fetialium*, quos Græci εἰρηνοδίκας dicerent: hi ſunt ſelecti è præſtantiſſimis familiis, funguntur que per omnem vitam eo *ſacerdotio*, primo *Numa* hujus ſacri magiſtratus auctore, &c. Et paulo poſt: Longum autem eſſet recenſere omnia *Fetialium officia*, ſed in ſumma ſunt hæc: Dare operam, ne Romani ulli fœderatæ civitati injuſtum bellum inferant: quod ſi qua prior contra fœderis conditiones aliquid commiſerit, *Legatos agere*, & verbis primo ſuum jus repetere: quod ſi deſignetur facere poſtulata, tum vero bellum indicere. Itidem ſi qui illatam ſibi contra fœdus querantur injuriam, cauſam eorum cognoſcere, & comperto crimine ſontes comprehenſos læſis dedêre: judicare item de *Legatorum injuriis*, & dare operam, ut ſerventur conditiones fœderum: pacem etiam conficere, aut ſi parum legitime facta videatur, irritam reddere: præterea ſi quid *Imperatores* contra jusjurandum peccaverint, cognoſcere atque expiare. Eadem fere *Plutarchus* ſcribit in *Numa*, ſed brevius: *Fetiales*, inquit, quidam pacis cuſtodes, & (ut mea fert opinio) ab re ipſa nomen capientes, *controverſias* vero ſedabant, cum non permitterent prius militare, quam omnis judicii ſpecies abſciſſa eſſet. Etenim *pacem* Græci vocant, quando verbo, non vi inter ſe utentes, controverſias ſolvunt. At Romanorum *Fetiales* ſæpe ad eos ibant, qui injuriam inferrent, illiſque ſuadebant, ut ſe benevole & amice gererent: iis autem inimice ſeſe, & pro voluntate gerentibus, *Deos* teſtati, & multa gravia in eos eorumque patriam imprecati, niſi juſte rem aggrediantur, ſic eis bellum indicebant: *Fetialibus* vero prohibentibus, aut minus comprobantibus, neque militi fas erat, neque regi Rom. arma movere: ſed ab his neceſſe erat initium belli pro jure *Princeps* accipere, & tum demum communi commodo proſpicere. Hactenus *Plutarchus*. Vnus *Fetialium* dicebatur *Paterpatratus*. Erat autem is, cui pater & cui filii erant, & maximus habebatur, teſte *Plutarcho*, ubi appellationis cauſas inquirens, has adfert: vel quod & liberos revereantur ſuos, & timeant genitores: vel quod ſint perfecti, ut ipſum nomen ſonat. *Patratum* enim eſſe quaſi perfectum & abſolutum, *perfectiorem* autem eſſe, qui vivo patre pater eſſet factus, vel quod jurejurandi & pacis præſidem oporteat ſimul prorſum & retrorſum videre: id vero maxime præſtare poſſe eum, qui & filium habeat, de quo conſultet, & patrem qui cum deliberet. Addit *Plutarchus*, *Fetiales* etiam ſuo tempore privilegium, auctoritatemque aliquam retinere. *Prætores* enim corpora, quæ ob formam & florem ætatis cuſtodia opus habuerint pudica, eorum fidei commendaſſe. De *Fetialibus*, loquitur lex *Ciceronis*: Fœderum, pacis, belli, induciarum, *Oratores Fetiales* judices duo ſunto, bellaque diſceptanto: Obſoleviſſe autem hunc morem per *Fetiales* res repetendi, & bellum indicendi ſuo tempore, *M. Ter. Varro* docet, cum ait: Per eos factum eſſe, ut juſtum conciperètur bellum, & inde deſitum. Sic enim illud verbum *Adr. Turnebus* & *Ioſeph. Scaliger* exponunt, & lib. 12. de vita populi ad Nonium ſic ſcribit *Varro*: Itaque bella & tarde, & nulla licentia ſuſcipiebant, & quod bellum nullum niſi pium putabant geri oportere, priuſquam indicerent bellum iis, à quibus injurias factas ſciebant: *Fetiales* legatos repetitum mittebant IV. quos *Oratores* vocabant. Et lib. 3. Si cujus legati violati eſſent, qui id feciſſent, quamvis *Nobiles* eſſent, ut dederentur civitati, ſtatuerunt, *Fetialeſque* XX. qui de his rebus cognoſcerent, judicarent, & ſtatuerunt, & conſtituerunt, &c. De ritibus indicendi belli & feriendi fœderis, libro *de militia* dictum.

AD CAP. XXI. PARALIPOMENA.

Fetialium origo, haſta Imperii ſymbolum, haſtata Roma ipſa.

De belli indicendi per fetiales ritu, expediam l. 10. cap. 1. infra. Hic ſolum pauca obiter de iis perſtringam. Ac primum, adhibebantur illi in conſilium belli indicendi. T. Liv. 4. Decad. l. 1. in principio: *Conſulti fetiales à conſule Sulpitio, bellum quod indicerent regi Philippo, utrum ipſi utique nuntiare deberent, an ſatis eſſet in finibus regni, quod proximum præſidium eſſet, eo nuntiari, Fetiales decreverunt, utrum eorum feciſſet, recte facturum.* Origo eorum antiquiſſima. nam tempore regum fetialium in hiſtoria Romana mentio apud eundem T. Livium 1. Decad. l. 1. in rebus Romuli, & clarius in Anco Martio. Imo & apud antiquos Aborigenes eorum uſus, dictique σπονδοφόροι, *libaminum latores*. Dionyſ. Halicarnaſſ. l. 1. Meminit frequentiſſime Servius Maurus ad l. 8. Æneid. Principium ad illud l. 1. Æneid.

Principium pugnæ.

Et ad illud l. 10. Æneid.

—— *Tunc res rapuiſſe licebit.*

Denique ad illud l. 12. Æneid. verbena coronabantur:

—— *Verbena tempora vincti.*

Et capite velato hoſtibus bellum indicebant. Iac. Schegkius Prænetior. libello epiſt. 10. Mentio etiam fetialium in antiquo marmore, cujus fragmentum inſeram, ex Aldo Manutio in Ortographiæ ſuæ ratione pag. 352.

P. CORNELIO. LENTVLO. SCIPIONI. COS. PRÆF. ÆRARI. LEGATO. TI. CÆSARIS. AVG. LEG. LEG. VIII. HISPANICI. FETIALI.

D. D.

Corrigendus locus è Bucolico carmine Titi Calphurnii Siculi, terſiſſimi poetæ, ita ille Ecloga 1. v. 53.

Candida Pax aderat, nec ſolum candida vultu,
Qualis ſæpe fuit, quæ libera Marte profuſo,
Quæ domito procul hoſte, tamen graſſantibus armis
Libera diffudit tacito diſcordia ferro.

Primus verſus deſumptus videtur ex Albio Tibullo, apud quem l. 1. eleg. ult.

Interea Pax arva colat, Pax candida primum
Duxit araturos ſub juga panda boves.

C. Petron. in Civilibus:

Pax prima ante alias, niveos pulſata lacertos,
Abſcondit galea victum caput.

Cenſuerim tamen legendum, in laudato Calphurnii verſu hoc modo.

—— *Nec ſolum candida cultu.*

Auctor lectionis mihi Corippus Africanus l. 2. num. 3.

Æquiparans humeris matrem, ſic lucida cultu,
Sic niveis formoſa genis.

 M. Mar-

M. Martial. l. 8. epigram. 64. eodem modo corrigendus:

Hic laurus redimita comas, & candida cultu
Roma, salutavit voce manuque ducem.

In secundo versu Calphurnii pessime hactenus, *Marte profuso*, nisi forte dicamus, *Martem diffusum* esse cladem belli in omnes dispersam, sed nugæ: lego ergo:

——— *Libera Marte professo.*

Id est, bello indicto, aperto, aut per fetiales denunciato. In ultimo versu, *diffundere libera discordia*, fateor mihi non intellectum, nisi fides adhibenda sit Victori Gifelino, qui se in quinque codicibus manu exaratis, apud Aurelium Prudentium reperisse se ait *discordium*, pro dissidio, contentione, sed nusquam id mihi lectum, nec auditum. Eodem modo, *discordis*, id est, *discors*, in nova vocis origine reperitur. Pomponius Bononiensis in Satyra citante Prisciano l. 7. in fine:

Blanda, fallax, impotens, superba, discordis.

Et hanc vocem in Claudiano reponendam admonuit me vir literatissimus, & de Græcis Latinisque pariter authoribus optime meritus Franciscus Zizæus Xantho. Ita igitur ille de 4. Honor. consul.

Hanc tamen haud quisquam, qui non agnoverit ante
Semet, & incertos animi placaverit æstus,
Inveniet, longis illuc ambagibus itur,
Discordia quod quisque sibi.

Antea nullo sensu legebatur:

Disce, orbis quod quisque sibi.

Existimo nihilominus commodo sensu posse in eo carmine legi:

Libera diffudit tacito discrimina ferro.

Ad fetiales regredior, qui bellum indicturi hastam in fines hostium intorquebant, quod non minus in consuetudine Barbaris quam Romanis fuit, & Græcis. *Nam Alexander in Persidem profecturus, à navi in littus hastam ejaculatus est, terramque primus egressus navigio, quasi captivam cepit.* Diodor. Sicul. l. 7. c. 2. in principio. & Romani Carthaginensibus bellum indixerunt *missa hasta*, Fest. Pomp. l. 8. Illi autem bellum illatum propulsarunt, *missis hasta caduceoque.* A. Gell. l. 10. c. 27. Alludit ad ritum Ammianus Marcellinus lib. 19. in limine: *Vibrambates hastam infectam sanguine, ritu patrio, nostrique conjecerat more fetialis, armis exercitus concrepans, involat in muros.* Fest. Pompejus l. 2. *Bellona dicebatur dea bellorum, ante cujus templum erat columella, qua bellica vocabatur, supra quam hastam jaciebant, quum bellum indicebatur.* Meminit P. Victor in 9. Reg. Ovid. l. 6. Fastor.

Prospicit à tergo summum brevis area circum,
Est ubi non parvæ parva columna notæ.

Hinc solet hasta manu belli prænuntia mitti,
In regem, & gentes, cum placet arma capi.

Poëtæ passim. Sidon. Apollinar. Carm. 5. v. 61.

O Latii sopite vigor, tua mœnia ridet
Insidiis cessisse suis, non concussus hastam?

Stat. l. 12. Thebaid. v. 659.

Ite alacres, tantæque, precor, confidite causæ
Dixit, & emissa præceps iter inchoat hasta.

Virgil. l. 9. Æneid. in limine. de Turno Ardeam obsidente:

Sic ait, & jaculum emittens intorsit in auras,
Principium pugnæ.

Hasta hæc sanguine erat infecta, quod de Marco Antonino in Marcomannicum bellum proficiscenti notavit ex Dione Coceiano, Adrianus Turnebus l. 25. c. 18. ut non immerito Bellonam belli præsidem hastatam finxerit Papinius lib. 2. Thebaid. v. 721.

Nec minus ardentes Mavors, hastataque pugna
Impulerit Bellona tubas.

Et l. 7. Thebaid. v. 72.

——— *Regit atra jugales*
Sanguinea Bellona manu longoque fatigat
Cuspide.

Puto, quod *telum belli maxime idoneum fuerit hasta*, maximique & pretii, & usus, in qua veluti *vis quædam imperii* tacita continebatur, quare & *deorum statuis hastas addebant.* Servius ad illud Virgilii l. 1. Æneid.

——— *Hic illius arma,*
Hic currus fuit.

Et ipsa *dea Roma hastata* depingebatur, locabatur, in urbe, in Italia, in provinciis. neque modo florente antiquæ Reip. statu, sed etiam posterioribus declivis, & jam lapsi imperii temporibus. Claudian. lib. de bello Gildonico, de Roma mæsta:

——— *Humeris vix sustinet ægris*
Squallentem clypeum, laxata casside prodit
Canitiem, plenamque trahit rubiginis hastam.

Et l. 2. de Laudib. Stilichon.

——— *Cuspis trabe surgit eburna.*

Et de consul. Olybrii & Probini, de eadem Roma:

Sive petat Parthos, seu cuspide terret Hydaspen.

Sidon. Apollinar. Carm. 2. in ejusdem deæ descriptione:

——— *Micat hasta minax.*

Et Carm. 7. in limine:

——— *Pendent crines de vertice tecti*
Pulvere, non galea, clypeusque impingitur ægris
Gressibus, & pondus, non terror, fertur in hasta.

CAP. XXII.

De Pontificibus & Pontifice Maximo.

Vltima Numæ institutorum, inquit *Dionys.* lib. 2. continebat sacra maximi apud Rom. sacerdotii, & cujus potestas est amplissima. Hi ab uno suorum operum, videlicet sarciendo ponte sublicio, vocantur *Pontifices*, summa auctoritate præditi, &c. Quod hic de etymologia nominis *Dionys.* tradit, dictos eos esse *Pontifices* à ponte & facere, id confirmat *Varro*, cum lib. 4. de ling. Lat. sic scribit: *Pontifices* ego à ponte arbitror dictos. Nam ab iis *sublicius* est factus primum, & restitutus sæpe, quum ideo sacra & uls & cis Tiberim non mediocri ritu fiant. Idem tamen annotat, *Q. Scævolam Pontificem* maximum voluisse, eos à posse & facere hoc nomen habere: quod scilicet *facere*, id est, offerre, vel sacrificare possint. Hi, quemadmodum *Dion.* l. 2. scribit, à Numæ temporibus usque ad annum Vrbis circiter DCCL. à collegio *Pontificum* cooptari soliti fuerunt. Non enim Comitiis à populo creabantur, donec *Cn. Domitius, Cn. F. Ahenobarbus* Tribunus pleb. *Pontificibus* offensior, quod alium quam se in locum patris sui *Cn. Domitii* cooptassent, lege lata, jus *Sacerdotum* subrogandorum à *Collegiis* ad populum transtulit, id quod & *Cicer.* in Rullum, & *Tranquil.* in Nerone tradunt. Hanc vero legem à *L. Sulla* dictatore plebi offensiore abrogatam, restituit *M. T. Cicerone, M. Antonio Coss. T. Labienus* Trib. pleb. teste *Dione* l. 37. Postea sub Augusto iterum abrogata lege Domitia, *Collegiorum* primo, deinde Romanorum Principum arbitrio *Pontifices* & reliqui Sacerdotes cooptari cœperunt.

Ad numerum *Pontificum* quod attinet, IV. tantum à *Numa* instituti traduntur, qui omnes ex Patriciis semper

semper cooptati sunt, usque ad annum Vrbis CDLIV. quo tempore *Q. Apuleio Pansa*, & *M. Val. Corvo* v. Coss. Q. & Cn. *Ogulnii* Trib. pleb. legem tulerunt, ut numerus *Augurum* & *Pontificum* augeretur, & pars eorum ex plebe crearentur. Qua de re *Livius* ita scribit. Hoc anno, ne undique tranquillæ res essent, certamen injectum est inter *Primores* civitatis, *Patricios*, *Plebeiosque* à Tribunis pleb. Q. & Cn. Ogulniis. Qui undique criminandorum patrum apud plebem occasionibus quæsitis, postquam alia frustra tentata erant, eam actionem susceperunt, qua non infimam modo plebem accenderent, sed ipsa capita plebis, *Consulares*, triumphalesque plebeios, quorum honoribus nihil præter *sacerdotia*, quæ nondum promiscua erant, deesset. Rogationem ergo promulgarunt, ut cum IV. *Augures* IV. *Pontifices* ea tempestate essent placeretque augeri *Sacerdotum* numerum, V. *Pontifices*, V. *Augures* de plebe omnes allegerentur. Eam rem juxta ægre passi *Patres*, quem cum *Consulatum* vulgari viderent: simulabant ad Deos id magis, quam ad se pertinere, ipsos visuros, ne sacra sua polluantur: Id se optare tantum, ne qua in Rempubl. clades veniat. Minus autem tetendere, assueti jam tali genere certaminum vinci, & cernebant adversarios non id quod olim vix speraverint, affectantes magnos honores: sed omnia jam, in quorum spem dubiam erat certatum, tamen adeptos multiplices *Consulatus*, *Censurasque*, & *Triumphos*, &c. Et paulo post: Vocare *Tribus* ex templo populus jubebat, apparebat accipi legem: ille tamen dies est intercessione sublatus: postera die deterritis *Tribunis* ingenti consensu accepta est. *Pontifices* creantur, suasor legis *P. Dec. Mus*, *P. Sempr. Sophus*, *C. Marc. Rutilius*, *M. Livius Denter*, &c. Ita IIX. *Pontificum* numerus est factus, qui usque ad *L. Sullæ Felicis* Dictaturam mansit. Is enim cum adversæ partis factionibus cæsis, *dictator* renunciatus fuisset, inter multa quæ aut abrogavit, aut addidit, *Pontificum* quoque & *Augurum Collegium* ampliavit, ut essent XV. *Pontifices*, & XV. *Augures*. *Florus* Epit. 89. Ex quo Sullæ facto duplex factus est *Pontificum* ordo. Primi enim IIX. & ii deinceps qui in eorum locum cooptati sunt, *Pontifices majores* appellati, reliqui vero VII. *minores Pontifices* dicti sunt, quorum passim & apud veteres Scriptores, & in vetustis Epigram. mentio fit. Vniversus *Pontificum* cœtus *Collegium* vocabatur, quemadmodum ex *Cic.* oratione ad Pontifices pro Domo, & de *Haruspicum responsis*, item ex antiquis inscriptionibus liquet.

De Pontificum muneribus & dignitate hæc tradit *Dionys.* lib. 2. *Pontifices*, inquit, de omnibus causis ad sacra pertinentibus indicant, tam inter magistratus sacrificos, quam inter privatos homines: novasque leges de sacris arbitratu suo condunt, sicubi destituuntur scriptis legibus: & *magistratus*, penes quos ceremoniæ sunt, ac sacrificia, *sacerdotesque* omnes examinant: *ministros* quoque sacrorum in officio continent, ne quid præter solennes ritus faciant, à profano etiam & imperito vulgo consuluntur de cultu *Deorum*, ac *geniorum*, aliisque religionibus, quod si quem animadvertant præscripta sua contemnere, eum mulctant pro delicti magnitudine. Ipsi nullius potestati sunt obnoxii, nec tenentur ad reddendam rationem vel *Senatui*, vel *Populo*. Id genus *Sacerdotes*, sive sacri *Doctores*, sive sacrarum legum consulti, sive *sacrorum custodes* recte dicendi sunt: ego *Hierophantas* nostris appellari dixerim. In defuncti locum alius solet subrogari, non populi suffragiis, sed qui *Collegio* maxime videatur idoneus ex omni numero: nec nisi inauguratus ad sacerdotium admittitur. Hactenus *Dionysius*. Quæ fere eadem etiam à *Cicerone* referuntur, cum in oratione pro Domo sua ad Pontifices sic loquitur. Cum multa divinitus *Pontifices* à majoribus nostris inventa, atque instituta sunt, tum nihil præclarius, quam quod vos eosdem & religionibus Deorum immortalium, & summæ Reipublicæ præesse voluerunt, ut amplissimi & clarissimi cives *Rempublicam* bene gerendo, *Pontifices* religionem sapienter administrando, Rempublicam conservarent. Quod si ullo tempore magna causa in *Sacerdotum* populi Romani judicio, ac potestate versata est: hæc profecto tanta est, ut omnis Reipublicæ dignitas, omnium salus, vita, libertas, aræ, foci, Dii penates, bona, fortunæ, domicilia, vestræ sapientiæ, fidei, potestatique commissa & credita esse videantur. Et paulo post ad Lentulum, unum ex *Pontificibus*: Te appello, inquit, *Lentule*, tui Sacerdotii sunt *tensæ*, *curricula*, *præcentio*, *ludi*, *libationes*, *epulæque ludorum*. Vosque *Pontifices*, ad quos *Epulones* Iovis Optimi Maximi, si quid est prætermissum, aut commissum, afferunt: quorum de sententia illa eadem renovata, atque instaurata celebrantur, &c.

Pontificum *Collegium* usque ad *Theodosii* Senioris Imperatoris tempora Romæ fuit. Quibus, religione *Christiana* omnia jam obtinente, Imperatoribusque antiquæ superstitioni adversantibus, uno edicto *Sacerdotum* omnium reditus fisco applicati sunt. Quare postea plane *Pontifices*, *Augures*, & reliqui *Sacerdotes* fieri desierunt, cum reditibus omnibus mulctati essent. *Zosimus*. Vnus *Pontificum* omnium supremus erat, qui *Maximus* dicebatur, à *Numa* institutus, quod ut *Dionysius* tradit, maximarum rerum, quæ ad sacra & religionem pertinent, judex esset, & vindex contumaciæ privatorum & magistratuum, de ejus creatione sic scribit libro primo *Livius*: Minoribus *Pontificibus* creatis, *Numa Pontificem* deinde *Maximum* Numam Marcium, M. F. ex Patribus legit, eique sacra omnia exscripta, exsignataque attribuit: quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa sacra fierent, atque unde in eos sumptus pecunia erogaretur. Cætera quoque omnia publica, privataque sacra Pontificis scitis subjecit, ut esset, quo consultum plebs veniret, ne quid divini juris negligendo patrios ritus, peregrinosque addiscendo, turbaretur. Nec cœlestes modo ceremonias, sed justa quoque funebria, placandosque manes, ut idem *Pontifex* edoceret, quæque prodigia fulminibus, aliove quo viso missa susciperentur, atque curarentur.

Hactenus *Livius*. Festus etiam ait, *Pontificem Maximum* judicem atque arbitrum rerum divinarum, atque humanarum esse. Cæterum *Pontifex Maximus* ex Collegio Pontificum creabatur, non quidem Collegarum cooptatione, ut in cæteris *Sacerdotiis* mos erat, sed populi tributis comitiis, ut ex omni *Livii* historia facile intelligi potest. Multo etiam tempore non nisi ex patribus creabatur, donec postremo omnibus honoribus plebi communicatis, *Pontifex* quoque *Maximus* ex plebe primus creatus est *T. Coruncanius*. Post quem multi tam *Patricii*, quam *plebeii Pontifices Maximi* creati fuerunt, usque ad *C. Iulium Cæsarem*. Quo mortuo in ejus locum *Pontificatum maximum* per vim invasit *Lepidus*; post cujus mortem id sacerdotium suscepit *Augustus*, quod Lepido vivo nunquam quanquam oblatum, recipere sustinuerat, ut *Tranquillus* tradit. Decens autem visum est, cum qui totius imperii possessionem adeptus esset, ipsam quoque supremam divinarum rerum auctoritatem, quæ hoc sacerdotio comprehendebatur, habere. Quare post *Augustum* omnes Romani Principes, qui sub Imperatoris nomine rei Romanæ præfuerunt, *Pontificatum maximum* vel susceperunt, vel se *Pontifices Maximos* appellari passi sunt: ut *Constantinus*, *Constantius*, *Valentinianus*, *Valens*, *& Gratianus Augustus*: qui Christianæ religioni addicti, quanquam à *Pontificis Maximi* munere abhorrerent, id tamen elogiis suis adscriptum non aspernati sunt, vel rejecerunt.

Primus omnium *Gratianus* Imperator edicto proposito (ut *Zosimus* docet) se *Pontificem Maximum* appellari vetuit, atque, ita ea sacerdotii dignitas in Imperatoribus defecit. Seriem *Pontificum Maximorum* à Numa Marcio, usque ad Titum Flavium Vespasianum Imperatorem Augustum collegit *Onuphrius*.

CAP. XXIII.

De Saliis Collinis XII.

SALII Palatini, de quibus ante diximus, à Numa instituti sunt. Hos vero *Tullus Hostilius* Rex ex voto creavit, de quibus *Dionysius* lib. 3. hæc memoriæ prodit: Pugnatum est ad Heretum CVII. ab Vrbe stadio, multis utrinque cadentibus. Cumque tum quoque diu æquo Marte certaretur, *Tullus* protensis ad cœlum manibus votum Diis fecit, si eo die *Sabinos* vinceret, *Saturno* & *Opi* se instituturum ferias, quas Romani post comportatas terræ fruges celebrare solent publice: duplicaturumque *Saliorum* numerum. Hi sunt genere *Nobiles*, certis temporibus armati saltantes ad tibiæ modulos, & patrios quosdam hymnos concinentes: Et ante cum de *Saliis Palatinis* loquitur: *Agonales*, inquit, sive, ut quidam appellare malunt, *Collini Salii* habent in collino tumulo sacrarium, post Numam instituti à Rege Hostilio, sicut bello *Salino* voverat. Meminit horum & *Varro* l. 5. de ling. Lat. his verbis in libris *Saliorum*, quorum cognomen *Agonensium*, &c. Ex quibus omnibus manifestum est, *Salios* hos non à Numa, verum à *Tull. Hostilio* rege ex voto institutos fuisse, ideoque à prioribus aliquo modo distinctos: & *Collinos* vel *Agonenses* dictos fuisse à monte, in quo sacrarium habuerunt. Aliter tamen de iis *Servius* Virgilii interpres scribit, quià *Josepho Scaligero* sic citatur. Duo sunt genera *Saliorum*, ut in Saliaribus carminibus invenitur, *Collini* & *Quirinales* à Numa instituti: ab *Hostilio* vero *Pavorii* & *Pallorii*. Addit *Scaliger*: Quos *Quirinales* hic vocat; sunt, qui aliter *Agonenses*. Nam & mons Quirinalis dicebatur *Agonalis*. Quæ præter hæc ad horum munus pertinent, ex *Saliorum Palatinorum* descriptione repetantur.

CAP. XXIV.

De Duumviris, Decemviris, & Quindecimviris sacris faciundis.

SACERDOTIUM hoc à *Tarquinio Superbo* Rege institutum est. Qua de re *Dionysius* l. 4. ex Varronis traditione hæc scribit: Venit ad Tyrannum externa quædam mulier IX. libros *Sibyllinorum* oraculorum venales offerens: cumque *Tarquinius* nollet eos tanti emere, quanti illa indicaverat, abiit, & *tres* exussit ex eo numero: nec multo post reliquos relatos tantidem obtulit: derisaque pro delira, quod tantum pro paucioribus peteret, quantum pro pluribus obtinere non potuerat; rursum discedens reliquorum cremavit dimidium: relatisque tribus, auri quantum antea petiit. Tum rex miratus mulieris consilium, accersivit *Augures*: reque denarrata, quid faciendum esset, eos consuluit. Illi *Auguriis* quibusdam edocti, aspernatum eum rem missam divinitus, & piaculum grave admissum, quod non omnes libros emerit, jusserunt numerari mulieri auri quantum peteret, & reliquum oraculorum redimi. Mulier datis libris diligenter eos servare monuit, nec posthac usquam visa est inter homines. *Tarquinius* Duumviros creavit ex numero *Nobilium*, hisque addidit duos ministros publicos, & per hos custodiri libros voluit. *Duumvirorum* alterum *M. Atilium*, visum non bona fide rem gerere, & ab uno ministrorum delatum patricidii, in culeum insutum projecit in mare. Expulsis postea Regibus *Sibyllinorum* cura devenit ad populum; is nobilissimos viros custodes eorum creavit, qui per totum vitæ tempus fungerentur eo munere, liberi alioqui ab omnibus militaribus atque civilibus muniis, hosque libros publice accipiunt, nec sine his cuiquam licet eos inspicere. Et ut compendio dicam, nullam rem, ne sacra quidem, Romani tam diligenter quam

quam *Sibyllina oracula* custodiunt. Vtuntur autem eis ex S. C. si quando seditionibus turbatur status Reipublicæ aut in bello insignis aliqua clades accepta est, aut prodigia quæpiam dubia, magnumque aliquid portendentia nunciata sunt, ut plerumque fit. Hi libri manserunt incolumes usque ad bellum *Marsicum*, in templi Capitolini cella subterranea, inclusi arcæ lapideæ asservati à *Decemviris*: post exactam vero III. supra c. & L. Olymp. cremato *Capitolio*, sive de industria, ut quidam autumant, sive fortuito incendio, cum aliis donariis Iovis, hi quoque igne absumpti sunt: Nam qui nunc extant è multis locis comportati sunt, partim allati ex Italicis urbibus, partim ex *Erythris* Asiæ, ex S. C. legatis illuc ad transcribendum missis, partim ex aliis urbibus, etiam à privatis hominibus descripti, in quibus inveniuntur quædam suppositititia. Hactenus *Dionysius*, quæ etiam habet *Agell.* lib. 1. cap. 19. *Solinus* cap. 8. & alii. *Lactantius* tamen cap. 6. lib. 1. Divinarum Institutionum, & *Servius* non Tarquinio Superbo, sed *Prisco* id adscribunt: quod temporibus est conformius. Nam (ut *Solinus* auctor est) fuit hæc *Sibylla* Romæ Olymp. L. qua regnavit *Tarquinius Priscus*. Ad libros etiam illos quod attinet, scribit *Plinius* l. 13. c. 13. non IX. sed III. tantum ad Tarquinium allatos esse, quorum II. fuerunt cremati, non VI. unus à *Tarquinio* emptus. *Duumviri* creati sunt usque ad annum CCCXXCIIX. tum numerus eorum auctus est. Tulerunt enim ad populum Trib. Pleb. *C. Licinius*, & *L. Sextius*, ut pro Duumviris sacris faciundis *Decemviri* crearentur, ita ut pars eorum ex plebe, pars ex patribus fieret. *Livius* l. 6. id quod usque ad L. Sullæ Felicis tempora est observatum, inde *Quindecimvirorum* mentio fit, ita ut verisimile sit *L. Sullam*, qui & reliquorum aliquot Sacerdotum numerum auxit, *Decemviris* aliis quinque additis, *Quindecimviros* instituisse. Post Sullam idem *Sacerdotium* mansit usque ad Theodosii tempora, quibus cum cæteris veteris superstitionis sacris abrogatum est. Porro autem ex 4. Cælii ad Cic. epistola colligi potest, populi suffragiis *Sacerdotes* hujus Collegii aliquando creatos, idque per legem *Domitiam*. Nam quod à Collegis ante eam legem cooptarentur, passim in *Livii* historia legitur, ubi de suffectis in demortuorum locum *Sacerdotibus* loquitur. Munus horum *Sacerdotum* quod fuerit, ex iis *Dionysii*, quæ attulimus, verbis satis intelligitur, videlicet libros *Sibyllinos* custodire, cum ex S. C. adeundi essent, adire, & quæ legissent, Senatui renunciare, & ea S. C. decreta procurare, *ludos Saeculares* celebrare, & postremo omnia peragere, quæ *Sibyllinorum* carminum jussu facienda erant, id quod præter *Dionysium*, & *Livium*, *Suetonius*, *Tacitus*, & alii docent. Libet tamen hoc loco addere *Varronis* locum de libris *Sibyllinis* & *Sibyllis*, qui extat apud *Lactantium Firmianum* libro primo Divinarum Institutionum, capite sexto: *Sibyllini* libri, inquit, non fuerunt unius Sibyllæ: sed appellantur uno nomine *Sibyllini*, quod omnes fœminæ vates *Sibyllæ* sunt à veteribus nuncupatæ, vel ab unius Delphidis nomine, vel à consiliis deorum denunciandæ. Σιὸς enim *Deos*, non Θεὸς, & consilium non βουλὴν, sed βολὴν appellabant, Æolico genere sermonis, itaque *Sibylla* dicta est, quasi Θεοβόλη. Cæterum *Sibyllæ* decem numero fuerunt. Prima fuit de *Persis*, cujus mentionem fecit *Nicanor*, quæ res gestas *Alexandri Maced.* scripsit. Secunda *Libyca*, cujus meminit *Euripides* in Lamiæ prologo. Tertia *Delphica*, de qua *Chrysippus* loquitur in eo libro, quem de Divinatione composuit. Quarta *Cumæa*, in Italia, quam *Nævius* in libris belli Punici, *Piso* in Annalibus annotat. Quinta *Erythræa*, quam *Apollodorus* Erythræus affirmat suam fuisse civem: camque Graiis Ilium petentibus vaticinatam, & perituram esse Troiam, & *Homerum* mendacia scripturum. Sexta *Samia*, de qua scripsit *Eratosthenes*, in Antiquis Annalibus Samiorum reperisse se scriptum. Septima *Cumana*, nomine *Amalthea*, quæ ab aliis *Demophile*, vel *Herophile* nominatur. Ea novem libros attulit ad Regem *Tarquinium Priscum*, ac pro eis trecentos Philippeos postulavit. Rex aspernatus pretii magnitudinem, derisit mulieris insaniam. Illa in conspectu Regis tres combussit: ac pro reliquis idem pretium postulavit. *Tarquinius* multo magis mulierem insanire putavit, quæ denuo tribus aliis exustis, cum in eodem pretio perseveraret, motus est Rex, ac residuos trecentis aureis emit: quorum postea numerus est auctus, *Capitolio* refecto, quod ex omnibus civitatibus & Italicis, & Græcis, & præcipue *Erythræis* coacti, allatique sunt Romam, cujuscumque *Sibyllæ* nomine fuerunt. Octava *Hellespontica*, in agro Trojano nata, vico Marpesso, circà oppidum *Girgithium*: quam scribit *Heraclides Ponticus*, Solonis & Cyri fuisse temporibus. Nona *Phrygia*, quæ vaticinata est Ancyræ. Decima *Tiburs*, nomine *Albunea*, quæ Tiburi colitur ut Dea, juxta ripas *Anienis*: cujus in gurgite simulacrum ejus inventum esse dicitur, tenens in manu librum, cujus sacra Senatus in Capitolium transtulit. Addit *Lactantius*: Harum omnium *Sibyllarum* carmina & feruntur, & habentur, præterquam *Cumeæ*, cujus libri à Romanis occuluntur: nec eos nisi à *Quindecimviris* inspici fas est. Et sunt singularum singuli libri: qui, quia *Sibyllæ* nomine inscribuntur, unius esse creduntur, suntque confusi, nec discerni, ac suum cuique assignari potest, præter *Erythrææ*: quæ & nomen suum Carmini verum inseruit: & *Erythræam* se nominat, ubi prælocuta est: cum esset orta Babyloniæ, &c. & paulo post de *Erythræa* plura verba faciens adducit *Fenestellam* de Quindecimviris sic scribentem: Restituto Capitolio retulisse ad Senatum *C. Curionem* Consulem, ut legati *Erythras* mitterentur, qui carmina *Sibyllæ* conquisita Romam deportarent. Itaque missos esse *P. Gabinium*, *M. Otacilium*, *L. Valerium*, qui descriptos à privatis versus circiter mille Romam deportarunt. Hactenus *Lactantius*. De Augusto Imperatore scribit *Tacitus* libro sexto Annal. cum eo tempore multa vana nomine Sibyllarum ferrentur, jussisse, eum conquisita *Samo*, *Erythræa*, *Ilio*, *Africa*, & per Italicas colonias carmina intra certum diem ad Præfectum Vrbis

Vrbis adferri, & judicium, cenſuramque *Quindecimvirorum* adhiberi, ne haberi privatim liceret, quod jam à majoribus erat cautum.

Trium *Sibyllarum* ſtatuæ Romæ erant juxta roſtra: una, quam *Pacuvius Taurus* Ædilis Plebis inſtituit: duæ, quas *M. Meſſala*. *Plinius* libro 34. capite 5. *Solinus* eas nominat *Cumanam*, *Delphicam*, & *Erythræam Heriphylem*. Plura de *Sibyllis* videas apud *Ludovicum Vivem* ad cap. 23. lib. 18. Aurelii Auguſtini de Civitate Dei, & alios.

AD CAP. XXIV. PARALIPOMENA.

Oracula Sibyllina, libri fatidici quomodo ſcripti, quot Sibyllæ, ut conſulerentur à XVviris.

Sacerdotium iſtud, ut omnia alia ſæpiſſime immutatum eſt. Nam primitus duo tantum deſignati erant, quorum curæ, fatalia regni pignora, ſeu libri Sibyllini committebantur inſpiciendi, ut veluti deorum oraculis præmoniti, malo obviam ire poſſent cives, quo ritu, quo exordio, qua dignatione, dicam paulo hic infra: Si prius in omnibus rebus dubiis Sibyllinos libros conſuli conſueviſſe ex hiſtorica fide, oſtendero. Deinde quamdiu duraverit hæc conſuetudo, & quot fuerint Sibyllæ, à quibus gentibus cultæ, clare oſtendam.

At primum in omni relatione prodigiorum ſeu duumviri, ſeu decemviri, ſeu denique quindecimviri libros, ut mederi poſſent, conſulebant. T. Liv. frequentiſſime, & alii, ſed præcipue 1. Decad. lib. 1. in Tarquinio Superbo. In principio videtur prodigia expiata ſentire, decreto tantum & præſcripto Augurum, non duumvirorum; Ita enim: *Anguis ex lignea columna elapſus cum ad publica prodigia Hetruſci tantum vates adhiberentur, ob hoc unum prodigium aruſpices in ſenatum vocati, atque ex reſponſo eorum ſupplicatio populo in unum diem indicta*, 4. Decad. lib. 2. in limine. *Incertum, mas an fœmina eſſet, natus erat, id aruſpices ex Hetruria acciti, fœdum ac turpe prodigium dixere.* 3. Decad. lib. 7. *In prodigium verſa ea tempeſtas, procurarique auſpices juſſerunt.* 4. Decad. libro decimo principio. eadem M. Lucan. libr. 1. v. 584.

Hac propter placuit Thuſcos, de more vetuſto
Acciri vates.

Vtrumque Claudianus conjunxit libr. 1. in Eutropium in principio:

Pandite Pontifices Cumanæ carmina vatis,
Immenſumque nefas fibris explorat aruſpex,
Quæ nova portendant ſuperi.

Tamen frequentius prodigia inſpectis Sibyllinis oraculis expiabantur. Idem Livius 4. decad. lib. 1. in limine. *M. Claudio, M. Livio coſſ. deportatus ſimilis prodigii fœtus, nihilominus decemviros adire libros de portentis juſſerunt, decemviri ex libris res divinas eaſdem, quæ proxime ſecundum id prodigium factæ eſſent, imperarunt.* 1. Decad. lib. 3. *Libri per duumviros ſacrorum aditi, pericula à conventu alienigenarum prædicta, ne qui in loca ſumma urbis impetus; cædeſque inde fierent, inter cætera monitum, ut à ſeditionibus abſtineretur.* 4. Decad. lib. 6. *Eorum prodigiorum cauſa libros Sibyllinos ex SC. cum decemviri adiiſſent, renunciarunt jejunium inſtituendum Cereri eſſe.* Ejuſdem Decadis lib. 7. in principio. *Supplicatio fuit, quibus diis, decemviri ex libris ediderunt, ut fieret, & decemviri lactentibus nocte rem divinam fecerunt.* 3. Decad. lib. 2. in limine: *Cum decemviri libros inſpexiſſent, eorum monitu decretum donum diis.* 4. Decad. lib. 8. *Supplicatio in triduum pro collegio decemvirorum imperata fuit in omnibus compitis.* Et lib. 10. *Decreverunt patres, ut coſſ. quibus vellent diis, hoſtiis majoribus ſacrificarent, & decemviri libros adirent, eorum decreto ſupplicatio circa omnia pulvinaria Romæ in unum diem indicta.*

Libri iſti non in chartaceis voluminibus deſcripti, ſed linteis. Q. Symmach. l. 4. Epiſt. 34. *Itane de me ludos facis, ut quæ apud te incurioſius loquor, in ſtyli caudice, aut ilice pugillares cenſeas transferenda, ne facile ſenecta papyri ſcripta corrumpat;* (in aliis melius, *ne facilis ſenectus papyri*) *& Marciorum quidem vatum divinatio caducis corticibus inculcata eſt, monitus Cumanos lintea texta ſumpſerunt: tu etiam ſericis voluminibus, Achæmenio more infundi literas meas præcipis.* Claudian. lib. de bello Getico:

Quid meditentur aves? quid cum mortalibus æther
Fulmineo velit igne loqui? quid carmine poſcat
Fatidico, cuſtos Romani carbaſus ævi?

Quæ tamen non ita intelligenda velim, ut ſoli Sibyllini libri in hujuſmodi linteis tabulis, ſeu lintea tela inductis ſcriberentur, cum alios etiam ſic ſcriptos reperiam, leges nempe; Conſtantinus Auguſt. tit. 27. lib. 11. C. Theodoſ. *de alimentis quæ inopes parentes de publico petere debent.* Lib. 1. ad Ablavium. *Æneis tabulis, vel ceruſſatis, aut linteis mappis ſcripta per omnes civitates Italiæ proponatur lex, quæ parentum manus à parricidio arceat.* Aut privatæ epiſtolæ principum, Fl. Vopiſc. in Aureliano, *Inveni nuper in Vlpia Bibliotheca, inter linteos libros epiſtolam D. Valeriani.* Fœdera etiam publicaque acta, iiſdem in mappis exarabantur. T. Liv. 1. Decad. lib. 4. *Prætermiſſa nomina conſulum horum. Licinius Macer author eſt, & in fœdere Ardeatino, & in linteis libris ad Monetæ inventos.* Et quæcunque ludicra, Sidon. Apollinar. l. 9. Epiſt. 16.

Præter heroos, joca multa, multis
Texui pannis eleges.

Accurate, ut ſolet, totam difficultatem expedit C. Plin. lib. 13. cap. 11. *In palmarum foliis primo ſcriptitatum, deinde quarundam arborum libris, poſtea publica monimenta plumbeis voluminibus, mox & privata linteis confici cœpta, aut cereis.* Quem locum Critici aliter legendum cenſuerunt, & inter hos Iacobus Dalecampius, & Guillandinus, ſcilicet hoc pacto, *in malvarum foliis primo ſcriptitatum*, quæ reſtitutio placet impenſius, authore Iſidoro Hiſpalenſi lib. 6. Etymologiar. cap. 12. *At vero hiſtoria majore modulo ſcribebantur, & non ſolum in charta, vel membranis, ſed etiam in momentis elephantis*, (lege, *omentis elephantis*) *textilibuſque malvarum foliis, atque palmarum.* C. Helvius Cinna vetus poëta:

Hæc tibi Arateis multum invigilata lucernis
Carmina, queis ignes movimus æthereos.
Lævis in aridulo malvæ deſcripta libello
Pruſiaca vexi munera navicula.

Et de hoc ſcribendi ritu intelligendus Plautus Bacchidib. ſc. *Hunc hominem.*

Stilum, ceram, & tabellam, & linum.

Alio longe ſenſu dixit Ovidius lib. 6. Metamorphoſ. Fab. 7.

Stamina barbarica ſuſpendit candida tela,
Purpureaſque notas filis intexuit albis.

D. Auſon. Epiſt. 23.

——— per licia texta querelas
Edidit, & tacitis mandavit crimina telis.

Ad Sibyllas revertor, quarum antiquiſſimum conſtat eſſe vaticinium, verſuſque, adeo ut ex Sibyllæ Delphicæ operibus Homerus multa operi ſuo inſeruiſſe dicatur. Bocchus, & ex eo C. Iul. Solin. Polyhiſt. cap. 8. Et de ea Auſon. Epigr. 18. P. Virgil. lib. 6. Æneid. & Servius ad illud:

——— ruunt totidem reſponſa Sibyllæ.

D. Iuvenal. Sat. 8.

——— folium recitare Sibyllæ.

Q. Horat. Carmine ſæculari:

Quod Sibyllini monuere verſus.

Claudian. lib. 2. in Eutrop. in præfat.

Miror cur aliis qui pandere fata ſolebas
Ad proprios caſus cæca Sibylla taces?

Et de 4. Hon. conſul.

——— Cumanaque rurſus
Intonuit rupes, rapidæ delubra Sibyllæ.

Et lib. de bello Gildonico in principio:

Si mea manſuris meruerunt mœnia naſci
Iupiter, auſpiciis, ſiſtant immota Sibyllæ
Carmina.

Et lib. 3. de Laudib. Stilichon.

——— Hæc auguriis firmata Sibylla,
Nec ſacris animata Numæ.

Extant etiamnum hodie oracula Sibyllina, ſed non illa, ut puto, quæ antiquitas tantopere ſuſpexit, utcunque certe liquet heroicis carminibus illa ſcripta. Alb. Tibull. l. 2. eleg. 5.

Te duce Romanos nunquam fruſtrata Sibylla eſt,
Abdita quæ ſævis fata canit pedibus.

Eorundem oraculorum authoritatem extulit C. Sueton. in Iulio cap. 79. *Quoniam libris fatalibus contineretur Parthos, niſi à rege, vinci non poſſe.* Duravere hæc oracula in ſumma religione, multis ſæculis, & ab Auguſto reddita dignatio. Idem Sueton. in eo cap. 31. *Quicquid fatidicorum librorum Græci Latinique generis nullis, vel parum idoneis authoribus vulgo ferebatur, ſupra duo millia contracta undique cremavit, ac ſolos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito, condiditque duobus forulis auratis ſub Palatini Apollinis baſi.* At quadrigentis plus minus poſt illum annis, imperante Theodoſio ſeniore, converſus melior ſenatus pars ad fidem, cœpit contemnere inania hujuſmodi figmenta, & demum ſub Honorio principe, Stilicho combuſſit. Rutil. Numatian. Gall. Itiner. lib. 2. quod ſcio à multiſcio, & immortalitate digniſſimo, Cæſare Baronio in excellentiſſimo Chronicorum Eccleſiaſticorum opere obſervatum. Sic itaque ille:

Nec tantum Geticis graſſatus proditor armis,
Ante Sibyllinæ fata cremavit Opis.
Odimus Althæam conſumpti funere torris,
Nyſæum crimen flere putantur aves.
At Stilicho æterni fatalia pignora libri,
Et plenas voluit præcipitare colus.

Dixerat enim paulo antea:

Quo magis eſt facinus diri Stilichonis acerbum,
Proditor arcani qui fuit imperii.

Iam ad numerum Sibyllarum deſcendo, quas alii decem enumerant, genere, patria, parentibus, fama, tempore diverſas, Chronicon Bergomenſe lib. 7. ex teſtimonio Varronis; & alii novem inter quos Suidas. Quatuor conſtituit Ælianus Var. hiſtor. lib. 12. cap. 35. nonnulli unam tantum. C. Plin. lib. 2. cap. 33. adſtipulante Aulo Gellio lib. 1. cap. 19. Denique nonnulli tres. Auſon. Griph. Ternarii:

Et tres fatidicæ, nomen commune, Sibyllæ.

CAP. XXV.

De Rege ſacrorum, ſive Rege Sacrificulo.

Qua cauſa hoc *Sacerdotium* inſtitutum ſit, & unde nomen habeat, eleganter docet *Livius* lib. 2. his verbis: Regibus exactis, & parta libertate, rerum deinde divinarum habita cura, & quia quædam publica ſacra per ipſos Reges factitata erant, nec ubi Regum deſiderium eſſet, *Regem ſacrificulum* creant id *Sacerdotium* Pontifici ſubjecere, ne additus nomini honos, aliquid libertati, cujus tunc prima erat cura, officeret. Et *Dionyſ.* libr. 5. ſic ſcribit: Sed quoniam multa magna beneficia collata videbantur in Rempublic. à Regibus volentes hoc nomen in urbe ſervari perpetuo, juſſerunt ut *Pontifices* & *Augures* deſignarent unum aliquem è ſenioribus ad hoc idoneum, qui ſacris tantum præeſſet, immunis à militia, vocareturque *Rex ſacrificulus*, primuſque hunc honorem Romæ accepit *Manlius Papirius*, vir Patricius, quietis amantiſſimus. Creabatur *Rex ſacrorum* Comitiis Centuriatis, quemadmodum apud *Agellium* lib. 15. cap. 27. refert *Lælius Felix*, & quidem quamdiu religio manſit, ſemper ex Patriciis, ut *Cicero* ſcribit pro Domo. Huic neque magiſtratum gerere, nec orationem ad populum habere licebat. Cujus rei cauſam hanc *Plutarch.* in Quæſtionibus Romanis, quæſt. 63. affert, ut ſcilicet nunquam niſi in ſacris ſervire, utque in gratiam Deorum *regnum* ſuſtinere videretur. Vnde etiam hunc ritum à majoribus traditum eſſe *Plutarchus* dicit, ut *Rex ſacrorum* ante Comitium, poſtquam rem divinam feciſſet fuga ſeſe inde & foro proriperet.

Non licebat *Regi ſacrorum* feriis opus videre, quemadmodum nec *Flaminibus*, ideo per Præconem denunciabat, ne quid tale ageretur, & præcepti negligens mulctabatur. *Macrob.* lib. 1. Saturnal. cap. 16. ad *Regem ſacrorum* virgines Veſtales certa die ibant, & dicebant, *Vigilaſne Rex? vigila.* Servius in 10. Æneid. Manſit autem hoc ſacerdotium uſque ad Theodoſii ſenioris tempora, quibus cum reliquis ſacris abrogatum eſt.

Regis ſacrorum uxor appellabatur *Regina ſacrorum*, quæ & ipſa aliquot ſacra facere ſolebat: cujus meminit *Plutarch.* in 4. Satur. cap. 15.

CAP. XXVI.

De Sacerdotibus fœminis Bonæ Deæ.

Sacerdotes *Bonæ Deæ* dictæ fuerunt matronæ illæ, quæ operatæ ſunt ſacris *Faunæ*, ſive *Fatuæ*. Cum enim ea tantæ fuiſſet pudicitiæ, ut nemo illam, dum vixit, præter virum ſuum, mas viderit, nec nomen ejus audierit: Propterea illi mulieres ſacrificabant, & *Bonam Deam* nominabant. *Varro* de hujus Deæ ſacris. *Plutarchus* in Quæſtionibus Romanis, quæſt. 20. ſcribit, matronas domi ſuæ ſacellum mulie- bris Deæ, quam *Bonam* vocent, ornantes myrtum non inferre: cum tamen omnibus aliis germinantibus & florentibus ſtudioſe ea re utantur, & cauſam ejus moris hanc fuiſſe dicit, quod mulieres cum ab aliis rebus puræ, tum maxime re Venerea, ſacra iſta peragant, quodque non ſolum maritos, ſed omnes in univerſum mares domo exterminent, cum *Deæ* ſacris operantur ritibus, itaque myrtum ut *Veneri* ſacram abominentur. Hæc ſacra *P. Clodius* Ciceronis ætate polluit: cum enim C. Cæſaris Pontificis Maximi uxorem

Mutiam adamaret, muliebri habitu in operto *Bonæ Deæ* inventus est, ab *Aurelia* C. Cæsaris matre, quod non nisi mulieribus ingredi fas erat. Vnde *Cicero* in P. Clodium acerrime invectus est, quod ausus fuisset ea sacra, quæ in aperto pro salute populi Romani in Pontificis Maximi ædibus fiebant, sua præsentia polluere. Tantum de his. [Dixi abunde supra lib. 2. hujus operis cap. 19. quæ adi.]

CAP. XXVII.

De Gallo & Archigallo Sacerdotibus Deæ Cybeles.

De Cybele, quæ eadem est *Mater Deûm* diximus libro superiore. Ejus *Sacerdotes* dicti fuerunt *Galli*, quorum præses, vel summus *Archigallus* fuit appellatus. Nomen habent à flumine Phrygiæ *Gallo*; sic enim *Sext. Pompeius Festus*: Galli qui vocantur, *Matris Magnæ* comites dicti sunt, à flumine, cui nomen est *Gallo*, quia qui ex eo bibissent, in hoc furere incipiant, ut se privent virilitatis parte, quod etiam *Ovidius*, *Herodianus*, & alii testantur. Quanquam alii aliam afferant etymologiam, dictos videlicet eos fuisse à *Gallo* quodam, qui primus *Cybeles* Sacerdos fuerit. De *Archigallo* Gallorum Antistite testimonium dicunt & veterum aliquot marmorum inscriptiones, quales à *Lilio Gyraldo* Syntagmate 4. historiæ Deorum Gentilium, & ab *Onuphrio Panvinio* recitantur, & *Plinius* atque *Tertullianus*, qui eorum meminerunt, ut de reliquis taceam. Testes sibi præcidebant *Samia* testa: ut *Plin.* lib. 11. cap. 49. & lib. 35. cap. 12. scribit, cujus rei origo hæc fuisse fertur: Cum *Dea Cybeles* puerum Phrygem formosissimum *Aty* nomine, suis sacris ea lege præfecisset, ut perpetuo castitatem servaret, haud longe post *Sangritidem* Nympham compressit: quare ab irata Dea in furorem actus, cum *Dyndima* venisset, manusque sibi afferre conaretur, miseratione Deæ furore liberatus à se interficiendo abstinuit, virilitatem tamen sibi amputavit, & ideo *Cybeles* castratos Sacerdotes habere mavult: qua de re extat prolixum carmen *Catulli*. De his Sacerdotibus in hunc modum scribit *Dionys.* lib. 2. Romæ nulla peregrina sacra sunt recepta publice, ut fit in multis urbibus: sed etiam si qua oraculorum jussu aliunde introducta sunt, suo more coluntur à civibus, abdicatis fabularum miraculis, sicut in matris *Idæa* sacris fit. Prætores enim quotannis Romano ritu victimas ei cædunt, & ludos faciunt: sacerdotio vero ejus funguntur *Phryges*, vir & mulier, eamque vicatim circumferunt, more suo circulatorio pectora plangentes ad cantum tibiarum, tympanorumque sonitum: ingenuus autem Romanus nemo est *Mitriacus*, nec oberat ad Phrygios modulos indutus synthesim, neque ex decreto Senatus initiatur *magnæ matris* Orgiis. Hactenus *Dionysius*. His Sacerdotibus licebat stipem colligere, cum reliquis id prohibitum esset. Sic enim *Cic.* lib. 2. de Legibus. Præter *Idæa matris* famulos, eosque justis diebus, ne quis stipem cogito. Et paulo post interpretans hanc legem, *Stipem*, inquit, sustulimus, nisi eam quam ad paucos dies propriam *Idæa matris* excepimus. Implet enim superstitione animos & exhaurit domos. Plura de his Sacerdotibus habebimus libro sequenti, ubi sacra hujus Deæ explicabimus. [De Cybeles sacris, translatione in urbem, sacerdotibus ipsius, seu Archigallis dictum est à me lib. 2. supra cap. 6. hujus operis, quæ consule.]

CAP. XXVIII.

De Septemviris Epulonum.

Vt fere omnes veterum *Sacerdotes*, sic *Epulones* vario numero fuerunt. Quando enim primum instituti sunt, tres creati sunt quemadmodum ait *Livius* lib. 33. qui ita scribit: Anno Vrbis DLIII. *L. Furio Purpureone*, *M. Cl. Marcello* Coss. Romæ eo primum anno III. *Epulones* viri facti, *C. Licinius Lucullus*, *T. Romuleius*, qui legem de creandis his tulerat, & *P. Porcus Lecca*. His Triumviris item, ut Pontifici, lege datum togæ prætextæ habendæ jus. De his Triumviris *Cic.* lib. 3. de Orat. ita scribit. Sed ut *Pontifices* veteres propter sacrificiorum multitudinem tres-viros *Epulones* esse voluerunt, quum essent ipsi à Numa, ut etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent, instituti. A posterioribus temporibus *Septemviros Epulones* fuisse, ex veteribus cum scriptorum, tum lapidum monumentis intelligi potest. *Antistius* enim *Labeo* apud *Agellium* lib. 1. cap. 12. ita scribit: Item cujus pater *Flamen*, aut *Augur*, aut *Quindecimvir* S. F. aut qui *Septemvir Epulonum*, aut *Salius* est. Quis autem eum numerum auxerit, ut pro Triumviris *Septemviri* crearentur, nemo tradit. *Onuphrius* aliquot conjecturis ductus, putat à *L. Cornelio Sulla* id factum fuisse. Cui interim assentiemur, dum alii certius aliquid in medium proferent. Cæsarem quoque Dictatorem aliis tribus ad Collegium *Septemvirorum* additis, *Decemviros Epulonum* constituisse, auctor est *Dio*, qui lib. 43. extremo, hæc scribit: Cum Cæsar plurimis beneficia deberet, *Magistratibus* & *Sacerdotiis* collatis eis satisfecit. Itaque XV. *Sacerdotibus* unum Collegio *Septenario* tres addidit. Notat *Hubertus Goltzius*, Septemviris *Epulonum* à C. Iulio Cæsare tres alios additos esse, ita ut *Decemviri* facti sint. De munere horum Sacerdotum *Cic.* Orationne de Aruspic. respons. ita loquitur: Ludos minus diligenter factos, pollutosque. Quos ludos? Te appello, *Lentule*, tui sacerdotii sunt tensæ, curricula, præcentio,

centio, ludi, libationes, epulæque ludorum publicorum: vosque Pontifices ad quos *Epulones* Iovis Opt. Max. si quod est prætermissum, aut commissum adferunt, quorum de sententia illa eadem renovata atque instaurata celebrantur. Ludi sunt minus diligenter facti? quanto aut quo scelere polluti? respondebis & pro te, & pro collegis tuis, & pro collegio *Pontificum*, nihil cujusquam aut negligentia contemptum, aut scelere esse pollutum. Ex quibus verbis intelligimus, non modo quod esset munus *Epulonum*, sed etiam fuisse eorum quoddam collegium. Et hi, ut cæteri *Sacerdotes*, à collegiis subrogabantur ante legem *Domitiam*, quod ex tota *Liviana* historia liquet. Post legem vero *Domitiam* populi suffragiis is quoque honor mandari cœptus. Tantum de his.

CAP. XXIX.

De Duumviris ædis locandæ, faciundæ, dedicandæ, & Triumviris, ædibus Sacris incendio consumptis restituendis, & sacris conquirendis, donisque persequendis.

Hi quidem proprie *Sacerdotes* non erant, sed tamen verisimile est ex *Sacerdotibus* eos potissimum creatos fuisse. *Duumvirorum* frequens mentio apud *Livium*: & præsertim libr. 7. & 22. Nam ubi ædes aliquo casu vota erat, statim qui locarent, facerent, & dedicarent, *Duumviri* populi Comitiis tributis lege *Papiria* renunciabantur, quod ex *Agell.* lib. 15. cap. 17. facile intelligi potest.

De *Triumviris Livius* libr. 25. ita scribit: Comitia deinde à Prætore Vrbano de Senatus sententia plebisque scito sunt habita, quibus creati sunt *Quinqueviri*, Muris, Turribusque reficiendis & *Triumviri* bini, uni sacris conquirendis, donisque præsignandis, alteri reficiendis ædibus, *Fortunæ* & matris *Matutæ* intra portam, quæ priore anno incendio consumptæ fuerant. Plura de his addere supervacaneum.

CAP. XXX.

De Pontificibus & Sacerdotibus Deorum singulorum.

Præter eos, de quibus hactenus diximus, inquit *Onuphrius* libr. 2. de Republ. Rom. multi quoque erant in Vrbe *Sacerdotes* publici, variis nominibus appellati, & recentioribus temporibus instituti, quorum memoria in vetustis tantum superest *Epigrammatibus*, ex quibus, quanta potui, diligentia eos collegi atque hac ratione hoc loco in antiquitatis studiosorum gratiam accurate exscripta subjunxi. Hactenus ille. Nos, cum ad propositum nostrum nihil faciant, *epigrammata* illa, quæ ipse adducit, omisimus.

CAP. XXXI.

De Ministris Sacerdotum populi Romani.

Sacerdotiis populi Romani explicatis, de *Ministris* etiam quædam addenda sunt, id quod nos hoc capite faciemus.

CAMILLI, ET CAMILLÆ.

Hi à Romulo sunt instituti, de quibus *Dionys.* lib. 2. scribit: *Romulus* voluit uxores cum suis maritis fungi sacerdotio, & si qua sacra viros obire vetaret mos patrius, ea relinqui fœminis, in ejusque ministerii partem debitam venire illorum etiam liberos, quod si qui prole carerent, eis licere optare ex quacunque tribu puerum, puellamque, elegantissimos: *alterum* ministraturum sacris, donec pubesceret: *alteram* tantisper dum pura esset à nuptiis.

FLAMINII, VEL FLAMINIÆ.

De his in hunc modum scribit *Festus*: Flaminius Camillus puer dicebatur ingenuus, patrimus & matrimus, qui *Flamini Diali* ad sacrificia præministrabat. Antiqui enim ministros *Camillos* dicebant. *Flaminia* dicebatur sacerdotula, quæ *Flaminicæ Diali* præministrabat, eaque patrima & matrima erat, hoc est, patrem & matrem adhuc vivos habebat.

ÆDITVVS, VEL ÆDITVMVS.

Agellius libr. 12. capite 6. *Varro*, inquit, censet *æditumum* dici oportere, non *æditum*, quod alterum sit recenti novitate fictum; alterum antiqua origine incorruptum. Quo respexit etiam *Varro* libr. 1. de re Rustic. cap. 2. cum scribit: *Sementinis* feriis in ædem *Telluris* veneram, rogatus ab *æditumo*, ut dicere didicimus à Patribus nostris: ut corrigimur à recentibus urbanis, ab *ædituo*. At lib. 6. de ling. Lat. notat, alios *æditum* dici malle. Hæc enim sunt ipsius verba. Tueri duo significat; unum ab aspectu, ut dixi: unde est illud, *Tueor te senex, proh Iupiter! Et Quis pater aut cognatus volet nos contra tueri?* Alterum à *curando*, ac *tutela*: ut cum dicimus, *Bellum tueor*, & tueri villam, à quo etiam quidam dicunt, illum qui curat ædeis sacras, *Æditum*, non *Æditumum*. Quod officium hujus fuerit, manifestum est. Fuerunt præter hos Scribæ Pontificum à Commentariis *Quindecimvirum* sacris faciundis, *Adjutores Haruspicum*, & *Kalatores*, quorum mentio extat in vetustis Epigrammatis. Vide Thesaurum *Huberti Goltzii*.

TIBICINES.

TIBICINVM Romanorum frequens apud veteres auctores mentio est: hi tibias concinentes sacris populi Romani interesse solebant. De his scribit *M. Varro* libro 4. de lingua Latina. Quinquatrus minusculæ dictæ *Iunia Idus* ab similitudine majorum, quod tibicines tum feriati per Vrbem vagantur, & conveniunt ad ædem *Minervæ*. Quomodo hi aliquando, quod prohiberentur in æde Iovis vesci, *Tibur* secesserint, & post Romam inde reducti fuerint, alibi ex *Livio*, *Valerio Maximo*, & *Plutarcho* docemus.

TVBICINES.

DE *Tubicinibus* sic scribit *Sextus Pompejus*: *Tubicines* ii appellantur, qui *Sacerdotes* viri speciosi publicè sacra faciunt, tubarum lustrandarum gratia, &c. Qui enim tubis canebant, *Tubicines* dicebantur.

POPÆ.

POPÆ ministri sacrorum erant, qui hostias & victimas ligabant, & laureati succinctique, atque ad ilia usque nudi, eas ante aras deductas feriebant. Vnde *Suetonius* in Caligula: Admota altaribus victima succinctus poparum habitu cultarium mactavit. Et *Spartianus* in vita Getæ: Percussit hostiam popa.

VICTIMARII.

Et hi Sacerdotum ministri erant, qui victimas ligabant, & cultrum, aquam & molam parabant, & reliqua, quæ sacris erant necessaria, *Valerius* lib. 1. cap. 1. Libros *Petilius* Prætor urbanus ex auctoritate Senatus, per *victimarios* facto igne in conspectu populi cremavit. *Livius* libr. 40. Libri in comitio igne à *victimariis* facto in conspectu populi cremati sunt. *P. Victor* Romæ castra *victimariorum* fuisse refert.

PRÆCIÆ.

Præciæ, sive *præclamitatores* dicebantur qui à *Flaminibus* præmittebantur, ut denunciarent opificibus, ut manus abstinerent ab opere, ne si vidisset Sacerdos facientem opus, sacra polluerentur. Habuerunt etiam *Flamines* & *virgines Vestales* suos lictores, de quibus aliàs dicetur.

PRÆFICA.

Terentius *Varro* libro 6. de lingua Latina: *Præfica*, ut Aurelius scribit, mulier ab luctu, quæ conduceretur, quæ ante domum mortui laudes ejus caneret. Hoc factitatum *Aristoteles* scribit, in libro, qui inscribitur νομιμα βαρβαρικα, quibus testimonium est, quod Fretum est Nævii.

Hæc quidem hercle opinor præfica est:
Nam mortuos collaudat.

Claudius scribit, ea quæ præficeretur ancillis quemadmodum lamentarentur, *præfica* est dicta: utrumque ostendit à præfectione, *præficam* dictam. *Plautus* in Truculento:

Sine virtute argutum civem mihi habeam pro præfica.

Sext. Pompejus: *Præfica* dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductæ, quæ dant cæteris modum plangendi, quasi in hoc ipsum præfectæ. *Nonius Marcellus*: Præficæ (inquit) dicebantur apud vete-

veteres, quæ adhiberi solent funeri mercede conductæ, ut & flerent, & fortia facta laudarent. *Lucilius* 12. Mercede quæ conductæ flent alieno in funere *præficæ* multo, & capillos scindunt, & clamant magis.

DESIGNATOR ET VESPA, SEV VESPILLO.

Designatores dicebantur, qui constituendæ funebri pompæ præerant, unicuique incedendi locum ordinemque præscribentes: ita *Sext. Pompejus*.

VESPILLONES autem cadaverum *funeratores* erant: ita dicti, quod vespertino tempore mortuos efferre solerent: unde & funera, à *funalibus* dici autumat *Donatus*, quia noctu efferebantur ob sacrorum celebrationem diurnam. Hi *Vespæ* à Sexto Pompeio appellantur: *Vespæ*, inquit, dicuntur qui funerandis corporibus officium gerunt, non à minutis illis volucribus, sed quia vespertino tempore eos efferunt, qui funebri pompa propter inopiam duci nequeunt. Hi etiam *vespillones* dicuntur. Hactenus de *Sacerdotibus*, & *ministris* eorum, ea, quæ à veteribus memoriæ prodita sunt, exposuimus, quibus adjiciemus quædam generalia de sacrificiis, si prius vasa, quorum usus in sacrificiis fuit, explicaverimus, atque ita huic libro finem imponemus.

AD CAP. XXXI. PARALIPOMENA.

Qui æditui, tibicines, & eorum collegium.

Ædum sacrarum custodes æditui, vel æditumi appellantur. Adrian. Turneb lib. 14. Adversar. cap. 12. Græce ἱεροφύλακες nominantur, quam vocem Latinam fecit Scævola IC. l. 20. ff. de annuis legat. *Attia fideicommissum his verbis reliquit, quisquis mihi hæres erit, fidei ejus committo, uti det ex reditu cenaculi mei, vel horrei, post obitum sacerdoti vel hierophylaco, & libertis, qui in illo templo erunt, denaria decem, die nundinarum, quasi ibi posui.* Errat Alexander Neapolitanus lib. 5. Genial. dier. cap. 17. qui pro *hierophylaco*, aut *hierophylace*, legi contendit debere *hierosiarchum*. Quæ dictio neque Latinis usu recepta, neque ab aliquo authore usurpata. ἱεροφάντας, *sacratum ceremoniarum doctores*, leguntur apud Iulium Pollucem lib. 1. cap. 1. num. 31. Plutarchum in vita Numæ, & Philostratum Lemnium in vita Apollonii Thyanæi lib. 4. c. 6. Dionys. Halicarnass. lib. 2. D. Hieronym. de Monogamia ad Geruntiam. Atque hos nonnulli confundunt cum *Nomophylacibus*, de quibus sun. Moderat. Columella lib. 12. cap. in fin. *In bene moratis civitatibus semper est observatum, quarum primoribus, atque optimatibus, non satis visum est bonas leges habere, nisi custodes earum diligentissimos cives creassent quos Græci νομοφύλακας appellant.* M. Tull. lib. 3. de legib. *Legum custodiam nullam habemus, itaque hæ leges sunt quas apparitores nostri volunt, à librario petimus, publicis literis consignatam memoriam publicam nullam habemus; Græci hoc diligentius, apud quos Nomophylaces creantur.*

Ex quo loco liquet conjicere nullum apud Romanos fuisse custodum legum officium, ac ne nomen quidem. Itaque tantum in usu erant istis, qui ædium sacrarum curam gererent. C. Suet. Augusto cap. 5. *se esse possessorem, ac velut æditumum sol, quod Divus Augustus nascens attigisset.* De quo nonnullas apponam inscriptiones, prima ex Onuphrio Panvinio desumpta est in Civitate sua pag. 551.

SOLI. ÆTERNO.
SACR.
PRO. SAL. P. VALERII. CRISPI. SEPTENTRION. SACERDOT. DEI. INVICTI. M. ANTONIVS. M. F. LIBER. MESOPYLVS.
ÆDITVVS. COLLOCAVIT.

Altera in hæc verba extat:

COSMVS. ÆDITVVS. MATRIS. D..... ANTIOCHO. SACERDOTE. ANNIS. XII. IVS..... AB. IMP. AVGVSTO. GRATIS. MANVMISSVS. OB..... SVPRA. SVNT. HS. N. L. DONATIONIS. CAVSA. MANCIP.

Tertia Romæ visitur, his verbis:

D. M.
AB. ASCANTO. AVG. LIB. ÆDITVO. ÆDIS. NEPTVNI..... QVÆ. EST. IN. CIRCO. FLAMINIO. FLAVIVS. ABASCANTIVS. ET. PALLANS. CÆS. N. SER. ADIVTOR. A. RATIONIBVS. PATRI. PIISSIMO. FEC.

Quartum marmoris vetusti fragmentum extat Romæ in ædibus Atilii Delphinii.

D. M.
T. FLAVIO. AVG. LIB. LIBERALI. ÆDITVO. MARTIS. VLTORIS. CLAVDIA. EXOCHE. CONIVGI. BENEMERENTI. ET. SIBI. FECIT. VIXIT. ANNIS. LVII.

Denique & quintum apponam ex Aldo Manutio Orthographia pag. 17. ex Vinea Ioan. Poggii Episcopi Tropien. cujus hæc sunt verba:

DIIS. MANIBVS. SAL. SER. SVLPITIO. AVG. I. ALCIMO. ÆDITVO. AB. ISEM. PELAGIAM. VIX. AN. XXXVII.

Sacerdotum seu verius sacrorum ministri erant & Tibicines, de quibus omnia vulgatissima, quasdam tibias *dextras*, quasdam *sinistras*, Ioan. Brod. lib. 1. Miscellan. cap. 6. *adunca, eburneas*, Hieron. Magius l. 1. cap. 13. *Dextræ unum foramen, sinistræ duo habebant.* Varro apud Servium ad illud 9. Æneid.

——— *Bisorem dat tibia cantum.*

Lucret. lib. 2.

Et Phrygio stimulat numero
Cava tibia mentes.

Quosdam modos lugubres, seu Phrygios, quosdam incitatos, quosdam remissos, neque in Italia aut Romæ modo, sed & apud Græcos, ut de Marsyæ & Apollinis certamine dixi ad l. 1. supra in Reg. 8. & apud Ægyptios Claudian. de 4. Hon. consul.

——— *variosque modos Ægyptia ducit*
Tibia.

Multiplicem tibiarum usum nemo expressit aptius P. Ovidio lib. 4. Fastor.

Temporibus veterum tibicinis usus avorum
Magnus, & in magno semper honore fuit.
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,
Cantabat mæstis tibia funeribus.
Quæritur in cœna cava tibia.

Male antea legebatur meo judicio:

Quæritur in scena cava tibia.

Et de ejus in funeribus usu, dicam infra lib. 5. cap. 39. in conviviis, eodem libro, receptos tibicines ostendam, & disputat ex Aristotele & aliis Dionys. Lambinus in Æmilium Probum, in vita Epaminondæ.

Denique & ludis solemnioribus, seu commissionibus adhibitos liquet ex M. Varrone apud Nonium in *Ramices*. *Priusquam in Orchestra Pithaules inflet tibias, domi suæ ramices rumpit.* Dixi ad illud Claudiani panegyr. de consulatu Manlii Theodori:

Qui nutu, manibusque loquax, cui tibia flatu,
Cui plectro pulsanda chelys.

Sed & illud, ut puto, à Palmerio solo, adnotatum est, amantes ante dominarum suarum fores noctu tibiis canere consuevisse, at in templis nullæ tibiæ, nisi ex buxo, apud Græcos Latinosque Athen. Dipnosophist. l. 4. cap. 24. & Lilius Gyrald. syntagm. deor. gentil. 17. cum aliæ *ex cervinis ossibus* compactæ foret. Aristophanes citatus à Suida in voce ὀστίνοις. Vide supra lib. 2. c. 4. quæ à me dicta sunt. Addendi hoc loco poëtæ. Claudian. lib. 3. de Raptu, ubi Cybele de se ipsa confternata somniis:

Si buxos inflare velim, ferale gemiscunt;
Tympana si quatiam, planctum mihi tympana reddunt.

L. Sen. Agamem. Act. 2. Choro:

Tibi multisora tibia buxo
Solemne canit.

Papin. Stat. l. 8. Thebaid.

Et moderata sonum vario spiramine buxus.

Virgil. l. 9. Æneid.

Tympana vos buxusque juvat Berecynthia.

P. Ovid. loco citato. Minerva tibiarum inventrix loquitur in hæc verba:

Prima terebrata per longa foramina buxo,
Vt daret, effeci, tibia longa sonos.

Et certe in illius tanquam primæ Musices repertricis, tutela erant tibicines & tunc plena iis concessa potestas vagandi, popinas, etiam censore contempto, subintrandi. M. Martial. ob id *ebriam* vocavit *tibicinam*. l. 14. epigr. 64. Fest. Pomp. l. 11. *Minusculæ quinquatrus appellantur Idus Iunii, quod is dies festus est tibicinum, qui colunt Minervam, cujus deæ festus est proprie dies quinquatrus, mense Martio.* Et l. 4. de ling. lat. M. Varro; *Quinquatrus Minusculæ dictæ Iuniæ idus, ob similitudinem majorum, quod tibicines tum feriati per urbem vagantur, & conveniunt ad aedem Minervæ.* Martian. Capella de Merc. & Philolog. l. 9. *Nam fides apud Delphos per Deliacam citharam demonstravi, tibiæ per Tritonidem nostri comitem, & Marsyam Lydium sonuerunt, calamos Maryandini, & Aones, in laudes instauvere cœlestium, Panduram Ægyptios attentare permisi.* Antonius Delrio legit, *Pandorium*, ex Isidoro Hispalensi l. 3. Etymolog. Interim tibicinum, qui sacris adhibebantur, meminit Iuvenal. Sat. 6. v. 314.

— *cum tibia lumbos*
Incitat.

Suid. in ἀγαθόνιον *Agathonium tibiæ cantum dissolutum enervatumque* appellat. Hæc veteris marmoris fragmenta meminerunt.

IMP. CÆSARI. M. AVRELIO.
ANTONINO. PIO. FELICI. AVGVSTO.
TIBICINES. ROMANI.
QVI. SACRIS.
PVBLICIS. PRÆST. SVNT.

Alterum in hæc verba concipitur:

DIANÆ. LVCINÆ. INVICTÆ.
CN. POMPEIVS. CN. LIB.
BARBVS. PROCVRAT. TIBICIN.
ROM. VOTO. SVSCEPTO.
L. M.

Collegium eos in urbe habuisse, ex Tito Livio & antiquis inscriptionibus, alii observarunt, & habetur diserte apud Valerium Maximum l. 2. cap. 1. tit. pen. Qui plura cupis, adi ad Iulium Solinum Polyhist. cap. 11. Scaligerum patrem Poëticorum l. 1. cap. 20. Cælium Rhodigin. l. 9. cap. 7. Theophrastum l. 4. de caus. Plantar. Iul. Pollucem l. 4. Onomastic. cap. 10. & alios. Demades denique referente Isocrate, τοὺς Ἀθηναίους εἴκαζεν αὐλοῖς, ὧν εἴπις ἀφέλοι τὴν γλῶτταν, τὸ λοιπὸν οὐδὲν εἶη. *Athenienses similes dicebat esse tibiis, quibus ademptâ linguâ nihil residui rationis haberent.* Ioan. Stob. Serm. 2.

CAP. XXXII.

De vasis, quorum usus apud Romanos in Sacrificiis fuit.

Vasa, quibus veteres in sacrificiis usi sunt, plurima fuerunt, de quibus *Lilius Gregorius Gyraldus* peculiarem librum conscripsit: qui tamen ad meas manus non pervenit. Nos hoc capite quædam, & quidem præcipua, enumerabimus, eorumque iconas ex *Guilhelmi Brasicani* antiquitatibus, Gallica lingua editis, subjiciemus. Sunt autem præcipua vasa hæc: *Acerra, Thuribula, Præfericula, Sympula, seu Sympuvia*, & quas Cicero in Paradoxis *Capedines & Fictiles urnulas* vocat: item *Candelabra, Paterae, Disci, Secespitæ, Sevæ, Enclabria, Dolabræ, Ollæ, Aquiminaria, Aspersoria.* Quorum icones hic addimus, & literis suis adnotavimus.

Acerra, inquit, *Festus*, ara, quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur. Alii dicunt *arculam* esse thurariam, scilicet ubi thus reponebant: sic Glossarium vetus, *acerra thuraria*, λιβανοθήκη.

Thuribulum, vas, quo thura adolentur.

Præfericulum, vas æneum, sine ansa patens summum, velut pelvis, quo utuntur in sacrario *Opis Consivæ.*

Sympulum, sive *Sympuvium*, vas parvum, non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis litabatur, unde & mulieres rebus divinis deditæ, *sympulatrices* dicuntur, *Varro* l. 4. de lingua Latina, *sympulum* à sumendo dictum vult. *Iosephus Scaliger* diminutivum esse dicit, à *Sympone*, quod fit à Græco σίφων, ac significet vasculum cum tenui fistula, vel angusto collo ad pitissandum vinum.

CAPEDVNCVLA, SECVRIS, VRNVLA, LITVVS, PATELLA.

Capis poculi genus, dictum à capiendo. *Festus. Varro:* Capis & minores *Capulæ* à capiendo, quod ansatæ, ut prehendi possint, id est, capi. Harum figuras in vasis sacris ligneas, & fictiles antiquas etiam nunc videmus. Idem l. 1. de Vita pop. Rom. etiamnum pocula, quæ vocant *Capulas*, ac *Capides*, quod est poculi genus. Has Cic. in Paradoxis *Capedines*, & *Capedunculas*, & *fictiles urnulas* appellat.

Candelabra, vasa erant, in quibus candelæ figebantur. *Varro* l. 4. de ling. Lat. *Candelabrum* à candela. Ex his enim funiculi ardentes figebantur. *Festus:* Candelabrum dictum, quod in eo candelæ figantur.

Paterae,

Pateræ, eo quod pateant, Latine ita dictæ. Hiſce etiam nunc in publico convivio, antiquitatis retinendæ cauſa, cum Magiſtri fiunt, potio circumfertur, & in ſacrificando Deis, hoc poculo Magiſtratus dat Deo vinum. *Varro* lib. 4. de ling. Lat. Hinc diminutivum *patellæ*, vaſa picata, parva, ſacrificiis faciendis apta.

Seceſpitam, inquit *Feſtus*, alii ſecurim, alii dolabram æneam, alii cultellum putant. Et mox *Seceſpita* cultrum ferreum oblongum, manubrio eburneo, rotundo, ſolido, vincto ad capulum auro, argentoque fixo clavis æneis, ære Cyprio, quo *Flamines*, *Flaminicæ*, virgines *Pontificeſque* ad ſacrificia utebantur, dicta autem *ſeceſpita* à ſecando.

Diſcus, lanx dicebatur, & magis in quo aſſæ carnes reponebantur.

Dolabra inſtrumentum, quo in dolando utebantur.

Enclabria, ſive potius *Anclabria*, appellabantur vaſa ænea quibus Sacerdotes utebantur. *Anclabris* menſa miniſteriis divinis apta *Sext. Pomp. Feſtus*. Dicebantur autem *Anclabria* & *anclabris*, ab anculare, quod erat *miniſtrare*, ſive ab *anclare*, quod erat haurire.

Aſperſorium, quo aquam luſtralem aſpergebant: dicebatur etiam *Aſpergillum*, & *Luſtrica*.

Aquiminarium, ſive *Amula*, vas luſtrale, deportandæ aquæ religionis expiationiſque ergò deputatum. Hæc & alia vaſa ſacrificiis deſtinata erant, quibus explicatis, de ſacrificiis etiam quædam in genere dicemus: plura ſequenti libro explicabuntur.

Cap. XXXIII.

De Veterum Sacrificiis.

Sacrificium, inquit *Iſidorus*, eſt victima, & quæcunque in ara cremantur, ſeu ponuntur. *Victimæ* vero, ut idem ait, ſunt *ſacrificia*, quæ poſt victoriam devictis hoſtibus immolabantur: ſic dictæ, quod *vi ictus percuſſæ* caderent, aut quod vinctæ ad aras ducerentur. Erant autem *victimæ* majora ſacrificia, quam hoſtiæ: plerumque tamen confunduntur hæ voces. Feſtus: *hoſtia*, inquit, *ſacrificium* quod Laribus immolabant, quod ab illis hoſtes arceri putabant. Alibi dicit *hoſtia* ab antiquo verbo *hoſtio*, quod *ferio* ſignificat, dictas eſſe. Ovidius:

Hoſtibus à victis hoſtia nomen habet.

Hoſtiarum multæ erant differentiæ: aliæ enim *Præcidaneæ*, quæ ante ſolemnia ſacrificia pridie mactabantur. *Feſtus*: *Præcidaneam porcam dicebant*, quam immolari ante erant ſoliti, quam novam frugem inciderent. Item *præcidanea agna* vocabatur, quæ ante alias cædebatur.

Succidaneæ dicebantur, ſi primis hoſtiis litatum non erat, aliæ poſt eaſdem ductæ cædebantur, quæ quaſi prioribus jam cæſis, luendi piaculi gratia ſubdebantur, & ſuccedebant, ob id *ſuccidaneæ* nominatæ.

Eximiæ hoſtiæ erant, teſte apud *Macrobium* l. 1. Saturn. c. 5. *Veranio* in Pontificalib. Quæſtionibus, quæ ad ſacrificium deſtinatæ *eximebantur* è grege: vel quod eximia ſpecie quaſi offerendæ numinibus eligerentur.

Ambegni bos, aut vervex appellabantur, cum ad eorum utraque latera agni in ſacrificium ducebantur. *Feſtus*.

Ambegnæ, vel *Ambiegnæ*, oves in ſacris dicebantur, quam circum aliæ hoſtiæ conſtituebantur. *Varro*, *Fulgentius Placiades*.

Harviga, vel, ut Ioſephus Scaliger legit, *Aringa*, dicebatur hoſtia, cujus adhærentia inſpiciebantur exta.

Caviares hoſtiæ dicebantur, ait *Feſtus*, quod *Caviariæ*, id eſt, pars hoſtiæ, cauda tenus duceretur, & ponebatur in ſacrificio pro *Collegio pontificum* quinto quoque anno.

Prodigiæ hoſtiæ appellabantur quæ conſumebantur.

Bidentes hoſtiæ quæ fuerint, varie diſputatur. Feſtus, *Ambidens*, ſive *bidens* ovis appellatur, quæ ſuperioribus & inferioribus eſt dentibus, & hoc probat *Ioſeph. Scaliger*, cum in Varronem ſcribit: *Bidentes* erant hoſtiæ, quæ & cornigeræ eſſent, & duos dentes eminulos haberent.

Amburbales hoſtiæ, quæ circum terminos urbis Romæ ducebantur.

Ambarvales hoſtiæ appellantur, quæ pro arvis à XII. fratribus ſacrificabantur. *Feſtus*. Et mox: *Ambarvalis hoſtia* eſt, quæ rei divinæ cauſa, circum arva ducitur, ab iis qui pro frugibus faciunt.

Injuges hoſtiæ, quæ nunquam domitæ, ac jugo ſubditæ fuerunt. *Trebatius* apud Macrob. l. 3. Saturn. c. 5. duo inprimis hoſtiarum genera fuiſſe dicit: *alterum*, in quo voluntas Dei per exta diſquirebatur: *alterum*, quo ſola anima Deo ſacrabatur: unde & *animales hoſtiæ* vocabantur.

Cæterum, *ſacrificia* hac ratione peragebantur. Cum *Sacerdos* victimam ad aram adduxiſſet, ſtans manu aram prehendebat, & preces fundebat. Principium præcationis à *Iano* & *Veſta* fieri oportebat, quæ in omnibus ſacris præcipua numina erant, & in votis nuncupandis compellationem primam meruerant: inde, quod

quod per eos aditus ad cæteros patere opinio erat. Et obſervabatur in ea precatione, ut *Iupiter pater Optim. Maxim.* omneſque Dii cæteri patres advocarentur. Ne quid vero verborum præteriretur, aut præpoſtere recitaretur, deſcripto præire aliquem rurſuſque alium cuſtodem dari, qui attenderet ſedulo: alium qui favere linguis juberet & tibicinem canere, ne quid infauſtum exaudiretur, oportebat: quod cum diræ obſtrepentes nocuiſſent, aut precatio erraſſet, repente extis capita adimi, vel corda, geminarive, ſtante adhuc victima compertum eſſet. His peractis ſacrum ab immolatione *Sacerdos* inchoabat. *Fruges* aut *molam ſalſam* in caput victimæ deponebat, addito *thure maſculo.* Vocabatur ritus ille *immolatio*, quaſi molæ in caput victimæ collocatio. Deinde vinum aſpergebat: ſed prius quam id affunderet, ſcipulo, aut *ſimpuvio ligneo*, vel fictili admodum parvo & ipſe leviter delibabat, & aſtantibus guſtandum deferebat, ut pariter libarent. Vocabatur hic ritus *Libatio.* Quo facto ſetas inter cornua victimæ manu evulſas tanquam prima libamina projiciebat in ignem, converſuſque ad ortum, obliquum cultrum à fronte victimæ ad caudam ducebat, tandem victimam Diis exhibitam & dedicatam jubebat jugulare miniſtros: qui quod mactarent eas *cultrarii* & *victimarii*, à nonnullis *Popæ* & *Agones* vocabantur: reliqui partim admotis vaſculis emanantem cruorem excipiebant, partim victimam excoriabant & abluebant, partim ignem accendebant. Vbi perpurgata erat, mox *Aruſpex*, *Flamen*, aut *Sacerdos* cultro ferreo viſcera rimabatur, attenteque explorabat, an perlitatum foret. Non autem manu licebat contrectare viſcera, ne qua offenſa pollutis ſacris intercideret. Inſpectis tandem & exquiſitis ſingulis, ex omni viſcere & membro miniſtri partes certas, deciſas, *farina farris* involvebant, & in calathis ſacrificanti offerebant, *Sacerdos* aris impoſitas, foculo incenſo comburebat, quod reddere erat, & *litare.* Eum ignem ex olea, lauro, aut quercu corticis craſſioris, aut cujus caudex cavus fungoſuſque eſſet, accendere, vel numinibus adolere nefas erat: ſuſpecta enim erant ligna illa tanquam diri & mali ominis. Vbi quod Diis tributum erat, conflagraſſet, ad epulas ipſi, & convivia convertebantur. Inter veſcendum *Diis* laudes canebant, pedibuſque circum aras complodentes ad numeros pſallebant, & pulſatis cymbalis choreas agebant. Cujus rei cauſam *Servius* in 5. Virg. eclog. hanc annotat, voluiſſe nimirum majores, nullam corporis partem eſſe, quæ non ſentiret religionem: *Cantus* autem ad animum, *Saltationem* ad mobilitatem pertinere corporis. Porrò ſuæ ſingulis Diis victimæ etiam deputatæ erant, *ſuperis* albæ & impares: *inferis* nigræ & pares mactabantur. *Iovi prodigiali* thure & mola ſalſa, *Iovi Flamini* bove candido litabatur. *Neptuno*, *Apollini*, & *Marti*, tauro, verre & ariete: *Heroibus* tauro, capro, & ariete: *Cereri* primum lacte, vino, & favis, poſteà porca: *Cybeli* itidem porca: *Æſculapio* capris, & gallinis: *Laribus* gallo: *Soli*, & *Marti* equo: *Lunæ* tauro: *Iunoni* agna: *Veneri* columba: *Pani* & *Minervæ* capra: *Dianæ* cerva: *Libero patri* melle, vino, & lacte, interdum capro & hirco: *Sylvano*, porco: *Fauno*, agna vel hœdo, de quibus alibi. Atque hæc de *Sacerdotiis*, & in genere *ſacrificiis* hactenus. Dicemus jam de diebus feſtis.

AD CAP. XXXIII. VLT. PARALIPOMENA.

De vocabulis uſitatis, & formulis Sacrorum, Stare, ſedere, transferre ſacra, circumagere ſe, malum oſculari.

Formulæ ſuperſunt, quæ ex eruditiſſimo B. Briſſonio clariſſimo de formulis volumine peti poſſunt. Ac primum adorantes deos, *ſtabant* erecto corpore, ampliorem auguſtioremque cultum exhibituri. M. Martial. l. 12. epigr. 78.

Multis dum precibus Iovem ſalutat,
Stans ſummos reſupinus uſque in ungues,
Æthon in Capitolio.

Hic quidem mos in communioribus ſacris obſervatus aliis animadverſus, at in parentali, ſeu funebri ſolemnitate, operantes ſacris ſedebant. Q. Curt. l. 8. *Aſſidebat ei una ex neptibus, nuper amiſſum Hepheſtionem, cui nupſerat, lugens.* Servius Honoratus ad principium l. 9. Æneid. *Ad augurandi tantum conſuetudinem, & ſententiam in ſenatu dicendi trahit.* Sed certum etiam parentantes, & lugubria peragentes officia, *ſedere* ſolitos, vel ex Hebræorum ritu, ut ex ſacris literis clarum, D. Matth. c. 27. Atque ita intelligo poëtas. M. Martialem l. 2. epigr. 41.

Te mæſta decet aſſidere matri,
Lugentique virum, piumque fratrem.

Et lib. 8. epigr. 57.

Tres habuit dentes, pariter quos expuit omnes,
Ad tumulum Piccus dum ſedet ipſe ſuum.

Papin. Stat. l. 5. ſil. 3. v. 65.

—— *tepido genitrix ſuper aggere nati*
Mæſta ſedet.

Alb. Tibull. l. 2. eleg. 7.

Illius ad tumulum fugiam, ſupplexque ſedebo,
Et mea cum muto fata querar cinere.

P. Virgil. l. 6. Æneid. in limine:

—— *luco tum forte parentis*
Pilumni Turnus ſacrata valle ſedebat.

Aurel. Propert. l. 3. eleg. 15.

Adferet huc unguenta mihi, ſertiſque ſepulchrum
Ornabit, cuſtos ad mea buſta ſedens.

Ab hac conſuetudine dimanavit, ut ſedem pro ſepulchro, ſeu tumulo uſurpemus. Ammian. Marcellin. l. 22. *Metuens, ne collectu ſupremis ſedes illi, ut reliquis extruerentur.* Sidon. Apollinar. l. 2. epiſt. 8. *Perpetuis ſedibus dormienti ſimilior illata eſt.* Ad quem locum doctiſſimus Savaro idipſum obſervavit, ex l. ult. C. Theod. *de ſepulch. viol.* ubi *ſedes Apoſtolorum*, pro tumulo. & Valentinian. Aug. Novella *de ſepulch.* eodem loquendi genere uſus eſt & Paulus IC. l. 40. ff. *de Religioſ. & ſumptib. funer.* *Si quis eo animo corpus intulerit, quod cogitabat inde alio poſtea transferre, magiſque temporis gratia deponere, quam quod ibi ſepeliret mortuum, & quaſi æterna ſede dare deſtinaverat, manebit locus profanus.* In pandectis Florentinis legitur, *æternam ſedem dare deſtinaverat.* Sed parum intereſt. Vetus marmoris cujuſdam fragmentum:

HANC. SEDEM. SIBI. VIVI. POSVERVNT.

Et aliud in Epigrammatis & poëmatiis veterum l. 4. cujus hæc ſunt verba:

LÆVI-

LÆVITIÆ. CONIVNX. PETRONIA. FORMA. PVDORIS.
HIS. MEA. DISCEDENS. SEDIBVS. OSSA. LOCO.
PARCITE. VOS. LACHRIMIS. DVLCES. CVM. CONIVGE. NATÆ.
VIVENTEM. QVE. DEO. CREDITE. FLERE. NEFAS.

Et poëtæ hoc ſenſu. Claudian. de bello Getico. & alii paſſim:

—— *delubra Numæ, ſedemque Quirini.*

Et Virgil. lib. 6. Æneid.

Sedibus hunc refer ante ſuis, & conde ſepulchro.

Idem eodem libro:

—— *quam ſedibus oſſa quierunt.*

Porrò *ſedem* hanc *perpetuam* appellavit Sidonius ſupra, è qua ſcilicet oſſa transferri inconſulto ſacrorum rege, aut pontifice, nefas erat, ut infra dicam, non *quod corpora non reſurgant*, ut quibuſdam impiè perſuaſum: ſed ut *diſcrimen ſit inter temporarium ſepulchrum, & æternum.* Diocletiani & Maximiani reſcriptum id firmat. Paul. IC. l. 1. Receptar. ſententiar. l. 1. tit. ultim. *Qui corpus perpetuæ ſepulturæ traditum, vel ad tempus alicui loco commendatum nudaverit, & ſolis radiis oſtenderit, piaculum committit.* Et l. 4. C. *de ſepulch. viol. qui ſepulchra violant, domos, ut ita dixeris, defunctorum.* Epitaphium Creſtinæ in antiquo lapide:

NE. QVIS. NOS. INQVIETET. EX. ARCA. MEA. NEQVE. IN. ALIAM. PONAT. AVT. COMMVTET.

D. Auſon. in profeſſorib. in fine:

Sedem ſepulchris ſervet immotus cinis.

M. Varro Pſeudonea, laudante Priſciano Cæſarienſi:

Per æviternum hominum domum
Tellurem propero gradum.

Quare & ſacra inconſulto pontifice, uti jam proximè ſupra expoſuit, ſine tumulo oſſa efferre, ſeu donaria deorum, ſtatuaſque in alium locum exportare, non conceſſum. C. Plin. Iunior. l. 10. epiſt. 73. ad Trajanum Aug. *Petentibus quibuſdam, ut ſibi reliquias ſuorum, aut propter injuriam vetuſtatis, aut propter fluminis incurſum, aliaque his ſimilia quæcunque, ſecundum exemplum proconſulum, transferre permitterem, quia ſciebam in urbe noſtra ex ejuſmodi cauſis collegium pontificum adiri ſolere, te, domine, maximum pontificem conſulendum putavi, quid obſervare me velis.* Reſpondet Trajanus Plinio Epiſtola ſequenti: *Durum eſt injungere neceſſitatem provincialibus pontificum adeundorum, ſi reliquias ſuorum propter aliquas juſtas cauſas transferre ex loco in alium locum velint.* Vet. Scholiaſt. Iuvenal. Sat. 4. v. 61. *Romani Tullo Hoſtilio rege cum deſeruiſſent Albam ſacra ſublata Romam tranſtulerunt, & deos Penates quorum penetrale tam venerabile deprehenſum eſt, ut lapidatio de cœlo caderet ſupra ..... memorati ponderis propter quod prodigium ex libris Sibyllinis juſſi pontifices ex S C. Albæ ſacra renovare; tanta enim repente, cum ea vellent transferre, grando cecidit, ut intelligerent ſuis locis ſacra non eſſe movenda.* Alludunt poëtæ ad hanc ſacrorum tranſlationem. Ovid. lib. 14. Metamorph.

—— *ſacra & ſacra altera, patrem*
Fert humeris, venerabile onus, Cythereïus heros.

Virgil. l. 2. Æneid. & alibi paſſim:

Sacra ſuoſque tibi commendat Troja Penates,
Hos cape fatorum comites.

Quæ tranſlatio propriè deorum peregrinorum erat, qui evocatis ex civitatibus obſeſſis invitabantur à Sacerdote Romano, toto coram exercitu, Roma ne dedignarentur migrare, habituri auguſtiora templa, amplioraque ſacrificia, magis ſolemnes cultus, ut dicam libro 10. hoc opere infra cap. 18. eleganter Feſtus Pompeius lib. 14. *Peregrina ſacra appellantur, quæ aut evocatis diis in oppugnandis urbibus, Romam ſunt conlata* (in aliis editionibus habetur, *coacta*, in aliis, *covata*,) *aut quæ ob quaſdam religiones, aut pacem ſunt petita, ut ex Phrygia Matris Magnæ, ex Græcia Cereris, Epidauro Æſculapii, quæ coluntur eorum more, à quibus ſunt accepta.* Servius Maurus ad illud l. 8. Æneid.

—— *Hanc tanti numinis aram*
Vana ſuperſtitio, veterumque ignara deorum
Impoſuit.

Cautum fuerat apud Athenienſes & Romanos, ne quis novas religiones introduceret, & ideo Socrates damnatus eſt Athenis, & Chaldæi & Iudæi, urbe expulſi ſunt. Idem ad illud l. 8. Æneid. in fine:

Omnigenumque deûm monſtra.

Monſtra dixit, quia necdum ſub Auguſto Ægyptiaca ſacra Romani receperant, & Varro Alexandrinos Deos Romæ coli indignatur. Sed vide illi adverſantem Lucanum libr. 2. ſupra hujus operis. Et legendus C. Suetonius in Auguſto cap. 93. Denique huc pertinet comminatio illa Caji Caligulæ apud eundem Suetonium in eo cap. 22.

Εἰς γαῖαν Δαναῶν περάσω σε.
Ad terram Græcorum transferam te.

Ad alia pergo. Deos ſalutantes, ſive ſacrificantes, ſive adorantes totum corpus circumagebant adeo, ut ritum antiquiſſimum ſacrificantium fuiſſe ex eo conjicere liceat, quod piacularis & expiatorii ſacrificii genus *à circumlatione* dictum contendat Servius ad lib. 6. Æneid. v. 229. T. Liv. 1. Decad. l. 5. *Convertentem ſe inter hanc venerationem traditur memoriæ prolapſum cecidiſſe.* C. Plin. l. 28. c. 2. *In adorando, dextram ad oſculum referimus, totum corpus circumagimus, quod in lævum feciſſe Galliæ religioſius credunt.* Sæpiſſime Plutarchus, in Numa, in Camillo, in Marcello, C. Sueton. in Veſpaſiano cap. 7. *Cum ædem Serapidis ſubmotis omnibus ſolus intraſſet, ac propitiato multum Deo ſe convertiſſet.* Sed expreſſius cultiuſque multo idem in Aulo Vitellio c. 2. *Idem miri in adulando ingenii, primus C. Cæſarem adorari ut Deum inſtituit, cum reverſus ex Syria non aliter adire auſus eſſet, quàm capite velato, circumvertenſque ſe, deinde procumbens.* Eadem Dio Cocceian. l. 59. ad finem. Non de C. Cæſare Dictatore id intelligendum, ſed de Caligula. C. Tacitus lib. 6. Annal. *Exemplum apud poſteros adulatorii dedecoris habitus.* Ita audiendus L. Sen. præfat. ad lib. 4. Nat. quæſt. *Alius adulatione clam utetur, parce, alius, ex aperto, palam ruſticitate ſimulata, quaſi ſimplicitas ſit illa, non ars: Plancus artifex ante Villeium maximus.* M. Anton. Muretus putavit legendum; *Plancus artifex ante Velleium maximus*, ut intelligatur C. Velleius Paterculus, qui ſub Tiberio eleganti ſtylo ſcriptam hiſtoriam M. Vinicio conſuli dedicavit, à quo nemo fidem expectet, quum turpiſſima & probroſa adulatione Pompeianarum partium ſtudia taceat, ducum virtutes celet, contra Cæſareanos etiam immerentes extollat, & ſupra humanam virtutem geſta quantumvis exigua elevet. Ioan. Opſopæus, ex Iuſto Lipſio, reponit, *Plancus artifex ante Vitellium maximus*, quæ ex dictis paulo ante clara eſt conjectura.

Sed ad modum ſe convertendi in adorationibus regredior, qui poëtis expreſſus. P. Ovid. l. 3. Faſtor.

Atque aliquis modo trux, viſa jam vertitur ara,
Vinaque dat tepidis farraque ſalſa focis.

Idem lib. 5. Faſtor.

Cumque manus purè fontana perluit unda,
Vertitur, & nigras accipit ore fabas.

T. Lucret. Carus lib. 5. de Rer. Nat.

Nec pietas ulla eſt, velatum ſæpe videri
Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras,
Nec procumbere humi proſtratum.

Sext. Aurel. Propert. lib. 1. eleg. 16.

Ante tuos quoties verti me perfida poſtes,
Debitaque occultis vota tuli manibus?

Et lib. 3. eleg. 7. idem:

Quæ mulier gravida jactat convitia lingua,
Et Veneris magnæ volvitur ante pedes.

Corrige ex MS. caſtigatiuſque mecum lege:

Et Veneris magnæ vortitur ante pedes.

Rationem aſſignant, quod motus ille exprimat ſimilitudinem univerſæ hujus, quam infra ſupraque incolimus, aſpicimus, molis, quæ perpetua indefeſſaque vertigine, nunquam ceſſatura, raptatur; & morem quidem apud Colchos illum invaluiſſe teſtis Valerius Flaccus Setinus libr. 8. Argonautic. in nuptiis Iaſonis & Medeæ:

Inde ubi sacrificas cum conjuge venit ad aras
Æsonides, unaque adeunt, unaque precari
Incipiunt, ignem Pollux; undamque jugalem
Prætulit, ut dextrum pariter vertantur in orbem.

Vnde oritur dissidium, in quam circumagentes se partem verterent, quibusdam videtur ad sinistram, quod in augurali scientia, cœli pars dextera, id est, oriens respectu totius universi, ratione nostri habita, læva nominetur. Ennius l. 6. Annal. apud Tullium l. 1. de Divinat.

Cum tonuit lævum bene tempestate serena.

Servius Honoratus Maurus ad illud libr. 2. Æneid. Virgilianæ:

Intonuit lævum.

Sed potius crediderim, ad dextram verti se sacrificantes consuevisse. Nam supra proximè Valerius dixerat:

——— *dextrum referantur in orbem.*

Et locuples testimonium ex Plauto in Curculione, citante eruditissimo Ægidio Maserio:

——— *quo me vertam, nescio:*
Si Deos adoras, dextroversum censeo.

Postquam se vertissent, corpusque sic circumegissent, manum ad osculum referebant. D. Hieronym. libr. 1. in Ruffinum: *Quia enim qui adorant, solent deosculari manum, & capita submittere, & Hebræi juxta linguæ suæ proprietatem deosculationem pro veneratione ponunt.* L. Apul. l. 4. Milesiar. *Admoventes oribus suis dexteram, priore digito in erectum pollicem residente, ut ipsam prorsus deam Venerem, religiosis adorationibus venerabantur.* Et Apolog. lib. 1. *Si sanum aliquod prætereat, nefas habeat adorandi gratia manum labris admovere.* Minutius Felix in Octavio: *Cæcilius simulachro Serapidis viso, (ut vulgus superstitiosus solet) manum ori admovens, osculum labiis pressit.* Multa plura, & erudita invenies apud Pet. Pithæum lib. 1. subsecivor. c. 7. & alios criticos. *Capita velare* etiam ex locis supra citatis, liquet in more fuisse, sed alibi à me dicetur fusius: ut & *ad orientem spectare, lavare, silentium præstare*; Denique de *expiatorio sacro* latius infra disseram.

ROMA-

ROMANARVM ANTIQVITATVM

LIBER QVARTVS.

DE ANNO, MENSIBVS, ET DIEBVS.

Posteaquam de Diis, *quos Romani coluerunt, tum* Deorum ministris, *sive* Sacerdotibus *diximus: requirit proposita tractationis ordo, ut de* sacris *etiam eorum, &* diebus *in eorum honorem* feriatis, *quædam subjiciamus: qua quidem in re, quantum fieri aut præstari à nobis potest, sequemur potissimum* Kalendarium, *sive* Fastos Romanos, *ex vetustis marmoribus descriptos, & ab aliquot doctissimis viris in publicum editos: à quibus tamen* Ovidius *in iis, qui adhuc extant,* VI. Fastorum libris *non raro discrepat, cui nos illorum auctoritatem semper prætulimus, discrepantiam simul illam annotantes. Cum autem hic de* diebus *potissimum* festis, *& eorum ceremoniis agere instituissemus, operæ precium nos facturos arbitrati sumus, si paulo altius initium repetentes tractationi huic de* festis *quædam de* anni ratione *apud eos observata præmitteremus, ut ita universam doctrinam de* anno, mensibus *&* diebus *conjunctam in conspectu habere studiosi possent. Æquum præterea erat, ut de partibus in hoc libro dicturi, de* diebus *videlicet rationem totius nimirum* anni, *explicaremus. Sed omissa longiore præfatione, rem ipsam aggrediemur, dicturi primum de* anni ratione: *post* Kalendarium Romanum *à marmore descriptum sicuti à* Paulo Manutio, Huberto Goltzio, *&* Benedicto Aria Montano *editum est, in medium proponeremus: huic subjiciemus explicationem & divisionem* dierum: *postremum, secundum ordinem* mensium *de* diebus festis, *ut quique occurrent, disseremus, non neglectis etiam iis, quorum hoc in* Kalendario *nulla fit mentio. Atque hæc de ordine.*

CAPVT I.

De triplici anno Romanorum.

TRIPLICI anno Romani diversis temporibus usi sunt: primo *Romuli*: altero *Numæ* Pompilii: tertio *C. Iul. Cæsaris*, Primus annus à Romulo ordinatus habuit menses x. dies CCCIV. (quanquam alii velint, *Romuli annum* in XXII. menses distributum, CCCLIV. dies habuisse, nos tamen priorem numerum, quem etiam *Varro* Romanorum doctissimus probat, retinebimus) *Numæ* annus in XII. mensibus. CCCLIV. dies habuit. *Iulius* autem ex diebus CCCLXV. & quadrante annum constituit. De his singulis *Macrobium* disputantem audiemus, qui libro primo Saturnal. c. 12. hæc scribit: Romani auctore *Romulo* annum suum x. mensibus ordinatum habuerunt: qui à *Martio* incipiebat, & conficiebatur diebus CCCIV. Vt VI. quidem menses, id est, *Aprilis, Iunius, Sextilis, September, November, December*, tricenum essent dierum, quatuor vero, *Martius, Majus, Quinctilis, October*, tricenis & singulis expedirentur, qui hodieque *Septimanas* habent *Nonas*, cæteri *quintanas*. Septimanas autem habentibus, ab Idibus revertebantur, *Kalendæ* ad diem septimum decimum: verum habentibus *quintanas*, ad decimum octavum remeabat initium Kalendarum. Hæc *Romuli* constitutio. Sed cum hic numerus, ut idem Scriptor tradit, neque Solis cursui, neque Lunæ rationibus conveniret, nonnunquam usu veniebat, ut frigus anni æstivis mensibus, & contra calor hyemalibus proveniret. Quod ubi contigisset, tantum dierum, sine ullo mensis nomine patiebantur assumi, quantum ad id, anni tempus adduceret, quo cœli habitus instanti mensi aptus inveniretur. Sed secutus *Numa*, quantum sub cœlo rudi & sæculo adhuc impolito, solo ingenio magistro comprehendere potuit, vel quia Græcorum observatione forsan instructus fuit quinquaginta dies addidit, ut in trecentos quinquaginta quatuor dies, quibus duodecim Lunæ cursus confici credidit, annus extenderetur; atque his quinquaginta diebus à se additis, adjecit alios sex, retractos illis sex mensibus, qui triginta habebant dies, id est, de singulis singulos, factisque sexaginta, & sex

 dies,

НБ ОНУ імені

dies, in duos novos menses pari ratione divisit: ac de duobus priorem *Ianuarium* nuncupavit, primumque anni esse voluit, secundum dicavit *Februo Deo*, qui lustrationum potens creditur. Paulo vero post in honorem imparis numeri, unum adjecit diem quem *Ianuario* dedit, ut tam in anno, quam in mensibus singulis præter unum *Februarium*, impar numerus servaretur. Nam quia duodecim menses, si singuli, aut pari aut impari numero putarentur, consummationem parem facerent: unus pari numero institutus, universam putationem parem facit. *Ianuarius* igitur, *Aprilis*, *Iunius*, *Sextilis*, *September*, *November*, *December*, undetricenis censebantur diebus, & *quintanas Nonas* habebant. Ac post *Idus* in omnibus septemdecim ad *Kalendas* computabantur. *Martius* vero, *Majus*, *Quintilis*, & *October*, dies tricenos singulos possidebant. *Nonæ* in his septimanæ erant. Similiterque post *Idus* decem & septem dies in singulis usque ad sequentes *Kalendas* computabantur. Sed solus *Februarius* viginti & octo retinuit dies, quasi inferis diminutio, & par numerus conveniret.

Cum ergo Romani ex hac distributione *Pompilii*, ad Lunæ cursum, sicuti *Græci*, annum proprium computarent, necessario & intercalarem mensem instituerunt more Græcorum. Nam & Græci cum animadverterent temere se trecentis quinquaginta quatuor diebus ordinasse annum, quoniam apparet de solis cursu, qui trecentis sexaginta quinque diebus, & quadrante *Zodiacum* conficit, deesse anno suo undecim dies, & quadrantem, *intercalares* statuta ratione commenti sunt, ita ut octavo quoque anno nonaginta dies, ex quibus tres menses tricenum dierum composuerunt, intercalarent. Id *Græci* fecerunt, quoniam erat operosum, atque difficile, omnibus annis undecim dies, & quadrantem intercalare. Itaque maluerunt hunc numerum octies multiplicare, & nonaginta dies, qui nascuntur, si quadrans cum diebus undecim octies componatur, inserere, in tres menses (ut diximus) distribuendos. Hunc ergo ordinem *Romanis* quoque imitari placuit, sed frustra: quippe fugit eos, diem unum (sicut supra admonuimus) additum à se ad Græcum numerum, in honorem imparis numeri. Ea re per *octennium* convenire numerus, atque ordo non poterat. Sed nondum hoc errore comperto, per octo annos, nonaginta quasi superfundendos *Græcorum* exemplo computabant dies: alternisque annis & binos & vicenos, alternis ternos, vicenosque *intercalares*, expensabant intercalationibus quatuor. Sed octavo quoque anno *intercalares* octo affluebant dies ex singulis, quibus vertentis anni numerum apud *Romanos*, super *Græcum* abundasse jam diximus. Hoc quoque errore jam cognito, hæc species emendationis inducta est. Tertio quoque octennio ita *intercalandos* dispensabant dies, ut non nonaginta, sed sexaginta sex intercalarent, compensatis viginti-quatuor diebus pro illis, qui per totidem annos supra Græcorum numerum creverant. Omni autem *intercalationi* mensis *Februarius* deputatus est, quoniam is ultimus anni erat. Quod etiam ipsum de *Græcorum* imitatione faciebant. Nam & illi ultimo anni sui mensi superfluos interserebant dies. Verum una re à Græcis differebant: nam illi confecto ultimo mense, Romani non confecto *Februario*, sed post vigesimum tertium diem *intercalabant*, terminalibus scilicet jam peractis. Deinde reliquos *Februarii* mensis dies, qui erant quinque, post intercalationem subjungebant: Credo, veteris religionis suæ more, ut *Februarium* omnino *Martius* sequeretur. Sed quum sæpe eveniret, ut *nundinæ* modo in anni principem diem, modo in *Nonas* caderent (utrunque autem perniciosum Reipubl. putabatur) remedium, quo hoc averteretur excogitatum est. Dies ille quo abundare annum diximus, eorum est permissus arbitrio, qui fastis præerant, ut cum vellent, *intercalarent*: dum modo eum in medio *terminaliorum*, vel mensis intercalaris ita locarent, ut à suspecto die celebritatem everterent nundinarum. Et hæc anni ordinatio à *Numæ* regis regno, ad *Iul. Cæsaris* Imperium Romæ duravit. Is enim tertius fuit, qui annum ordinarit, quem nos adhuc hodie sequimur. Illam vero constitutionem *Macrobius* l. 1. Saturn. c. 14. sic describit. Verum fuit tempus, inquit, cum propter superstitionem *intercalatio* omnis omissa est, nonnunquam vero per gratiam *Sacerdotum*, qui cum Publicanis proferri, vel imminui consulto anni dies volebant: modo auctio, modo retractio dierum proveniebat & sub specie observationis emergebat major confusionis occasio. Sed postea *C. Cæsar* omnem hanc inconstantiam temporum, vagam adhuc & incertam, in ordinem statutæ definitionis coegit, adnitenti sibi *M. Favio Scriba*, qui scriptos dies singulos ita ad *Dictatorem* retulit, ut & ordo eorum inveniri facillime posset, & invento certus status perseveraret. Ergo *C. Cæsar* exordium novæ ordinationis inturus, dies omnes, qui confusionem adhuc poterant facere, consumpsit: eaque re factum est ut *annus confusionis* ultimus in CDLII. dies protenderetur. Post hoc imitatus *Ægyptios*, solos divinarum rerum omnium conscios, ad numerum Solis, qui diebus CCCLXV. & quadrante cursum contendit. Nam sicut *Lunaris annus* mensis est, quia Luna paulo minus quam mensem in Zodiaci circuitione consumit, ita *Solis annus* hoc dierum numero colligendus est, quem peragit, dum ad id signum se denuo vertit, ex quo digressus est, unde *annus vertens* vocatur, & habetur *magnus*, cum Lunæ annus *brevis* putetur. *Iulius* ergo *Cæsar* x. dies observationi veteri superadjecit, ut annum CCC. & LXV. dies quibus Sol lustrat Zodiacum, efficerent: & ne quadrans deesset, statuit, ut quarto quoque anno, *Sacerdotes* qui curabant mensibus ac diebus unum *intercalarent* diem: eo scilicet mense ac loco, quo etiam apud veteres menses intercalabantur, id est, ante quinque ultimas *Februarii* mensis dies, idque *bissextum* censuit nominandum. Dies autem decem, quos ab eo additos diximus, hac ordinatione distribuit. In *Ianuarium*, *Sextilem* & *Decembrem* binos dies inseruit. In *Aprilem* autem, *Iunium*, *Septembrem* & *Novembrem* singulos. Sed neque mense *Februario* addidit diem, ne Deo infero religio immutaretur: & *Martio*, *Majo*, *Quintili*, *Octobri* servavit pristinum statum, quod

quod satis pleno erant numero, id est, dierum singulorum tricenorumque. Ideo & septimanas habent *Nonas*, sicut Numa constituit, quia nihil in his *Iulius* mutavit. Sed *Ianuarius*, *Sextilis*, *December*, quibus Cæsar binos dies addidit, licet tricenos singulos habere post Cæsarem cœperint; *quintanas* tamen habent *Nonas*, & ab Idibus illis sequentes *Kalendæ* in undevicesimum revertuntur: quia *Cæsar*, quos addidit dies, neque ante *Nonas*, neque ante *Idus* inserere voluit, ne *Nonarum* aut *Iduum* religionem, quæ statuto erant die, novella comperendinatione corrumperet. Sed nec post *Idus* voluit inserere, ne feriarum quarunque violaretur indictio. Sed peractis cujusque mensis feriis, locum diebus advenis fecit. Et *Ianuario* quidem dies, quos dicimus quartum & tertium *Kalendas Februarias*, dedit: *Aprili*, tertium *Kalendas* Majas: *Iunio*, tertium Kalendas Iulias: *Augusto*, quartum & tertium Kalendas Septembris: *Septembri* tertium Kalendas Octobris: *Novembri*, tertium Kalendas Decembris: *Decembri* vero, quartum & tertium Kalendas Ianuarias. Ita factum est, ut cum omnes hi menses, quibus dies addidit, ante hanc ordinationem habuissent mensis sequentis *Kalendas* ad septimum decimum revertentes, postea ex augmento additorum dierum, hi qui duos acceperunt ad nonumdecimum: qui vero unum, ad octavum decimum haberent reditum Kalendarum. *Feriarum* tamen cujusque mensis ordo servatus est: nam si cui fere tertius ab Idibus dies festus, aut *feriatus* fuit, & cum ad sextum decimum dicebatur, etiam post augmentum dierum, eadem religio servata est, ut tertio ab Idibus die celebraretur: licet ab incremento non jam ad decimum sextum *Kalendas*, sed ad septimumdecimum, si unus, ad decimum octavum si duo essent additi, diceretur. Nam ideo novos dies circa finem cujusque mensis inseruit, ubi finem omnium, quæ in mense erant, reperit feriarum, adjectosque omnes à se dies fastos notavit, ut majorem daret actionibus libertatem, & non solum nullum *nefastum*, sed nec *Comitialem* quemquam de adjectis diebus instituit, ne ambitionem *Magistratuum* augeret adjectio. Sic annum civilem *Cæsar* habitis ad Lunam dimensionibus constitutum, edicto palam posito publicavit.

Et huc usque error stare potuisset, ni *Sacerdotes* sibi errorem novum ex ipsa emendatione fecissent. Nam cum oporteret diem qui ex quadrantibus confit, quarto quoque anno confecto, antequam quintus inciperet, *intercalare*: illi quarto non peracto, sed incipiente, intercalabant. Hic error sex & triginta annis permansit, quibus annis *intercalati* sunt dies duodecim, cum debuerint intercalari novem.

Sed hunc quoque errorem sero deprehensum correxit *Augustus*, qui annos duodecim sine intercalari die transigi jussit, ut illi tres dies, qui per annos triginta & sex, vitio *Sacerdotalis* festinationis excreverant, sequentibus annis duodecim nullo die intercalato devorarentur. Post hoc unum diem, secundum ordinationem *Cæsaris*, quinto quoque incipiente anno, intercalari jussit, & omnem hunc ordinem æreæ tabulæ ad æternam custodiam incisione mandavit. Hactenus *Macrobius*.

Cum quibus eadem tradunt *Censorinus* de die Natali, *Dio*, *Suetonius*, *Plinius*, *Solinus*, *Florus*. Dissentit aliquo modo *Plutarchus*, qua de re vide *Lil. Gyraldum* in libro de Anno, Mensibus, ac Diebus, & *Aldum Manutium* lib. primo de Quæsitis per epistolam epistola tertia. Vt autem lucis aliquid his accedat, illam annorum & mensium differentiam brevi tabella lectori ob oculos ponemus.

ANNVS ROMVLI DIERVM
CCCIV. *menses habet decem.*

MARTIVS,	dies habuit	XXXI.
APRILIS,		XXX.
MAIVS,		XXXI.
IVNIVS,		XXX.
QVINTILIS,		XXXI.
SEXTILIS,		XXX.
SEPTEMBER,		XXX.
OCTOBER,		XXXI.
NOVEMBER,		XXX.
DECEMBER,		XXX.

ANNVS NVMÆ DIERVM
CCCLIV. *menses habet duodecim.*

IANVARIVS,	dies habuit	XXX.
FEBRVARIVS,		XXVIII.
MARTIVS,		XXXI.
APRILIS,		XXIX.
MAIVS,		XXXI.
IVNIVS,		XXIX.
QVINTILIS,		XXXI.
SEXTILIS,		XXIX.
SEPTEMBER,		XXIX.
OCTOBER,		XXXI.
NOVEMBER,		XXIX.
DECEMBER,		XXIX.

Annvs Cæsaris Diervm ccclxv. *Menses habet duodecim.*

Ianvarivs,	dies habuit	XXXI.
Febrvarivs,		XXVIII.
Martivs,		XXXI.
Aprilis,		XXX.
Maivs,		XXXI.
Ivnivs,		XXX.
Qvintilis,		XXXI.
Sextilis,		XXXI.
September,		XXX.
October,		XXXI.
November,		XXX.
December,		XXXI.

Cap. II.

De Kalendario Romano.

Cognitis his, quæ de triplici anni ordinatione apud Romanos passim traduntur, de singulis mensibus & diebus in iis festis agemus: quod antequam aggrediamur, operæ pretium nos facturos arbitramur, si præmittamus Kalendarium Romanum antiquum è marmore, quod est Romæ in ædibus Maffeiorum ad Agrippinam, descriptum, & à Paulo Manutio, ac filio illius Aldo aliquoties editum, cum quo etiam consentit illud, quod in charta patente, curante Benedicto Aria Montano Antverpiæ excusum est, & illud quod ab Huberto Goltzio in publicum datum est, quod meum studium benevolus Lector boni consulet.

Vetus Kalendarium Romanum è marmore descriptum in ædibus Maffeiorum ad Agrippinam, in tabula marmorea superne fracta.

Ianvarivs.	*Febrvarivs.*	*Martivs.*	*Aprilis.*
A. K. Ian. F.	H. K. Febr. N.	D. K. Mart. NP.	C. K. Apr. N.
B. F.	A. N.	E. F.	D. C.
C. C.	B. N.	F. C.	E. C.
D. C.	C. N.	G. C.	F. C. Lvdi Matri Magnæ.
E. Non. F.	D. Non.	H. C.	G. Non. Lvd.
F. F.	E. N.	A. NP. Hoc die Cæsar Pont. Max. factus est.	H. NP. Lvdi.
G. C.	F. N.	B. Non. F.	A. N. Lvdi.
H. C.	G. N.	C. F.	B. N. Lvdi.
A. Agon.	H. N.	D. C.	C. N. Lvdi.
B. En.	A. N.	E. C.	D. N. Lvd. in Circ.
C. Car. NP.	B. N.	F. C.	E. N.
D. C.	C. N.	G. C.	F. N. Lvdi Cereri.
E. Eid. NP.	D. Eid. N. P.	H. En.	G. Eid. NP. Lvdi.
F. En. dies vitios. ex S. C.	E. N.	A. Eq. NP.	H. N. Lvdi.
G. Car.	F. Lvper. NP.	B. Eid. NP.	A. Ford. NP. Lvdi.
H. C.	G. En.	C. F.	B. N.
A. C.	H. Qvir. NP.	D. Lib. NP.	C. N. Lvdi.
B. C.	A. C.	E. C.	D. N. Lvdi.
C. C.	B. C.	F. Qvin. N.	E. Cer. N. Lvd. in Circ.
D. C.	C. C.	G. C.	F. N.
E. C.	D. Feral. F.	H. C.	G. Par. NP.
F. C.	E. C.	A. N.	H. N.
G. C.	F. Ter. NP.	B. Tvbil. NP.	A. Vin. N. P.
H. C.	G. Regif. N.	C. Q. Rex. C. F.	B. C.
A. C.	H. C.	D. C.	C. Rob. NP.
B. C.			

C. C.

C. C.	A. En.	E. C.	D. F.
D. C.	B. Eq. N. P,	F. NP. Hoc die Cæsar Alexandr. recepit.	E. C.
E. F.	C. C.	G. C.	F. NP. Lvdi Flor.
F. N.		H. C.	G. C. Lvdi.
G. C.		A. C.	H. C. Lvdi.
		B. C.	
XXXI.	XXVIII.	XXXI.	XXX.

Maivs.	*Ivnivs.*	*Ivlivs.*	*Avgvstvs.*
A. K. Mai. N.	H. K. Ivn. N.	F. K. Ivl. N.	E. K. Avgvst. N.
B. F. Comp.	A. F. Mart. Car. Monet.	G. N.	F. C. Fer. hoc die C. Cæs. Hispalin. vic.
C. C.	B. C.	H. N.	G. C.
D. C.	C. C.	A. NP.	H. C.
E. C.	D. Non.	B. Poplif. N.	A. Non. F.
F. C.	E. N.	C. N. Lvdi Apollini.	B. F.
G. Non. N.	F. N.	D. Non. N. Lvdi.	C. C.
H. F.	G. Menti. in Capit.	E. N. Lvdi.	D. C.
A. Lem. N.	H. Vest. N. Fer. Vestæ.	F. N. Lvdi.	E. NP. Hoc die Cæsar Hispalin. vic.
B. C.	A. N.	G. C. Lvdi.	F. C.
C. Lem. N.	B. Matr. N.	H. C. Lvdi.	G. C.
D. NP. Lvdi Mart. in Circ.	C. N.	A. NP. Lvdi.	H. C.
E. Lem. N.	D. Eid. N.	B. C. Lvdi in Circ.	A. Eid. NP.
F. C.	E. N.	C. C. Merk.	B. F.
G. Eid. NP.	F. Q. St. D. F.	D. Eid. NP. Merk.	C. C.
H. F.	G. C.	E. F. Merk.	D. C.
A. C.	H. C.	F. C. Merk.	E. Port. NP.
B. C.	A. C.	G. C. Merk.	F. C.
C. C.	B. C.	H. Lvcar. NP. Merk.	G. Vin. F. P.
D. C.	C. C.	A. C. Lvdi Vict. Cæsar.	H. C.
E. Agon. NP.	D. C.	B. Lvcar. Lvd.	A. Cons. NP.
F. N.	E. C.	C. C. Lvdi.	B. En.
G. Tvr. NP.	F. C.	D. Nept. Lvdi.	C. Volc. NP.
H. Q. Rex. C. F.	G. C.	E. N. Lvdi.	D. C.
A. C.	H. C.	F. Fvrr. NP. Lvdi.	E. Opic. NP.
B. C.	A. C.	G. C. Lvdi.	F. C.
C. C.	B. C.	H. C. in Circ.	G. Volt. NP.
D. C.	C. C.	A. C. in Circ.	H. NP. H. D. ara Victoriæ in Curia dedic. est.
E. C.	D. F.	B. C. in Circ.	A. F.
F. C.	E. C.	C. in Circ.	B. F.
G. C.		D. C.	C. C.
XXXI.	XXX.	XXXI.	XXXI.

September.	*October.*	*November.*	*December.*
D. K. Sept. N. Hoc die Fer. Nep.	B. K. Oct. N.	A. K. Novemb. N.	G. K. Dec. N.
E. N.	C. F.	B. F.	H.
F. NP.	D. C.	C. F.	A.
G. C. Lvdi. Romani.	E. C.	D. F.	B.
H. Non. F. Lvd.	F. C.	E. Non. F.	C. Non. F.
A. F. Lvdi.	G. C.	F. F. Lvdi.	D. C.
B. C. Lvdi.	H. Non. F.	G. C. Lvdi.	E. C.
C. C. Lvdi.	A. F.	H. C. Lvdi.	F. C.
D. C. Lvdi.	B. C.	A. C. Lvdi.	G. C.
	C. C.	B. C. Lvdi.	H. C.

E. C,

E. C. LVDI.	D. MEDI. TR.	C. C. LVDI.	A. AGON. NP.
F. C. LVDI.	E. AVGVST. NP.	D. C. LVDI.	B. EN.
G. N. LVDI.	F. FONT. NP.	E. EID. NP. Epul. ind.	C. EID. NP.
H. EID. NP.	G. EN.	F. F. Equor. prob.	D. F.
A. F. Equor. prob.	H. EID. NP.	G. C. LVD. pleb. in Circ.	E. CONS. NP.
B. LVD. Rom. in Circ.	A. F.	H. C. in Circ.	F. C.
C. C. in Circ.	B. C.	A. C. in Circ.	G. FERIÆ SATVRN.
D. C. in Circ.	C. C.	B. C. MERK.	H. C.
E. C. in Circ.	D. ARM. NP.	C. C. MERK.	A. OPAL. NP.
F. C. in Circ.	E. C.	D. C. MERK.	B. C.
G. C. MERK.	F. C.	E. C.	C. DIV. NP.
H. C. MERK.	G. C.	F. C.	D. C.
A. C. MERK.	H. C.	G. C.	E. LAR. NP.
B. NP. MERK. H. D. Augusti natalibus Lud. Circ.	A. C.	H. C.	F. C.
C. C.	B. C.	A. C.	G. C.
D. C.	C. C.	B. C.	H. C.
E. C.	D. C. LVD. VICT.	C. C.	A. C.
F. C.	E. C. LVDI.	D. C.	B. C.
G. C.	F. C. LVDI.	E. C.	C. F.
H. F.	G. C. LVDI.	F. C.	D. F.
A. C.	H. C. LVDI.		E. C.
XXX.	XXXI.	XXX.	XXXI.

Sequitur hujus Kalendarii explanatio.

CAP. III.

De discrimine dierum apud Romanos.

De Anno & mensibus diximus; sequuntur *Dies* qui minores anni partes sunt. Non autem propositum nobis est, hoc loco ea adducere, quæ de diebus ab *Astronomis* dicuntur: ut quod alius sit *dies naturalis*, alius *artificialis*. Sed de *civili* tantum agemus, qui est spacium vigintiquatuor horarum. Apud *Romanos* autem est spacium à media nocte ad proximam mediam. Illi enim à media nocte diem suum incœperunt, quod *Terentius Varro* testatur quum *Athenienses* ab occidente Sole, *Babylonii* ab eodem oriente. *Vmbri* à meridie diem inciperent. Diei partes primum duæ apud Romanos erant, *ante meridiem* & *post meridiem*. Auctor *Censorinus* de Die natali, c. 19. Alii postea eundem in quatuor partes, sicuti & noctem similiter diviserunt, id quod testatur similitudo illa militaris, cum dicitur, *Vigilia prima*, item *secunda*, & *tertia*, & *quarta*. Tandem vero plura noctis & diei tempora notata, & propriis discreta nominibus, quæ apud veteres Poëtas, ut *Censorinus* ait, passim scripta inveniuntur. Primum diei tempus dicebatur *media nox*: alterum *mediæ noctis inclinatio*, vel de media nocte: tertium, *gallicinium* sive galli cantus: quartum, *conticinium*, quod & galli conticescerent, & homines etiam tum quiescerent: quintum, *diluculum*, cum incipit dignosci dies: sextum, *mane*, cum est dies clarus. Dictum autem *mane* est, aut quod ab inferioribus locis, id est, à manibus exordium lucis emergeret, aut ab omine boni nominis, quod Lanuvini *mane* pro bono dixerint. *Varro* ait, *Mane* dictum à *manando*, quod tum manaret dies ab oriente: *septimum*, tempus ante meridianum: *octavum* meridies, quæ ipsa est medii diei pars. Sunt qui *meridiem* dictum putent, quod merus sit dies: id est, purus. Nam *meridies* est purior diei pars, quia Sol in medio cœlo rutilat, & omnem orbem pari illustrat claritate: nonum, tempus *pomeridianum*: decimum, *Solis occasus*, sive suprema tempestas, hoc est, novissimum diei tempus: undecimum, *vespera*, quæ à stella, quæ Græcis ἕσπερος dicitur, nomen habet, quod tum appareat: duodecimum, *crepusculum*, sic fortasse appellatum, quod res incertæ crepere dicuntur: idque tempus noctis sit, an diei, incertum est: decimumtertium, *prima fax*, quod lumina tum accendebantur. Livius *primas tenebras* appellat. Horatius lib. 2. Epist. *prima lumina*, decimumquartum, *concubia nox*, cum itum est cubitum: decimum quintum, *intempesta nox*: id est, multa nox, quia nihil agi est intempestivum. *Ælius*: Intempestivum est, inquit, cum tempus agendi est nullum, quod alii *concubium* appellarunt, quod fere omnes tunc cubarent. Alii ab eo quod siletur: *silentium noctis* dixerunt: decimum sextum, *inclinatio ad mediam noctem*. Hæ partes breviter hoc typo comprehenduntur.

- DIES civilis continet
  - Lucem cujus partes sunt
    - Mane.
    - Ad Meridiem.
    - Meridies.
    - De Meridie, sive tempus occiduum.
    - Solis occasus, sive suprema tempestas.
  - Diluculum.
  - Crepusculum.
  - Tenebras, seu noctem, cujus partes sunt
    - Vesper.
    - Prima fax.
    - Concubium.
    - Nox intempesta.
    - Ad mediam noctem.
    - Media nox.
    - De media nocte, vel, mediæ noctis inclinatio.
    - Gallicinium.
    - Conticinium.

Cæterum non omnes dies unius generis erant, sed quædam earum discrimina & diversitates. *Numa* enim cum annum in duodecim menses distribuisset, eundem etiam in certa dierum genera divisit, ita ut quidam *dies* essent *Festi*, alii *Profesti*, alii *Intercisi*. *Festi* dicebantur, qui Diis dicati erant: *Profesti*, qui hominibus ad administrandam rem privatam, publicamque concessi erant: sic dicti, ut *Festus* ait, quod procul sint à religione numinis divini. *Intercisi*, erant Deorum, hominumque communes; quibusdam enim illorum horis fas erat, quibusdam non fas erat jus dicere. Nam cum *hostia* cædebatur, fari nefas erat: *intercasa* & *porrecta*, fari licebat: rursus cum adolebatur, non licebat. Ideoque *Intercisi* vel quomodo veteres pronunciabant, & quomodo etiam in Kalendario notantur, *Endotercisi* vocabantur, aut quod intercederet fas, aut quod intercisum esset nefas. *Festi* porro dies, inquit *Macrobius* libro primo Saturn. cap. 16. dividuntur in *sacrificia*, *epulas*, *ludos*, *ferias*. Sic & profesti in *Fastos*, *Comitiales*, *Comperendinos*, *Statos*, & *Præliares*. Sacra celebritas est, vel cum sacrificia Diis offeruntur: vel cum dies divinis epulationibus celebrantur: vel cum ludi in honorem aguntur Deorum: vel cum feriæ aguntur.

Feriarum autem aliæ sunt *publicæ*, aliæ *privatæ*. Publicarum porro genera sunt quatuor: aut enim *stativæ* sunt, aut *conceptivæ*, aut *imperativæ*, aut *nundinæ*. Et *stativæ* quidem feriæ sunt universi populi communes, certis & constitutis diebus, ac mensibus, & in fastis statis observationibus annotatæ, in quibus præcipue servantur *Agonalia*, *Carmentalia*, *Lupercalia*. *Conceptivæ* sunt, quæ quotannis à Magistratibus, vel Sacerdotibus concipiuntur in dies vel certos, vel etiam incertos: ut sunt *Latinæ*, *Paganalia*, *Cementinæ*, *Compitalia*. *Imperativæ* sunt, quas Consules, vel Prætores pro arbitrio potestatis indicant. *Nundinæ* sunt paganorum, id est, rusticorum, quibus conveniunt negotiis propriis, vel mercibus provisuri.

Privatæ autem feriæ sunt vel propriæ familiarum, ut *Claudiæ* familia, aut *Æmiliæ*, aut *Iuliæ*, aut *Corneliæ*, & si quas ferias proprias quæque familia ex usu domesticæ celebrationis observat, de quibus loquuntur duodecim tabulæ: *Sacra privata* perpetua manento: vel sunt singulorum, ut natalium fulgurumque susceptiones, aut funerum, atque expiationum. *Festus*: *Privatæ feriæ* vocantur sacrorum propriorum, velut *dies natales* operationis, *denecales*. Apud veteres quoque quicunque nominasset, ut ait *Macrobius*, *Semonam*, *Sejam*, *Segetiam*, *Tutilinam*, ferias observabat: Item *Flaminica*, quoties tonitrua audiisset, *feriata* erat, donec Deos placasset.

Cæterum ad *ferias publicas* quod attinet, indicebantur illæ, & proclamabantur singulis mensibus à *Rege sacrorum*, & à *Prætore*. Ab hoc quidem vacationis à forensibus negotiis: ab illo autem sacrorum rite peragendorum gratia. De *Rege sacrificulo* testis est *Varro* libro quinto de lingua Latina: *Rex* cum ferias menstruas Nonis Februariis edicit, hunc diem *Februatum* appellat. Et paulo post: Harum rerum vestigia apparent in sacris *Nonalibus* in arce: quod tunc ferias primas menstruas, quæ futuræ sint eo mense, *Rex* prædicit. Ex quibus verbis satis perspicuum est, *Regem sacrificulum* singulorum mensium ferias proclamasse. Videlicet (ut *Arnobius* adversus gentes libro secundo scribit) in hunc modum: *Lavatio* Deum matris est hodie: *Iovis epulum* cras est: Æsculapii geritur, celebraturque vindemia: *Lectisternium* Cereris erit Idibus proximis: Telluris natalis est, &c. Prætorem autem etiam, ferias, quæ *Compitalia* dicebantur, more majorum, verbis olim solennibus concepisse, *Agellius* lib. 10. cap. 24. *Macrobius* lib. 1. Saturn. cap. 4. auctores sunt.

Postquam enim modo *die quinti*, modo *die quinto* veteres dixisse docuissent, ad demonstrandam hanc veterum consuetudinem conferre plurimum, addiderunt hæc solennia verba, quibus more majorum. *Compitalia* Prætor concipere solet: *Die Noni post Kalendas Ianuarias Quiritibus Compitalia erunt.* Nec quidem *Compitalitias* duntaxat, sed etiam ferias omnes *conceptivas*, & *imperativas* indicere Prætorem consuevisse, ex eodem Macrobio & Suetonio probari potest. *Macrobii* verba supra sunt recitata. *Suetonius* in Claudio scribit: Observavitque sedulo, ut quoties terra in Vrbe movisset, ferias advocata concione Prætor in Vrbe indiceret. Vide hac de re plura apud *Iacobum Ræverdum* lib. 5. Variorum, cap. 19.

Quid porro feriis fieri deberet, docet *Cicero* libro 2. de Legibus, his verbis: Feriis jurgia amovento: easque in famulis, operibus patratis, habento: itaque, ut ita cadat in annuis anfractibus, descriptum esto: certasque fruges, certasque baccas *sacerdotes* publice libanto: hoc certis sacrificiis ac diebus. Itemque alios ad dies ubertatem lactis, fœtusque servanto: idque ne committi possit, ad eam rem ratione cursus annuos *Sacerdotes* finiunto, quæque cuique divo decoræ gratæque sint *hostiæ*, providento. Et paulo post hanc legem explicans, hæc dicit: *Feriarum, festorumque* dierum ratio in liberis requietem habet litium, & jurgiorum: in servis operum & laborum, quia compositio anni conferre debet & ad perfectionem operum rusticorum, & ad remissionem animorum: per quod tempus, ut sacrificiorum libamenta serventur fœtusque pecorum, quæ dicta in lege sunt, diligenter habenda ratio intercalandi est, &c. Hæc *Cicero*.

De *feriis* etiam hoc notandum est, quod *Macrobius* libro primo Saturnaliorum, capite decimo sexto habet: *Sacerdotes*, inquit, affirmabant, ferias pollui, quoties iis indictis, conceptisque opus aliquod fieret. Præterea non licebat *Sacrorum Regem*, & *Flamines* videre feriis opus fieri. Atque ideo per *Præconem* denunciabant, ne quid tale ageretur, & præcepti negligens mulctabatur. Præter mulctam etiam affirmabant eum, qui talibus diebus imprudens aliquid egisset, porco *piaculum* dare debere: prudentem expiare non posse *Scævola Pontifex* asseverabat. Sed *Varro* negat eum pollui, qui opus vel ad eos pertinens, sacrorumve causa fecisset, vel aliquid ad urgentem vitæ utilitatem respiciens actitasset. *Scævola* denique consultus, quid feriis agi liceret, respondit, id quod prætermissum noceret: quapropter si bos in specus decidisset, eumque paterfamilias, adhibitis operis liberasset, non est visus ferias polluisse: nec ille qui trabem tecti fractam fulciendo ab imminenti vindicavit ruina.

Ad *profestos dies* venio, quorum alii fuerunt *Fasti*, alii *Comitiales*, alii *Comperendini*, alii *Stati*. *Fasti* sunt, quibus licet fari Prætori tria verba solemnia, Do. Dico, ADDICO: quibus contrarii sunt *Nefasti*. His enim non licebat Prætori tria illa verba solennia fari. *Comitiales*, quibus cum populo agi licet. Comperendini, quibus vadimonium licet dicere. *Stati*, qui judicii causa cum peregrino instituuntur. Et quidem *Fasti dies* qui proprie sic appellantur in Kalendario notati omnes sunt litera F. ac sunt numero XXXXIX. Non tamen his solum, verum etiam aliis diebus Prætori tria illa solennia verba dicere licebat: *Comitialibus* scilicet, & illis qui dicuntur *Nefasti* primo. Eam ob causam *Paulus Manutius* tria *Fastorum* dierum genera facit. Primum genus eorum, de quibus jam diximus, quibus fari semper & licebat, & solebat: atque hi proprie erant *Fasti*, & toti proprie, quod per eos nisi cum aliquis casus extra ordinem interveniret, nunquam *Prætor* jus non dicebat: *toti*, quod fari omnibus horis licebat. Alterum genus eorum, qui & ipsi proprie *fasti* erant, sed non *toti*: hoc est, quibus quidem fari licebat, sed non omnibus horis: quales sunt, qui in Kalendario notantur literis his, EN. NP. F. P. Q. REX. C. Q. ST. D. quæ notæ sic explicantur: EN. *Endotercisos*, vel Intercisos denotat, de quibus supra. NP. *Nefastos* primo: id est, quibus quidem horis matutinis jus dicere non licebat, postmeridianis autem licebat. His contrarii erant F. P. id est, *Fasti primo*. his enim antemeridianis horis *justitium* erat, post meridiem vero, fari licebat. Q. Rex. C. significat: Quando Rex *Comitiavit*. Q. ST. D. Quando stercus defertur, de quibus suo loco plura. Hi autem erant omnes LXV. Tertium genus *Comitiales* fuere, qui casu tantum, non autem proprie *Fasti* erant. Quia, cum comitia non haberentur, tunc fari solum *Prætor* solebat. Hi modo toti erant *Fasti*, cum nulla scilicet Comitia haberentur: modò ex parte, cum haberentur illa quidem, sed minime per totum diem. Atque hi numero erant CXXCIV. qui reliquis duobus generibus additi, CCXXCVII. numerum efficiunt. Reliqui, præter hos omnes, erant *Nefasti*, hoc est, non licebat iis Prætori tria solennia verba fari: Causas tamen agere, concionem habere, & legem promulgare licebat. Porro quod ad rem militarem attinet, ibi etiam non erant unius generis dies omnes. Alii enim erant *Præliares*: alii non *præliares*. Iustos enim à Præliaribus *Macrobius* segregat. *Præliares* erant, quibus fas erat res repetere, vel hostem lacessere. *Iusti* erant continui triginta dies, quibus exercitui imperato, vexillum rufi coloris in arce positum erat. *Non præliares* erant, quibus res repetere, aut hostem lacessere non licebat, quales erant *dies Iusti*, item *atri*, ut postridie *Kalendas*, *Nonas*, & *Idus*. *Inominales*, ut ante quartum Kalendas, Nonas & Idus, & Feriæ Latinarum, Saturnaliorum, Ditis, ac Proserpinæ.

De diebus atris *Verrius Flaccus* libro quarto, de Verborum significatione, apud *Agellium* lib. quinto, capite decimoseptimo, cur ii qui sunt postridie Kalendas, Nonas, *Idus*, quos vulgus imperite *Nefastos* dicat, ita sint appellati, & habiti, his verbis docet: Vrbe, inquit, à Gallis Senonibus recuperata, *Lucius Attilius* in Senatu verba fecit: *Quintum Sulpitium* Tribunum militum ad Alliam adversus Gallos pugnaturum, rem divinam dimicandi gratia postridie *Idus* fecisse. Tum exercitum populi Romani occidione occisum, & post diem tertium ejus diei Vrbem, præter Capitolium, captam esse. Complureque alii *Senatores*

res recordari sese dixerunt, quoties belli gerendi gratia res divina postridie *Kalendas, Non. Idus* à Magistratu populi Romani facta esset, ejus belli proximo deinceps prælio Reipublicæ male gestum esse. Tum *Senatus* eam rem ad *Pontifices* rejecit, ut ipsi, quod videretur, statuerent. *Pontifices* decreverunt nullum iis diebus sacrificium recte futurum. Ante diem quoque quartum *Kalendas*, vel *Nonas*, vel *Idus* tanquam *Inominalem diem* plerique vitant. Ejus observationis an religio ulla sit tradita, quæri solet. Nihil super ea re scriptum invenimus, nisi quod *Claudius* Annalium quinto, cladem illam pugnæ Cannensis vastissimam, factam dicit ante diem quartum *Nonas Sextileis*. Hactenus *Agellius*. Idem habet *Macrobius* libro primo Saturnaliorum, capite decimosexto. De atris diebus etiam multa *Plutarchus* in Quæstionibus Romanis, quæstione vigesimaquinta. De feriis Latinarum, Saturnaliorum, Ditis ac Proserpinæ ita *Macrobius*: Nam cum *Latiar*, hoc est, Latinarum solenne concipitur, item diebus Saturnaliorum: Sed & cum mundus patet, nefas est prælium sumere. Quare nec Latinarum tempore, quo publice quondam induciæ inter Romanum populum, Latinosque firmatæ sunt, inchoari bellum decebat: nec *Saturni festo*, qui sine ullo tumultu bellico creditur imperasse: nec patente mundo, quod sacrum *Ditis* patri, & *Proserpinæ* dicatum est, meliusque occlusa *Plutonis* fauce, eundem ad prælium putaverunt. Vnde & *Varro* ita scribit: Mundus cum patet, Deorum terrestrium atque inferûm quasi janua patet, propterea non modò prælium committi, verùm etiam delectum rei militaris causa habere, ac militem proficisci, navem solvere, uxorem liberûm quærendorum causa ducere religiosum est, &c. Verumtamen hi dies observabantur in inferendo bello, non in excipiendo. Tum enim omnes *prælıares* erant. Atque hæc in genere de dierum discrimine dicta sunt, quæ omnia hoc typo comprehenduntur.



CAP. IV.

De Kalendis, Nonis, & Idibus.

Singulos menses *Romani* ex ordinatione Romuli distribuerunt in partes tres, in *Calendas*, *Nonas*, & *Idus*. *Calendas* dixerunt primum cujuscunque mensis diem, à Græco verbo καλῶ, id est, *voco*: quo etiam prisci Latini frequenter usi sunt. Cur autem primum singulorum mensium diem *Kalendas* vocitarint, causa hæc fuit: Priscis temporibus, antequam Fasti à *Cn. Flavio* Scriba invitis patribus in omnium notitiam proderentur, Pontifici minori hæc provincia delegabatur, ut novæ Lunæ primum observaret aspectum, visamque Regi sacrificulo nunciaret, atque tum sacrificio à Rege & *minore Pontifice* celebrato, idem Pontifex *Kalata*, id est, vocata in Capitolium plebe, juxta *Curiam Calabram*, quæ casæ Romuli proxima erat, quot numero dies à Calendis ad *Nonas* superessent, pronunciabat: & *quintanas* quidem, quinquies dicto verbo καλῶ, *septimanas* repetito septies prædicebat. Et hunc diem, quod ex his diebus, qui calarentur, primus esset, placuit *Kalendas* vocari. Ideò autem minor *Pontifex* numerum dierum, qui ad *Nonas* superessent, calando prodebat, quod post novam lunam oportebat Nonarum die populares, qui in agris essent, confluere in Vrbem, accepturos causas feriarum à Rege sacrorum, sciturosque quid esset eo mense faciendum. Hæc *Macrobius*, cum quo facit etiam *Terentius Varro*, qui libro 5. de ling. Lat. sic scribit: Primi dies mensium nominati *Kalendæ*, ab eo, quod his diebus *kalentur* ejus mensis *Nonæ* à Pontificibus, *quintanæne*, an *septimanæ* sint futuræ, in Capitolio, in curia *Calabra* sic: *Dies te quinque kalo Iuno Novella. Septem dies te kalo Iuno Novella*: hoc enim modo legendum esse docet *Iosephus Scaliger*, & addit, non malè etiam pro Iunone, *Ianam* legi, quo nomine *Luna* sit appellata à veteribus: item pro vocabulo *Novella*, in vetustioribus excusis, quod etiam *Turnebus* indicat, legi *Covella*, quod ipse deducit à *Covum*, quomodo veteres cœlum appellarunt, ita ut sit Iuno, vel *Iana Covella*: Iuno, vel Iana cœlestis. Sed hæc ὁ περίεργος. Venio ad *Nonas*, quas quidem sic dictas putant, quasi novæ observationis initium, quòd in eas occurreret principium *Lunæ*, vel quòd ab eo die semper ad *Idus* novem dies putarentur. His diebus populus ex agris in Vrbem conveniebat in arce, ibique *Rex sacrorum* prædicebat *primas* (vel *privas*, uti *Iosepho Scaligero* placet: id est, singulas) *ferias menstruas*, qua de re paulò ante diximus. Porrò quidam menses habebant quatuor *Nonas*, quidam sex, inde usque à Romulo primo Rege. Is enim cùm ita menses distribuisset, ut alii essent dierum triginta unius, alii undetriginta, tum, ut ex die Nonarum, *Idus* nono die essent, & inter *Idus* ac sequentes *Kalendas* sedecim dies intercederent, in mensibus illis, qui triginta unum dies habebant inter *Kalendas* & *Nonas* interjecit duos illos, quibus mensis augebatur, dies: inde fiebat, ut alius mensis *quatuor*, alius *sex Nonas* haberet, quod etiam *Cæsar*, cùm annum aliter ordinaret, observavit, ne stata sacra, quæ à Priscis instituta fuerant, transferrentur. Restant *Idus*, quæ in quovis mense sunt octo: dictæ *Idus*, vocabulo Thusco, apud quos idem dies *Itis* vocabatur, quod significat *Iovis fiduciam*. Cum enim Iupiter sit auctor lucis, unde etiam *Lucetius* & *Diespiter* dicitur: hujus autem diei lux non cum Solis occasu finiatur, sed splendorem diei & noctis continuet, Luna illustrante, quod semper in plenilunio: id est, medio mense fieri soleat, ideò jure Iovis fiduciam vocari eum putant. Alii volunt *Idus* dictas quasi *vidus*, à *videndo*, vel ἀπὸ τοῦ εἴδειν, id est, *videre*, quòd eo die plenam speciem Luna demonstret. Alii ab *ove iduli*, quæ Idibus omnibus immolatur. Alii putant Hetruscam vocem esse, apud quos *iduare* erat *dividere*: ideoque hunc diem *idus* dictam, quod mensem dividat, quia plerumque in medium mensem incidunt. Ab Idibus dies reliqui omnes referuntur ad *Kalendas* sequentis mensis: Dies postridie *Calendarum*, *Nonarum & Iduum* atros vel infaustos religiosos, hoc est, tristi omine *infames*, impeditosque esse, in quibus & res divinas facere, & rem quampiam novam exordiri non liceat, jam antè monuimus. Sed tempus est, ut jam ordine de singulis mensibus, & diebus in iis festis agamus.

AD CAP. IV. PARALIPOMENA.

Quam multiplex anni nomen, annus Platonis, Eudoxi, Metonis, annus Iulianus, Hippocratis.

Quam varia & multiplex in numerandis suis annis vetustas fuerit, enarrare hic longum foret, consulantur D. August. lib. 12. de Civit. Dei cap. 10. & l. 15. ejusdem operis cap. 14. C. Plin. l. 7. cap. 48. A. Gell. l. 3. Noct. Atticar. cap. 48. Xenoph. in libello de Æquivocis, si modo ejus ille excellentissimus vir auctor fuit, quod non puto. Censorin. eleganti de Die Natali opusculo cap. 15. Ludovic. Carrio Emendation. lib. 2. c. 1. & alii Critici, sed copiosissime Cornelius Vitellius c. 28. Philipp. Beroald. Annotat. cap. 47. Florid. Sabin. subsecivor. lib. 2. c. 2. Ian. Parthas. Epist. 63. Pet. Nannius Miscellanco. lib. 5. cap. 7. Carol. Sigon. l. 1. Emendat. cap. 16. Servius Honoratus ad illud l. 1. Æneid.

Triginta magnis volvendis mensibus orbes.

Et primi mortalium Ægyptii ante usum literarum inventum draconem ore caudam retinentem, ad motus reciprocos astrorum, & vicissitudines exprimendas pro anno effinxerunt. Isidor. Hispalens. libro 5. Etymolog. cap. 36. & alii. Idem Servius ad illud libr. 5. Æneid.

——— *adytis cum lubricus anguis ab imis.*

Annum autem Iovi, menses Iunoni consecrabant. Plutarch. problemat. Rom. c. 77. constatque initio unius tantum mensis spacium annum habuisse, quem quia ad Lunæ cursum metiebantur, *lunarem* appellabant. Ioann. Iovian. Pontan. lib. 1. Vraniæ. de Luna.

——— *Orbibus orbes*

Mutat,

Mutat, agens circum, & parvum convertitur annum.

Alii bimestris spatio annum terminabant, inter quos & Ægyptii. Idem Pontanus eodem loco:

Ægypti primum veteres fecere bimestrem.

Idem illi Ægyptii interdum in tres menses, aliquando in quatuor annum suum secabant. Plutarch. in Numa Cares & Acarnanes sex mensium spatio annum claudebant. Censorin. lib. de die Natali cap. 19. ut & Hebræi ad lunæ motum annum sex mensium effecere: Suid. in voce ἐνιαυτὸς, *annus*. Atque hi quidem pro summo deo Lunam venerabantur, ideo ad ejusdem cursum annos suos circumscribebant: aliis aliter visum, qui cœlestium siderum ducem Solem agnoverunt, ejusque metientes cursus, annos suos, ad motum illius conformabant. Serv. ad illud lib. 3. Æneid.

Interea magnum sol circum vertitur annum.

Annum hunc constat Persarum, Græcorum, & Latinorum fuisse, licet aliqua differentia, ut quidam pauciores in eo menses, alii plures constituerent, nam & decem, & duodecim fuisse in eo menses vulgatissimum est, adde & tredecim, ante Romam conditam, hoc est, trecentos septuaginta dies, C. Iul. Solin. Polyhist. cap. 3. Oritur hinc crebra celebriorum scriptorum authoritas, qui pro scientia rerum cœlestium varia, qua pollebant, ita quoque varium solis, siderumque aliorum cursum observantes, annos diversis durationibus circumscribebant, suoque indito nomine, à se appellitabant. Quare & *annus Hippocratis* legitur in libro de septimestri partu, quem dierum trecentorum & sexaginta fuisse probat Marsilius Cagnatus lib. 4. Observation. variar. cap. 14. Sed & *Iulianus annus* à Iulio Dictatore, cujus studio & cura impensius fasti correcti, ut suo loco dicetur, & ex Censorino observat Fr. Modius Epist. 14. Interim corrigendus Papinius lib. 1. Achilleid.

——— *& expleto teneri jam fine pudoris*
Virginitas matura thoris, animique tumentes.

Censeo rescribendum:

Virginitas matura thoris, annique tumentes.

Allusum est enim ad illud P. Virgilii lib. 7. Æneid.

Iam matura viro, jam plenis nubilis annis.

Claudian. l. 1. de Raptu:

Iam matura vino plenis adolevit annis
Virginitas.

Et l. 1. de laudib. Stilichon.

Nubilis interea maturæ virginis ætas.

Est & *annus Metonicus*, ab authore nomen sortitus. Nam Meto astronomus celebratissimæ famæ, Ælian. var. hist. l. 13. cap. 12. Plutarch. in Nicia, & in Alcibiade, Diodor. Sicul. libr. 12. Bibliothec. complectebatur autem novemdecim annos vertentes, Suidas in voce ἐνιαυτὸς Μέτωνος, *annus Metonis*. Marcellin. Comes l. 16. *Spatium anni vertentis, id est, peritis mundani motus, & siderum definiunt veteres, inter quos Menon, & Euctæmon, & Hipparchus, & Archimedes excellunt, cum sol perenni rerum sublimium lege, polo percusso signifero, quem Græcus sermo Zodiacum appellat, trecentis sexaginta quinque diebus & noctibus, ad eundem redierit cardinem*, corrigendum necessario est, *inter quos Meton & Eudæmon, & Hipparchus, & Archimedes excellunt.* Cujus restitutionis auctor est eruditissimus Petrus Pithæus l. 2. subsecivor. cap. 13. ex M. Victruvio Pollione l. 9. Architectonic. cap. 7. *Quorum inventa secuti, siderum & occasus, & ortus, tempestatumque significatus, Eudoxus, Budæmon, Calistus, Meto.* Ioan. Tzetzes etiam ejus meminit, ut & Theon. sophista, & Nicetas Acominatus Choniates in Imperio Alexii Ducæ Marzuffi, in annalibus. Et M. Tullius epist. ad Atticum, proverbialiter, *annum Metonis* usurpat pro longissimo temporis tractu; ut & D. Ausonius ad Theonem epist. 9.

Quis fuit ille dies? non annus longior ille est,
Attica quem docti collegit cura Metonis,
Desertus, vacuis solisque exercetor aris,

Antea corruptissime legebatur, in omnibus penè codicibus impressis, ante Eliam Vinetum:

Quis fuit ille dies? non annus longior illo est,
Atticaque indocti collegit cura Medonis,
Desertus vacuis.

Lege etiam & Eudoxi annum, scribente Strabone Amaseno lib. 14. Geogr. Cæsar de fastis à se corrigendis apud M. Lucanum lib. 10.

Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.

Continebat autem iste, ex nostris, seu solaribus annis, octo. Servius Maurus ad illud l. 5. Æneid.

Iamque dies, ni fallor, adest.

Denique Platonicus nominatus est quidem annus, ab authore Platone Philosopho, qui efficiebatur, omnibus sideribus in suum orbem recurrentibus, ita ut post omnium omnino stellarum conversionem factam, ad eundem, unde regressæ fuerant, locum redeant illæ, hoc est, post spatium duodecim millium ex nostris, annorum, adjectis quingentis quinquaginta quatuor, vel, ut aliis nonnullis visum est, post quindecim annorum nostrorum millia, vel denique, ut quibusdam placuit, exactis e nostris triginta sex millibus annis. M. Tull. in Hortensio. Fest. Pomp. libr. 11. in *Magnum annum*. Poëtæ passim. Sil. Italic. libro 13. Punicor.

Hac animæ cœlum repetunt, ac mille peractis,
Oblitæ Ditem, redeunt in corpora lustris.

Claudian. de Raptu. l. 1.

——— *certisque ambagibus ævi*
Rursus corporeos animæ mittuntur in artus.

Et l. 2. in Ruffinum ad finem:

Quos ubi per varios annos, per mille figuras
Egit lethæo purgatos flumine, tandem
Rursus ad humanæ revocat primordia formæ.

Hæ quidem nobiliores annorum sunt denominationes. At Romani *annum novum* vocabant. A. Gell. libr. 18. cap. 1. in limine *æstate anni novi*. L. Seneca Apocolocynthosi, seu Satyra Claudiana in principio, *initio anni novi*. sunt qui existiment annum primum alicujus novi Imperatoris sic dici, quod placuit Adriano Turnebo l. 23. Adversarior. c. 8. Alii malunt annum esse novum principium magistratus initi, sive primum diem. Q. Symmach. lib. 1. epist. 22. *Abunde gaudeo cum te consulem novus annus expectat.* Aurel. Cassiodor. l. 2. epist. 1. *Fœlix à consule sumat annus auspicium.* l. 1. C. Theodos. *ne publ. lætit.* hoc est, quod dicitur annum à consule aperiri. Sidon. Apollinar. l. 18. epist. 6. *Consul Asterius annis sui fores votivum aperuerat.* & Carm. 2. in principio:

——— *Et effulgens trabealis mole metalli,*
Annum pande novum, consul vetus.

Stat. lib. 4. sil. 8.

Insignemque aperit Germanicus annum.

Claudian. paneg. de 3. Hon. consul.

Tertia Romuleis sumant exordia fasces
Terque tuas ducat bellatrix Pompa curules,
Festior annus eat.

Et de 4. Hon. consul.

Auspiciis iterum sese regalibus annus
Induit, & nota fruitur jactantior aula.

Et lib. 2. de Laud. Stilich. ubi sic Roma de Stilichone consule designato:

——— *Quanto me dignius incitat ardor,*
Vt præsente fruar, conscendentemque tribunal
Prosequar, atque anni pandentem claustra salutem,

Nihilominus aliis nuda placet interpretatio, ut annus novus sit veris initium. D. Auson. in præfat. Consulat.

Iane veni, novus anne veni.

Alb. Tibull. l. 1. eleg. 1.

Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante deos.

P. Ovid. l. 1. Fastor.

Dic age frigoribus quare novus incipit annus,
Qui melius per ver incipiendus erat?

De die, nocte, variisque earum partibus, ac differentiis seu in urbe, sive in castris, item deinde de horis, & horologiorum usu, infra dicendi dabitur locus. Interea apponam & Calendarii alterius descriptionem longè istâ luculentiorem.

CALENDARIVM.

MARTIVS, MAIVS, IVLIVS, OCTOBER, nonas 7. idus 15. dies habent, Cæteri 5. & 13. Cedren. compendio histor. pag. 139. in quo præter ortum & occasum signorum cœlestium, quæ in sex lib. Fastorum notantur: ludi item & templorum dedicationes Romanorum & Græcorum per seriem integri anni habentur.

IANVARIVS.

A 1 Kal. Ian. Iani & Iunonis, Iovi 5. & Æsculap. in insf. Tiberina Ovid. Gamelia Iunoni hoc mense celebrantur, unde & mensi nomen.
b 2 4 Dies ater.
c 3 3 Cancer occidit. Tertia mensis Minervæ sacra cujusque Pausf.
d 4 Pr. Non. Votum pro salute principis. Cajus.
e 5 Nonis. Tacitus.
f 6 8 Lyra oritur, tempestatem significat.
g 7 7 Isidis ἄφιξις, id est, accessus Plut. Octavus cujusque mensis dies Neptuno sacer est apud Atheniensf. Plut.
A 8 6 Sacrificium Iani. Vetus Cal.
b 9 5 Agonalia Ovid. Delphinus oritur.
c 10 4 Media hyems.
d 11 3 Carmentalia. Iuturnæ ædes dicata in campo Martio.
e 12 Pri. Id. Compitalia. Gell. & Macro.
f 13 Idus Iovi. Octavius Augustus dictus, & provinciæ in formam redactæ, Ovid. & tibicines habitu muliebri urbem lustrabant. Plut.
g 14 19 Cal.
A 15 18 Carmentalia relata, & Porrimæ Postvertæ.
b 16 17 Concordiæ templum à Camillo ex voto positum.
Sol in Aquario.
c 17 16
d 18 15
e 19 14
f 20 13
g 21 12
A 22 11
b 23 10 Lyra occidit.
c 24 9 Leonis, qui est in pectore, clara stella occidit.
d 25 8 Sementinæ feriæ. Ovid. Varro. Fest. Macrob. non
e 26 7 statæ quidem, sed indictæ Castori & Polluci tem. ad
f 27 6 juturnæ stagnum dedicatum.
g 28 5
A 29 4 Equiria in campo Mart. Vet. Cal. Paci.
b 30 3
c 31 Prid. Cal. Sacr. Deis penat. Vet. Cal. qui patrii & Vrbani dicuntur.

FEBRVARIVS.

d 1 Cal. Feb. Sospitæ templi dic. Lucaria, ab Asyli luco. Ovid. Fest. Item Iovi acr. de bidente Dianæ sacra fiebant, à cervis Elaphebolia nuncupata.
Lyra & medius Leo occidunt, Delphinus occidit.
e 2 4
f 3 3
g 4 Prid. No.
A 5 Nonis. Aug. dictus Pater patriæ. Ovi. Aquarius oritur. Zephyrus flare incipit.
b 6
c 7 7
d 8 6
e 9 5 Veris initium.
f 10 4
g 11 3 Arctophylax oritur.
A 12 Prid. Id
b 13 Idus. Fauni festum & Iovis. Fabiorum cædes. Corvus, Crater, & Anguis.
c 14 16 C. M. oriuntur.
Lupercalia Plut. Ovid. Varr.
d 15 15 Sol in Piscibus. Venti per sex dies vehementius flant.
e 16 14
f 17 13
g 18 12 Quirinaliorum stultorum feriæ, Festus. Ovid. Varr. Et Fornacalium indictio *deæ Fornacali*, quæ & *Fornax* dicta fuit, à quo indicta. Plin. Ovid. & Diis Manib. sacra feralia Deæ Mutæ.
A 19 11 Charistia. Val. Max. Ovid. id est, sacra cognatorum V. Kal.
b 20 10
c 21 9 Terminalia. Ovid. Bedas vero VIII.
d 22 8 Cal. & regis fugium. V. Cal. Mart. cui convenit locus bissexti.
e 23 7
f 24 6 Regis fugium. Ovid. Quidam VI. Cal.
g 25 5 Hierundinum adventus.
A 26 4
b 27 3 Equiria in campo Mart. Varr. Fest. & Ovid. Prid. C. Tarquinii superati. Plut.
c 28

MARTIVS.

d 1 K. Mart. Matronarum dies festus. Porph.
e 2 6 Serv. Ovid. *Matronalia.* Iunonis Lucinæ. Martis. Ancyliorum festum, nec nubere bonum quousque condantur. Porph. aliam causam adfert. *Munychia sacra* Deæ Munychiæ, id est, Dianæ.
f 3 5 Alter è piscibus occidit.
g 4 4
A 5 3 Arctophylax occidit. Vindemiator oritur.
b 6 Prid. Non. Aug. pont. max. sacro. Vest. Ovid.
c 7 Nonæ. Pegasus oritur. Vejovis templum ad duos lucos Asyli. Ovid.
d 8 3 Corona oritur.
e 9 7
f 10 6
g 11 5
A 12 4
b 13 3 Equiria altera apud Tyberim.
c 14 Prid. Id. aquis increverit in Cœlio monte. Ovid. Fest.
d 15 Idus. Annæ Perennæ Patricidium, id est, cædes. C. Cæs. Plin. & Suet.
e 16 17 Cal. A Scorpius medius occidit. Lysander Athenis potitus. Plut.
f 17 16 Liberalia, Varro. quo die virilem togam pueri ingenui sumebant. Ovid. Agonia. Varro.
Milvius oritur.
g 18 15 Sol in Ariete.
A 19 14 Quinquatria. Minervæ natalis, & Minerval magistris solvebatur.
b 20 13 Quinquatria.
c 21 12 Quinque Primus dies seculi, quidam VIII. Bedas.
d 22 11 Quinquatr.
e 23 10 Quinquatr. Tubilustrium sacrorum tubæ lustratur. Varro.
f 24 9
g 25 8 Æquinoctium vernum. Hilar. Matris.
A 26 7 Deum festa. Lamprid. Macrob.
b 27 6 Matris Deum. Ammian. Marc. Herod.
c 28 5 Megalesia. Varro.
d 29 4
e 30 3 Iani, Concordiæ, Salutis, Pacis.
f 31 2 Prid. Lunæ. i. Dianæ in Aventino. Ovid.

APRILIS.

g 1 C. April. Scorpius occidit. Veneris sacrum cum floribus & Myrto. Plut. Ovid. Item Fortunæ virili. Targelia sacra Apollini & Dianæ. Mensis hic Græcis auspicatissimus.
A 2 4 Pleiades occidunt.
b 3 3

c 4 Pr. No.
d 5 Nonæ. Megalesia matri Deum. K. V. Ovid.
e 6 8 Fortunæ publicæ primig. in colle Quir. Ovid. Var. Dianæ nativit.
f 7 7 Apollinis dies natalis, quæ dies quoque Socrat. & Platon. sunt. Laërt.
g 8 6 Ludi ob victoriam Cæs. Libra occidit.
dies pluvius.
Orion occidit.
A 9 5 Cereal. Ludi. Circensf. instaurationis dies.
Circensibus additus. Macrob.
b 10 4
c 11 3
d 12 Prid. Id. Magna mater Romam adducta.
T. Livi. XXIX.
e 13 Idus. Iovis victori & libertati. Ovid.
f 14 18 C M.
g 15 17 Fordicidia vel fordicatia, de forda bove. Varro. Ovid.
A 16 16 Aug. Imp. salutatus. Hyades occidunt.
b 17 15
c 18 14 Equiria in circo max. & vulpium combustio. Ovid.
d 19 13 Sol in Tauro.
e 20 12 Palilia. Romæ natalis. Varro. Ovidius. Fest. Plut. alii. Falluntur multi. Agonia altera. Ovid. quæ & agonalia dicuntur.
f 21 11
g 22 10 Vinalia priora Iovi & Veneri. Ovidius. Plut. Varr. Plin. Fest.
A 23 9 Ilii destructio.
b 24 8
c 25 7 Medium Veris. Aries occidit. tempe. signif.
d 26 6 Canis oritur. Robigalia.
Plin. Fest. Ovid. Varro, alii.
e 27 5 Latinæ feriæ in sacro monte. Titus Livius.
Apaturia etiam hoc mense agebantur, à Venere dicta. Tribus diebus celebrabantur: 1. δόρπεια, 2. ἀνάῤῥυσις, 3. κυρεῶτις, vel ἐπίβδα. Simplicius in Physicis. Suidas, alii. Quidam Pyanepsione agi dicunt.
f 28 4 Floralia. Plin. Cal. V. Ovid.
g 29 3
A 30 Pr. Cal. Vestæ Palatinæ. Ovid. hoc mense. ut Plut. in Romulo & probl. Larentalia: & distinguit à Laurentalibus, quæ mense Decembri celebrantur.

MAIVS.

b 1 Cal. Maii. Capella oritur. Laribus præstit. ara posita Ovid. & Bonæ Deæ sacr. Macrob. Plut. Varr. Lactant. Ovid. alii. & Florales ludi triduo V. Cal. Vmbraculorum festum, quæ σκίρα dicuntur, Σκιράς. Pallas.
c 2 6 Argest. flare incipit. Hyad. oriuntur.
d 3 5 Centaurus oritur.
e 4 4
f 5 3 Lyra oritur.
g 6 Pri. Non. Scorpius medius occidit.
A 7 Nonæ.
b 8 8
c 9 7 Lemuria, quæ noctu agebantur, & triduo.
d 10 6 Ovid. Varr. Porph. malum nubere, & Luminaria.
e 11 5 Lemuria. Vet. Cal. Orion occidit.
f 12 4 Martis ultoris bisultorem ait Ovid. Alii Post. Lem. Vet. Cal.
g 13 3 Pleiadis oriuntur. Æstatis initium. Lemuria. Vet. Cal.
A 14 Pr. Id. Taurus oritur.
b 15 Idus. Argeorum simulachra scirpea de Ponte.
c 16 17 Calen Iun. in Tyberim dejiciebantur. Dion. Euseb. Plut. Ovid. Macr. alii. Et mercatorum dies festus Fest. Ovid. Mercurium hoc die natum Martialis ait. Ædes dedi T. L. & Fer. Iov. V. Calend.
d 17 16
f 19 14 Sol in Geminis.
g 20 13
A 21 12 Agonia: seu Agonalia Ian. Ovid. Varr. Veiovi. V. Cal. alii, superioribus diebus Canis oritur.
b 22 11 Vulcani feriæ V. Cal. Vulcanalis flamen rem di. Majæ faciebat. Macrob. alii Tubilustrium Var. Ovid. alii X. Cal. V. Cal. Ovid. alii XIII.
c 23 10
d 24 9 Regis fugium alterum. Vet. Calen. Ovid. alii aliter.
e 25 8 Templum Fortunæ datum. Vet. Calen. Ovid. Aquila oritur.
f 26 7 Arctophylax occidit.
g 27 6 Hyades oriuntur.
A 28 5
b 29 4
c 30 3
d 31 Pr. Cal.

IVNIVS.

e 1 Kalen. Ian. Iunonis Monetæ ædis dedicatio Macrob. Bed. Carnæ deæ in Cælio monte. Marti sacra extra portam Capenam. Tempestati delubrum. Ovid. Fabariæ Cal. Marc. Aquila oritur. Hecatombæ hoc mense plures, unde & illi nomen. Anni initium apud Athenien. vel quod sol Hecatombæus diceretur.
g 3 3
A 4 Prid. Non. Bellonæ sacr. Hercu. ædes in Cir.
b 5 Nonæ. Templum fidei sponsoris Iovis. Dion. alii Sacrum Fidio Semipatri. Vet. Calend. Ovid.
c 6 8 Vestæ templum.
d 7 7 Piscatorii ludi in campo. Mart. Ovid. Fest. Mentis templum dic. Ovid. Vet. Cal. Arctophylax occidit.
e 8 6 Vestæ. Vet. Cal. Ovid. asini coronantur.
f 9 5 Ara Iovis pistoris.
g 10 4 Delphin vesperi oritur. Matralia.
A 11 3 Fortis Fort. Concordiæ ædes.
Martis Matutæ. V. Cal. Ovid.
b 12 Prid. Id.
c 13 Idus. Iovis invicti Minusculæ quinqua.
d 14 18 Cal. Iutria Miner. Var. Fest. Censorin.
e 15 17 Stercus ex æde Vest. defertur. Varro. Ovid. Hyades oriuntur.
f 16 16 Zephyrus flat. Orion oritur.
g 17 15 Delphinus totus apparet. Æqui & Volsci à Posthumo fugati.
A 18 14
b 19 13 Sol in Cancro. Minervæ in Aventino. Vet. Cal.
c 20 12 Ophiuchus oritur. Summani sacrum ad Circum max. Vet. Cal. Ovid.
d 21 11
e 22 10
f 23 9 Flaminius victus à Pœnis. Ovid.
g 24 8 Fortis fortunæ. Vet. Calend. Ovid. Varr. Naves coroneas per Tyberim convivia ducebant.
A 25 7
b 26 6 Orionis zona oritur. Solstitium.
c 27 5 Iovis Statoris & Laris. Ovid.
d 28 4 Quirini templum in coll. Quir. Ovid.
e 29 3 Vet. Cal. III. Cal.
f 30 Pr. Col. Herculis & Musarum. Ovid. Populi fugia in Iunio dies. Varro.

IVLIVS.

g 1 Cal. Iul. Hoc die apud Rom. fiebant migrationes ex ædibus in alienas ædes, id quod ex Cicer. Suetonio, & Martiale colligunt docti.
A 2 6
b 3 5
c 4 4
d 5 3
e 6 Pr. No. Capitol. incensum tempore Syllæ.

f 7 Nonæ. Romulus non apparuit. Lamp. in Commodo, Plutarch. Caprotina. Iuno Caprotina. Ancillarum festum. Macrob. Plut. Ovid. Varro.
g 8 8
A 9 7
b 10 6
c 21 5 Ludi Apollinares. Tit. Liv. V. K. Varr. Livius alio loco tertio Non. ait.
d 11 4 Iul. Cæs. natalis unde mensis. M. Ant. consule legem ferente Macrobius Fortunæ Pr.
e 13 3
f 14 Id. mulierib. dedic. Dion. Liv.
g 15 Idus. Castoris & Poll. Equites Rom. ab æde.
A 16 17 K. A Honoris in equis in Capit. Plin.
b 17 16 Vet. Kal. Dion.
c 18 15 Allienſis dies atra. Plin. Tacit.
d 19 14 XVII. Cal. Plut. XVI. Cal. in Camillo.
e 20 13
f 21 12 Mundi natalis. Solinus ex Ægyptiorum ſacerd. ſententia.
g 22 11
A 23 10
b 24 9
c 25 8 Hoc menſe Rutilæ canes caniculæ ſacrificabantur. Vide Festum.
d 26 7
e 27 6
f 28 5 Neptunalia etiam hoc menſe. Vet. Kalend. & Varro.
g 29 4
A 30 3
b 31 Pr. K.

AVGVSTVS.

c 1 K. Aug. Spei ad forum olitorium V. Kl. Conſecratio templi Martis. Dion. in hiſtoria. Boëdromia celebritas hoc menſe agebatur, unde & menſis dictus. Apollo etiam Boëdromius vocatus. Plutar. Pauſ. Harpocr. alii Xerxes victus. Plut.
d 2 4 Feriæ quod Cæſ. Hiſp. citeriorem vicit.
e 3 3 Ver. Kal.
f 4 Pr. No.
g 5 Nonæ. Saluti in colle Quir. V. Kl. & Spei.
A 6 8
b 7 7
c 8 6 Soris indigetis in colle Quir. V. K.
d 9 5
e 10 4 Aræ Opis & Cereris in vico Iugatio Vet. K.
f 11 3
g 12 Pr. Id. Herculi magno cuſtodi in Circo Flam. Vet. Cal.
A 13 Idus, Dianæ ſacra. Martial. Currebant in Kl. S. nemus Arcinum. Item natalis Auguſti. Porphyr. Dies feſtus ſervorum & ancillarum. Plut. & Vertumno in Laureto majore V. K.
b 14 19
c 15 18
d 16 17
e 17 16 Portunalia ad pontem Æmyl. V. C. & Var. Iano ad theatr. Marcelli. V. K.
f 18 15 Conſualia. Plut. in Numa. Vel ſequent. die Sabinarum raptus.
g 19 14 Auguſti mors Dion. hiſt. Suet.
A 20 13 Vinalia ſecunda, Plin.
b 21 12 Vinalia ruſtica. Varro XIV.
c 22 11 Calend. idem & Vet. Calen. Myſteria magna. Plut. & Liber pater ex urbe in Eleuſinem transferebatur.
d 23 10 Vulcanalia in Circo Flam. Vet. Cal.
e 24 9
f 25 8 Opiconſivæ in Capitolio. Vet. Cal. Varro.
g 26 7
A 27 6 Vulturnalia. Vet. K. Varr. cujus feriæ menſe Octob. Vortumnalia.
b 28 5 Harpocratis feſtum hoc menſe fiebat ab Ægyptiis. Plut.
c 29 4 Vulcanalia. Feſtus.
d 30 3 Mundus Cereris pater.
e 31 Pr. Cal. Nat. D. Cæſ. Germanici. Vet. Cal.

SEPTEMBER.

f 1 Cal. Septemb. Vulcani tutela Septemb. Vet. Calen. Mæmactes Iupiter, & inde menſis. Harpocr. & alii.
g 2 4 Auguſti victoria navalis ex M. Anton. & Cleo.
A 3 3 Dion.
b 4 Pr. Non.
c 5 Nonæ.
d 6 8
e 7 7
f 8 6 Hieroſolyma à Tito Veſp. capta. Ioſephus.
g 9 5
A 10 4
b 11 3
c 12 Pr. Id.
d 13 Idus. Prætor Max. clavum pangit. Tit. Liv.
e 14 18 Cal. Oct. & Capitolii dedit ab Horatio. Plut. T. L. Iovi Vet. Cal.
f 15 17 Ludi. V. Calend. qui Romani & magni, Aſc. Pæd.
g 16 16 Ludi. V. Calen. Parentatio eorum qui contra Perſas pugnando occubuerunt. Plut.
A 17 15 Ludi V. Cal.
b 18 14 Ludi V. Cal.
c 19 13 Thoth. id eſt, Mercurio Ægyptii ſacrificant. Plut.
d 20 12 Romuli natalis. Plut.
e 21 11
f 22 10
g 23 9 Natalis Auguſti. Dion. Hiſt. Suet.
A 24 8
b 25 7 Veneri. Vet. Cal.
c 26 6
d 27 5
e 28 4
f 29 3
g 30 Prid. Calend. Epulum Minervæ. V. Calend. Meditrinalia hoc menſe celebrabantur, & Metina Dea, quo die primum muſtum bibebant. Feſt. Varro.

OCTOBER.

A 1 Oct. Martis tutela Octob. V. Cal.
b 2 6 Pyanepſia hoc menſe celebrantur.
c 3 5
d 4 4 Mundus Cereris pater. Feſt.
e 5 3
f 6 Pr. No.
g 7 Nonæ.
A 8 8 Panopſia Apollini, imo Pyanepſia.
b 9 8 Ereſione plectitur.
c 10 6 Oſchophoria, id eſt, Ramalia celebrabantur, Plut. Suid. Comment. in Nicand.
d 11 5
e 12 4
f 13 3
g 14 Pr. id.
A 15 Id. Mercatores Mercurio. Virgilii natalis.
b 16 17 K. Non. Mart. October equus Marti immolatur. Feſt. Plut.
c 17 16
d 18 15
e 19 14
f 20 13
g 21 12
A 22 11 Chalceæ Minervæ ſolennitas, ut Phanodemus ait Vulcani Hyperides. Harpocr.
b 23 10
c 24 9
d 25 8

e 26 7
f 27 6
g 28 5 Myſteria minora hoc menſe agebantur. Plut. Galenus.
A 29 4 Sacrum hoc menſe Libero fiebat.
b 30 3 V. Cal. Et Vertumni feriæ. Varr.
c 31 Pr. Cal.

NOVEMBER.

d 1 K. Non. Hoc menſe Iovis epulum celebrabatur. Vet. Cal. Anthesteria hoc menſe agebantur, quæ & Bacchanalia. Theoph. Suid. Pr. N. Harp.
e 2 4
f 3 3
g 4
A 5 Nonæ.
b 6 8
c 7 7 Mundum patere. Feſt.
d 8 6
e 9 5 Limna Baccho. Thucyd.
f 10 4 Maria claudantur. Veget. alii. uſque in VI.
g 11 3 Id. Mart.
A 12 Pr. Id. Choes. Suid.
b 13 Idus. Pithœgia.
c 14 18 Cal. D. Chytra. Alii in Lenæone menſe conſtituunt. Commenta. in Heſiod. Harp. Ludi plebei per hos dies. Suet.
d 15 17
e 16 16
f 17 15
g 18 14
A 19 13
b 20 12
c 21 11
d 22 10
e 23 9
f 24 8 Bruma, quæ & Brumalia, feſtum Romanorum conſtant in re ruſt.
g 25 7
A 26 6
b 27 5 Hic menſis fuit in tutela Dianæ V. Cal. & inferiæ fiebant Gallis defoſſis & Græcis in foro boario. Plut.
c 28 4
d 29 3
e 30 Pr. Cal.

DECEMBER.

f 1 K. Dec. Fortunæ muliebris feſtum, quoniam hoc die bellum ſublatum. Poſtea tranſlatum.
g 2 4
A 3 3 Prid. Non. Quinti. Dionyſ. Halicarn. in VIII.
b 4 Pr. No. Poſidonia à certamine Pallad. & Neptuni.
c 5 Nonæ. Faunalia. Porphyr.
d 6 8
e 7 7
f 8 6
g 9 5
A 10 4
b 11 3 Alcionii dies.
c 12 Prid. Id.
d 13 Idus.
e 14 19 Cal. Ia. Brumalia feſtum hoc menſe & Ambroſia, Proclus in Heſiod.
f 15 18
g 16 17
A 17 16 Saturnalia incipiunt, & per tres dies durant. quibus adduntur Sigillaria, quæ ſeptem dies complent. Macrob.
b 18 15
c 19 14 Opalia & Saturnalia. Macr. Var.
d 20 13
e 21 12 Angeronalia Angeronæ diæ. Macrobius. Herculi & Cereri de mulſo. Macrob.
f 22 11 Feriæ laribus dicatæ. Macr. Compitalia Ludi laribus. Plin.
g 23 10 Feriæ Iovis. Larentinalia vel Laurentinalia. Plut. Var. Ovid.
A 24 9 Iuvenalis dies VIII. Saturn. additus.
b 25 8 Suet. unde & Iuvenales ludi.
c 26 7
d 27 6
e 28 5
f 29 4
g 30 3 December ſacer. Macrob.
A 31 Prid. Cal. Tutela vero Veſtæ. V. Cal.

CAP. V.

De menſe Ianuario, & diebus in eo feſtis.

Diximus ſupra, Romulum annum ſuum decem tantum feciſſe menſium, quorum primus fuerit *Martius*. Iis vero Numa Pompilius duos alios adjecit, ut duodecim menſes eſſent, *Ianuarium* ſcilicet & *Februarium*. Primum menſem appellavit *Ianuarium*, à Iano, de quo alibi diximus: quod ſicut *Ianus* Deus eſt bifrons, & præterita, & futura videt: ita etiam is menſis reſpiciat & finem tranſacti anni, & principium futuri.

Cur ab hoc menſe annum incœperint Romani, *Plutarchus* docet, has cauſas afferens: vel quod Numa Pompilius, pacis ſtudioſus, & cives à re bellica ad agriculturam tranſducere cupiens, *Ianuario* principem locum aſſignaverit, *Ianoque* magnos honores detulerit, ut qui civilis vitæ, & terræ colendæ, quam belli fuiſſet ſtudioſior, cum *Romulus* homo bellicoſus, & *Martis* filius *Martium* cæteris præpoſuiſſet: vel quod *Numa* ad naturæ potius ordinem reſpiciens, cum poſt brumam Sol progrediendi fine facto, convertatur, & ad nos curſum reflectat, ac quaſi de novo curſum ſuum incipiat, optimum judicaverit, idem anni, quod Solis, eſſe principium: cui ſententiæ etiam Ovidius accedit, ita canens:

Bruma novi prima eſt, veteriſque noviſſima Solis,
Principium capiunt Phœbus & annus idem.

Porro hic menſis in Iunonis tutela erat, quod cum ex aliis, tum ex *Calendario* veteri ruſtico manifeſtum eſt: atque ex conſtitutione *Numæ Pompilii* XXIX. dies habuit; ex ordinatione autem *C. Iulii Cæſaris* XXXI. Videamus igitur, qui dies in eo fuerint *feſti*, idque præeunte nobis Kalendario Romano, & Ovidio in Faſtis.

De Mensis Ianuarii Diebus Festis sic habet Kalendarium.

A. k. IAN. F. Id est, Kalendæ Ianuarii Fastus, Priores literæ A. B. C. D. E. F. G. H. quarum serie totum conteritur Kalendarium, dies nundinarum demonstrant.

Kalendæ omnes in Iunonis tutela erant, teste Ovidio in 1. Fastorum:

Vendicat Ausonias Iunonis cura Kalendas, &c.

Ianuarii autem *Kalendæ* præter cæteras maxime celebres erant, propter anni initium.

Primum his *Kalendis* omne genus operis in sua quique arte inchoabant, instaurabantque, ut scilicet, cum omina principiis inesse soleant, si prima anni die industrii, & solertes essent, de totius anni diligentia & solertia augurarentur. Ita Ovidius; Fast. v. 165.

Postea mirabar, cur non sine litibus esset
Prima dies: Causam percipe, Ianus ait.
Tempora commissi nascentia rebus agendis,
Totus ab auspicio ne foret annus iners.
Quisque suas artes ob idem delibat agendo,
Nec plus quam solitum testificatur opus.

Hoc eodem die, qui designati *Consules* erant *Consulatum* inibant, & comitati frequenti populo ascendebant in Capitolium, & *Iovi Optimo Maximo* injuges juvencos mactabant, multaque odorem facientia in templis, & pro foribus templi cremabantur. Quod observatum fuit ab anno urbis DCI. quo *Q. Fulvius Nobilior*, & *T. Annius Luscus* Consules fuerunt. Ab eo enim anno regulariter hic dies solennis Consulatu ineundo fuit. Testatur id præter veterum historicorum innumeros locos, Ovid, his versibus. Fast. v. 75.

Cernis odoratis ut luceat ignibus æther,
Et sonet accensis spica cilissa focis.
Flamma nitore suo templorum verberat aurum.
Et tremulum summa spargit in æde jubar, &c.

Kalendas Ianuarii amici lætis precationibus faustum sibi invicem ominabantur, teste præter *Plinium* & alios, Ovidio:

At cur læta tuis dicuntur verba Kalendis,
Et damus alternis, accipimusque preces?

Item munera sibi invicem mittebant boni ominis causa, videlicet *caricas*, *coriotides*, & *mella*, ut dulces dies anni à dulcibus rebus auspicarentur: & *stipem*, id est, nummum signatum: quæ omnia simul *strenas* appellarunt: cujus rei origo ad ipsum T. Tatium Regem à *Symmacho* refertur, quod is verbenas è luco *Strenia Deæ* acceperit, significans strenuis viris istas deberi. *Strenam*, inquit *Festus*, vocamus, quæ datur die religioso ominis boni gratia, à numero, quo significatur alterum, tertiumque venturum similis commodi, veluti *trenam*, præposita S. litera, ut in loco, & lite solebant antiqui. Constituta autem per Cn. Octavium Augustum Monarchia, hic mos inolevit, ut equites ac reliquus populus, ipsis etiam Imperatoribus *strenam* Kalendis Ianuarii conferrent: qua de re sæpe loquitur *Suetonius*.

Hoc item die erat festum *Iani*, cui sacra fiebant ex libo, quod ab eo *Ianual* antiqui dicebant, auctor est *Festus*. Item ex *mola*, quæ farina horna & sale miscebatur: quin etiam thure & mero. Ovidius:

Iane tibi primum thura, merumque fero.

Erat etiam festum dedicationis templorum *Æsculapii* & *Iovis* in insula Tyberina, quod *Ovidius* ex ipsis Fastis se didicisse scribit his verbis:

Quod tamen ex ipsis licuit mihi discere Fastis,
Sacravêre Patres hæc duo templa die.
Accepit Phœbo, nymphaque Coronide natum,
Insula dividua quam premit amnis aqua.
Iupiter in parte est, cepit locus unus utrumque,
Iunctaque sunt magno templa nepotis avo.

Plurimum autem celebritatis *Kalendis Ianuariis* festo duorum templorum dedicatione accessit. Cum Servius auctor sit, nihil apud Romanos tam solemne fuisse, quam diem consecrationis, sive dedicationis. Cæterum *Æsculapio* de capra res divina inprimis fiebat: quoniam *capra* nunquam sine febre esse dicitur, sed & *gallus*: quidam etiam *gallinas* scribunt ei oblatas fuisse & has quidem rostro nigro, nigrisque pedibus, & digitis imparibus. Si enim luteo essent rostro, vel pedibus, *impuræ* dicebantur ab Aruspicibus. De Iovis sacris dicemus postea.

Sequitur in Calendario.

B F. Secundus Ianuarii dies, qui quartus *Nonarum* vel postridie *Kalendas*, Latine dicitur, *Fastus* erat. Idem etiam erat alter, ut paulo ante docuimus.

C. C. Ter-

C. C. Tertius Ianuarii dies, Latine tertius Nonarum & erat *Comitialis*.

D. C. Quartus Ianuarii dies, pridie Nonas. Hic etiam *Comitialis* erat.

E. NON. F. Quintus Ianuarii dies, *Nonæ* Ianuarii erant, dies *Fastus*. De Nonis diximus ante. Hæ in nullius Dei tutela erant. Ovidius: *Nonarum tutela Dea caret.*

F. F. Sextus, postridie *Nonas* Ianuarii, vel octavus *Iduum*, & erat *Fastus*, item ater.

G. C. Septimus dies, Latine septimus Iduum, *Comitialis*.

H. C. Octavus, sextus Iduum, *Comitialis*.

A. AGON. Nonus dies Latine dicitur quintus *Iduum*.

Hoc die celebrabantur AGONIA, sive AGONALIA; de quibus *Varro* lib. 5. de lingua Latina: Dies *Agonales*, per quos Rex in regia arietem immolat, dicti ab *agone*, eo quod interrogatur à principe civitatis, & princeps gregis immolatur: Festus: *Agonium* dies appellabatur, quo Rex hostiam immolabat. Hostiam enim antiqui *agoniam* vocabant. *Agonium* etiam putabant Deum dici præsidentem rebus agendis, cujus festa *Agonalia* dicebantur. Sive, quia *agones* dicebant montes: *Agonia* sacrificia, quæ fiebant in monte. Hinc Romæ mons Quirinalis *Agonus*, & Collina porta *Agonensis*. Ovidius lib. 1. Fastorum quinque rationes hujus vocabuli affert, quarum prima cum *Varronis* sententia convenit, videlicet dicta *Agonalia*, quod minister sacrorum, sive victimarius cultrum manu tenens, atque hostiam feriturus rogare soleret, *agone?* id est, ferione? nec nisi jussus hostiam percuteret: quem morem etiam *Seneca* lib. 3. Partitionum, explicat. *Altera* est, quod *Agonalia* nomen habeant ab *agendo*, quod pecudes non sponte ad sacrificium veniant, sed *agantur*, unde etiam hostia, *agonia* dicatur. *Tertia*, quod ab agnis, quasi *Agnalia*, nomen habeant: quamvis Rex sacrorum arietem immolaret. *Quarta* quod sic appellentur, à metu hostiarum, quæ viso cultro, quo erant feriendæ in aqua, sive in mola, ubi tingebantur, trepidabant: nam ἀγὼν *trepidationem* significat. *Vltima* quod *Agonalia* nomen habeant à ludis Græcorum, qui *Agones* dicebantur, cui sententiæ ipse accedit. Versus Ovidii sunt:

Quatuor adde dies, ductis ex ordine Nonis,
Ianus Agonali luce pianduſ erit.
1. *Nominis esse potest, succinctus causa minister,*
Hostia cælitibus quo feriente cadit.
Qui calido strictos tincturus sanguine cultros
Semper agatne, rogat, nec nisi jussus agit.
2. *Pars quia non veniant pecudes, sed agantur ab actu.*
Nomen Agonalem credit habere diem.
3. *Pars putat hoc festum priscis Agonalia dictum,*
Vna nisi ut proprio littera dempta loco.
4. *Aut quia prævisos in aqua timet hostia cultros,*
A pecoris lux est ipsa notata metu.
5. *Fas etiam fieri solitis ætate priorum.*
Nomina de ludis Græca tulisse diem.
Et prius antiquus dicebat Agonia sermo,
Veraque judicio est ultima causa meo.

Agonalibus autem Rex sacrorum arietem immolabat, Ovidio teste:

Vtque ea nunc certa est, ita rex placare sacrorum
Numina lanigera conjuge debet ovis.

B. EN. Decimus Ianuarii dies, quartus Iduum, *Endotercisus*, sive *Intercisus* erat: de quo nomine supra diximus.

C. CAR. NP. Vndecimo die, tertio Iduum, *Carmentalia* celebrabantur. Et hic dies erat *nefastus* primo, quod quomodo sit intelligendum, paulo ante docuimus.

CARMENTALIA, inquit *Varro*, nominantur, quod sacra tùm, & feriæ Carmentis. *Ovidius* hoc die ferias esse *Carmentæ* multis versibus docet, quem vide. Fuit autem *Carmenta* Euandri mater mulier vatidica, quæ post obitum in Divarum numerum relata est, conditaque ei ara sub Capitolio ad portam *Carmentalem*, de qua libro secundo diximus. Ad hanc igitur aram sacra ei hoc die facta sunt. Ovidius:

Proxima prospiciet Tithono aurora relicto,
Arcadiæ sacrum Pontificale Deæ.
At vates felix, ut Diis gratissima vixit:
Possidet hunc Iani sic Dea mense diem.

Eodem etiam die ædes Iuturnæ dicata est in campo Martio, de qua nos supra. Ovidius:

Te quoque lux eadem Turni soror æde recepit,
Hic ubi virginea campus obitur aqua.

D. C. Duodecimus dies Ianuarii, pridie Idus *Comitiales*.

E. EID. NP. Decimus tertius Eidus, *nefastus*, primo. Idus omnes Iovi sacræ erant, ideoque ipsi ovis mactabatur, quæ ab hoc dicebatur *Idulis*. Ovidius:

Idibus alba Iovi, grandior agna cadit.

Festus: *Idulis* ovis dicebatur, quæ omnibus Idibus Iovi mactabatur. *Macrob.* etiam libro primo Saturnaliorum, cap. 15. Sunt qui existiment, *Idus* ab ove *Iduli* dictas, quam hoc nomine vocant Thusci: & omnibus Idibus ovis immolatur à Flamine. *Idibus* autem Ianuarii vervecem Iovi mactatum & immolatum esse Ovid. tradit, inquiens:

Idibus in magni castus Iovis æde Sacerdos
Semimaris flammis viscera libat ovis.

Hoc

Hoc eodem die *Octavius* Imperator *Augustus* dictus, & Provinciæ in formam redactæ. *Ovidius. Plutarchus* auctor est, hoc die tibicines habitu muliebri urbem lustrasse, quod alii ad Idus Iunii referunt, ubi & nos de eo ritu dicemus.

F. EN. Decimus quartus dies, qui est XIX. Calendarum Februarii, *Endotercisus* in Calendario additur, quod sit ex Senatusconsulto vitiosus.

G. CAR. Decimus quintus, qui dicitur XIIX. *Calendar.* Februarii.

CARMENTALIA.

Carmentalia hoc die referebantur, vel iterabantur, de quibus non omnes idem sentiunt. Alii enim à *Carmenta*, quemadmodum priora illa, alii à duabus *Carmentis*, *Porrima* scilicet & *Postverta*, hæc *Carmentalia* dicta esse autumant. Qua causa hæ feriæ institutæ, & à matribus famil. observatæ sint, Plutarch. docet in Quæstionibus Romanis, quæstione 56. Memoria, inquit, proditum, matres, cum usu vehiculorum, quibus jumenta trahendis jungerentur, *Senatus* ipsis interdixisset, inter se conspirasse, neque uterum gerere ie, neque parere velle, ac viros hac ratione ulcisci; idque fecerunt, donec mutata sententia, usus vehiculorum concessus fuit. Exinde cum parerent, fœcundæ, & liberorum copia claræ, templum *Carmenta* posuerunt, eique sacra fecerunt. Eadem etiam Ovid. habet, & addit piaculum fuisse *Scortea*, hoc est, sua morte perempta in his sacris attulisse. Versus hi continentur, in Fast. v. 617.

Respiciet Titan actas ubi tertius Idus,
Fient Parrhasia sacra relata Dea.
Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant,
Hæc quoque ab Euandri dicta parente reor, &c.

Hactenus Ovidius. De *Porrima*, quæ ab aliis *Prosa*, sive potius *Prorsa*, sive potius *Postverta* diximus alibi.

Post *Carmentalia* secunda nullæ amplius Ianuarii mensis feriæ in *Kalendario* annotatæ sunt; sed dies omnes, usque ad IV. Kalendas Februarii, *Comitiales* fuisse dicuntur. Cum autem in Ovidio adhuc aliquot celebritatum mentio fiat, nolumus eas hoc loco silentio præterire.

Die igitur proxime *Carmentalia* sequenti, qui est XVII. Kalend. Februarii, festum erat dedicationis templi *Concordiæ*, quod à Camillo positum est, de quo templo nos supra ex *Plutarcho* quædam in medium attulimus. Ovidius ibid. v. 637.

Candida te niveo posuit lux proxima templo,
Qua fert sublimes alta Moneta gradus,
Nunc bene prospicies etiam Concordia turbam,
Nunc te sacrata constituere manus.
Furius antiquus populi superator Hetrusci
Voverat, & voti solverat ante fidem.
Causa quod à Patribus sumptis secesserat armis
Vulgus, & ipsa suas Roma timebat opes.

Subjungit *Ovidius*, & illud Concordiæ templum à *Livia* constructum, dedicatum hoc die esse, de quo nos supra, cum de Diis ageremus. *Concordiæ* sacrificium Seneca in Medea his versibus explicat:

——— *& asperi*
Martis sanguineas quæ cohibet manus,
Quæ dat belligeris fœdera gentibus,
Et cornu retinet divite copiam,
Donetur tenera mitior hostia.

Die XXIV. qui est IX. Kalend. Februarii, *Sementinæ* feriæ celebrabantur. Hæ tamen non statæ, verum conceptivæ erant, uti ante ex *Macrobio* audivimus. Ita etiam Ovidius: Ibid. v. 657.

Ter quater evolvi signantes tempora Fastos,
Nec Sementina est ulla reperta dies.
Tum mihi (fensit enim) lux hæc indicitur, inquit,
Musa, quid à Fastis non stata sacra petis? &c.

Varro lib. 5. de lingua Latina: *Sementinæ* feriæ dies is, qui à Pontificibus dictus: appellatus à *Semente*, quod sationis causa susceptæ. Festus: *Sementinæ* feriæ fuerunt institutæ, quasi ex iis fruges grandescere possint. His feriis sacra in æde Telluris, Cereri & Telluri fiebant. *Varro* lib. 1. de re rustica, cap. 2. Orationem ad Terram & Cererem pro felici frugum proventu habet *Ovidius*, quem etiam leges.

Die XXVII. qui est VI. Kalend. Februarii, *festum* dedicationis templi *Castoris* & *Pollucis*, de quo ita Ovidius. ibid. 705.

At quæ venturas præcedit sexta Calendas,
Hæc sunt Ledæis templa dicata Deis.
Fratribus illa Deis fratres de gente Deorum
Circa Iuturnæ composuere lacus.

Dies

Dies XXX. qui est III. Kalendarum Februarii festum *Pacis* erat, de quo item Ovidius. ibid. 709.

Ipsum nos carmen deduxit Pacis ad aras,
Hæc erit à mensis fine secunda dies, &c. & post,
Thura Sacerdotes Pacalibus addite flammis,
Albaque perfusa victima fonte cadat.
Vtque domus, quæ perstat eam cum pace perennet,
Ad pia propensos vota rogate Deos.

Hactenus de mense Ianuario. *Liilius Gregorius Gyraldus* in suo Kalendario Romano XXIX. Ianuarii diem assignat *Equiriis*, idque auctoritate veteris Kalendarii, ut ipse ait: de quibus nos postea.

Hoc item mense sacrum *Diis Penatibus* factum, clarum est ex Kalendario veteri rustico, ab *Huberto Goltzio* edito, cum quo etiam istud Kalendarium, quod *Georgius Fabricius* 2. Antiquitatum libro inseruit, convenit.

CAP. VI.

De Februario, & diebus in eo Festis.

Et hic mensis à *Numa* additus est, cum à Romulo fuisset præteritus. Nomen habet à *Februo* Deo lustrationum, cui à Numa erat dicatus. *Lustrari* autem eo mense civitatem necesse erat, quo statuit, ut justa Diis manibus solverentur. *Macrobius* lib. 1. Saturnaliorum c. 13. Festus: *Februarius* mensis dictus, quod tum, id est, extremo mense anni populus *februaretur*, id est, lustraretur ac purgaretur: vel à Iunone, *februata*, quam alii *februalem*, Romani *februlim* vocant: quod ipsi eo mense sacra fiebant, ejusque sacra erant *Lupercalia*, quo die mulieres *februabantur* à Lupercis amiculo Iunonis, id est, pelle caprina; quam ob causam is quoque dies *februatus* appellabatur. Quæcunque denique purgamenti causa in quibusque sacrificiis adhibentur, *februa* appellantur. Id vero quod purgatur, dicitur *februatum*. Hactenus *Festus*: à quo non dissentiunt *Censorinus*, *Plutarchus*, & *Ovidius*, quorum hic etiam docet, apud priscos hunc mensem fuisse anni ultimum, & præcessisse *Ianuarium*: à Decemviris autem legum scribendarum primum institutum, ut post mensem *Ianuarium* collocaretur. Versus ejus sunt hi:

Sed tamen (antiqui ne nescius ordinis erres)
Primus ut est, Iani mensis & ante fuit.
Qui sequitur Ianum, veteris fuit ultimus anni,
Tu quoque sacrorum Termine finis eras.
Primus enim Iani mensis, quia Ianua prima est,
Qui sacer est imis manibus imus erat.
Postmodo creduntur spatio distantia longo,
Tempora bis quini continuasse viri.

Dies habuit hic mensis ab ultima *Numæ* constitutione viginti octo, quod *Numam* eo fecisse *Macrobius* docet, quod cum in honorem imparis numeri, tam in anno, quam in mensibus singulis imparem numerum esse voluerit, huic tamen mensi parem dierum numerum tribuerit, ut universa putatio totius anni impar fieret, quod alioqui factum non fuisset, si etiam huic mensi imparem dierum numerum assignasset. Vel etiam ob hanc causam fecit, quod Deo infero, cui hic mensis sacer erat, diminutio & par numerus conveniret. Quare etiam *Iulius Cæsar* cum annum aliter ordinaret, & aliquot diebus adjectis augeret, nullum huic mensi diem addidit, ne *Deo infero* religio mutaretur.

Hic item mensis *intercalationi* destinatus erat, qua de re initio hujus libri satis multa diximus, fuitque in tutela *Neptuni*.

De diebus mensis Februarii festis.

In Kalendario illo Romano, quod supra posuimus, à Calendis hujus mensis ad Idus usque dies omnes *Nefasti* esse scribuntur, nec ullum notatur festum. In *Ovidio* tamen aliquorum fit mentio, de quibus pauca hic dicemus.

Ita *Calendarium* habet:

H. k. FEB. N. Hoc est, *Calendæ Februarii*, Nefastus dies.

Calendæ Februarii, sicut & *Ianuarii*, & sequentium mensium omnium in tutela Iunonis erant, quod in *Ianuario* diximus, nec amplius repetemus.

Calendis *Februarii* festum erat dedicationis templi *Iunonis Sospitæ*, de quo ita canit Ovidius:

Principio mensis Phrygiæ contermina matri,
Sospita delubris dicitur aucta novis.

De hoc templo diximus libro secundo. Erat hoc die festum *luci Asyli*. Ovidius:

Tunc quoque vicini lucus celebratur Asyli,
Qua petit æquoreas advena Tybris aquas.

De Luco Asyli *Livius*, *Dionysius*, & alii multa habent.

Eodem die etiam rem divinam faciebant in æde *Vestæ*, & æde *Iovis Tonantis*: atque in Capitolio mactabant *Iovi* bidentem. Ovidius:

Ad penetrale Numæ, Capitolinumque Tonantem,
Inque Iovis summi cæditur arce bidens.

Die Februarii V. in quem *Nonæ* incidebant, *Cn. Octavius Augustus* Pater Patriæ dictus est, qua de re *Suetonius*, *Dio* & alii multi loquuntur. Ovidius:

Dum canimus sacras alterno pectine Nonas,
Maximus his fastis accumulatur honos, &c. & post:
Sancte Pater patriæ, tibi plebs, tibi Curia nomen
Hæc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen eques:
Res tamen ante dedit, sero quoque vera tulisti
Nomina, jampridem tu pater orbis eras.

Idibus rursum Iovis *Idulis* mactabatur, uti in Ianuario notavimus, *Februarii* Idibus etiam *Fauni* feriæ erant, de quibus Ovidius:

Idibus agrestis fumant altaria Fauni,
Hic ubi discretas insula rumpit aquas.

Idem dies ater sive religiosus erat, ob cædem *Fabiorum*, de qua omnes prope historiæ Romanæ & *Ovidius* loquuntur.

F. LVPER. N. P. Hoc est, LVPERCALIA, Nefastus primo.

Die XV. Februarii, qui Latine dicitur XV. Calend. Martii, *Lupercalia* celebrabantur.

LVPERCALIA, inquit *Varro*, dicta, quod in *Lupercali* Luperci sacra faciunt. Rex cum feriis menstruas Noneis Februareis edicit, hunc diem *Februatum* appellat. *Februum* Sabini *purgamentum*, & id in sacreis nostreis verbum. Nam & *Lupercalia* Februario, ut in antiquitatum libreis demonstravi, &c. Hæc ut scribunt *Dionys. Livius*, *Plutarchus*, & multi alii ab *Euandro* ex Arcadia in Italiam translata sunt; alii ab ipso *Romulo* & *Remo* instituta esse volunt. Et hujus posterioris qui sunt sententiæ, non omnes unam eorum institutorum causam afferunt. Quidam enim in memoriam nutritorum à Lupa *Romuli* & *Remi*: quidam propter factam sibi à *Numitore* avo potestatem condendæ Vrbis in monte Palatino, ubi servati fuerant, instituta & celebrata primum à Romulo & Remo tradunt. Hanc causam *Valerius Maximus* libro secundo explicat: illam *Plutarchus* à Buta quodam afferri dicit. *Valerii Maximi* verba primum adscribam. *Lupercalium*, inquit, mos à Romulo & Remo inchoatus est, tunc, cum lætitia exultantes, quod his avus *Numitor* rex Albanorum, eo loco, ubi educati erant, Vrbem condere permiserat sub monte Palatino, hortatu *Faustuli* educatoris sui, quem *Euander* Argivus consecraverat; facto sacrificio, cæsisque capris, epularum hilaritate, ac vino largiore provecti, divisa pastorali turba, cincti pellibus immolatarum hostiarum, jocantes obvios petiverunt: cujus hilaritatis memoria annuo circuitu feriarum repetitur. Hactenus *Valerius*. *Plutarchus* autem de *Lupercalibus*, eorum institutione, & cærimoniis in Romulo ita scribit: *Lupercalia*, si ad tempus respiciatur, lustrationis causa instituta videri possunt. Fiunt enim diebus nefastis mensis *Februarii*, qui ab expiationibus nomen habet, atque illa dies antiquitus *Februata* nuncupabatur. *Lupercalia* Græcis *Lycæa* vocantur, cujus nominis ratione videntur esse pervetusta & ab *Arcadibus*, qui cum *Euandro* fuerant, deducta: possunt tamen etiam à *lupa*, quæ iis *Lycæna* est, dicta videri, cum *Luperci* cursum suum ab eo loco, quo Romulus expositus fertur, ordiantur. Sed quæ aguntur *Lupercalibus*, eorum causa conjectu difficilior est. Mactant enim capras: tum duo nobiles adolescentes adducuntur ad eos, quorum alii frontem gladio cruentato contingunt; alii confestim detergent lana lacte madefacta: adolescentulis istis interim dum deterguntur, ridendum est. Deinde caprarum pellibus in scuticas dissectis, subligaculis præcincti, cætera nudi, discurrunt, ac obvium quemque iis *scuticis* cædunt. Mulieres autem juniores ictus illos nequaquam fugiunt, credentes eos ad pariendi facilitatem & conceptum conducere. Id quoque peculiare festi hujus est, quod canis à *Lupercis* immolatur. Porro *Butas* quidem Elegiacis versibus causas Romanarum rerum fabulosas perscripsit. Is tradit *Romulum* cum suis, victo *Amulio*, lætitia exultantes ad eum locum accurrisse, ubi infanti ipsi lupa ubera præbuisset: itaque & ad imitationem hujus cursus *Lupercalia* agi, & currere nobiles, ac

Percutere oblatos: velut ense cucurrit ab Alba
Armatus quondam Romulus, atque Remus.

Quod autem gladius cruentatus fronti eorum adhibetur, id esse cædis ac periculi signum: sicut detersio, quæ fit lacte, nutritionem indicat. At *C. Acilius* narrat, pecudes Romuli ante Vrbem conditam amissas fuisse: eum itaque cum suis Fauno votis factis, ad eas quærendas nudos excurrisse, ne sudore molestarentur: ideoque *Lupercos* etiam nudos currere. Quod ad canem attinet, si quidem id sacrum lustrationis causa peragitur, haud abs re expiationis causa immolari dicemus. Nam in id genus sacrificiis Græci *catulos* adhibent, varieque utuntur iis, quos à catulis *periscylacismos* nominant. Quod si instituta sunt *Lupercalia* ad agendas lupæ gratias, pro nutrito & servato Romulo: haud absurde canis mactatur, animal lupis inimicum: nisi potius ideo plectitur, quod *Lupercis* circumcurrentibus interturbet. Hæc *Plutarchus*. De Lupercalibus præter eos, quos dixi, *Ovidius* multa habet, quæ legere potes, & *Ioannes Goropius Becanus* l. 4. Originum, quem inscripsit *Cronia*, ubi omnium rituum in his sacris observatorum causas diligenter inquirit, & explicat.

H. QVIR. N. P. Hoc est, QVIRINALIA, Nefastus primo.

Die Februarii XVII. qui Latine XIII. Kalend. Martii dicitur, *Quirinalia* erant.

QVIRINALIA, inquit Varro, à *Quirino*, quod ei Deo feriæ, & eorum hominum qui *Fornacalibus* diebus non fuerunt feriati. *Quirinalia* igitur Quirino, id est, Romulo celebrabantur, de cujus ἀποθεώσει supra libro secundo, & de ejus Flamine, qui *Quirinalis* dicebatur, libro tertio diximus. Ovidius:

Proxima lux vacua est, at tertia dicta Quirino,
Qui tenet hoc nomen Romulus ante fuit.

Eodem die etiam feriæ *Stultorum* erant, unde & *Quirinalia feriæ stultorum* dicebantur, ob hanc causam, quod, cum quisque in sua curia *Fornacalibus*, quæ indictitiæ feriæ erant, feriaretur, & sacra faceret, stulta populi pars, quæ sua *Curia* esset, ignorans, rem divinam *Fornacalibus* omissam, Quirinalibus faciebat. Ita *Festus*, quemadmodum restituit *Iosephus Scaliger*, cum antea hæc essent corruptissima: *Quirinalia* mense Februario dies, quo Quirini fiunt sacra. Idem *stultorum feriæ* appellatur, quod quidam, qui suorum Fornacalium sacra Romæ ignoraverant, eo potissimum rem divinam faciunt. Idem vel potius *Paulus Diaconus* paulo inferius: *Stultorum feriæ* appellabantur *Quirinalia*, quod eo die sacrificabant ii, qui solenni die, aut non potuerunt rem divinam facere, aut ignoraverunt.

Fornacalia autem (nam ea hoc die à Curione maximo indicebantur) festa erant, non stata illa quidem, sed indictiva, quæ fiebant *Deæ Fornaci*. Festus: *Fornacalia* feriæ institutæ sunt farris torrendi gratia, quod ad fornacem, quæ in pistrinis erat, sacrificium fieri solebat. Idem: *Fornacalia* sacra erant, cum far in fornaculis torrebant. *Plinius* lib. 18. cap. 2. auctor est, à Numa *Fornacalia* esse instituta. Sic enim scribit: Numa instituit Deos fruge colere, & mola salsa supplicare, atque (ut auctor est *Hemina*) far torrere, quoniam tostum cibo salubrius esset. Id uno modo consecutum, statuendo, non esse purum ad rem divinam nisi tostum. Is & *Fornacalia* instituit farris torrendi ferias, & æque religiosas terminis agrorum. Hos enim Deos tunc maxime noverant. De *Fornacalibus*, & *feriis stultorum* Ovidius lib. 2. Fastorum:

Facta Dea est Fornax: læti fornace coloni
Orant, ut fruges temperet illa suas.
Curio legitimis tunc Fornacalia verbis
Maximus indicit, nec sacra stata facit.
Inque foro multa circumpendente tabella,
Signatur certa Curia quæque nota.
Stultaque pars populi, quæ sit sua Curia, nescit:
Sed facit extrema sacra relicta die.

D. FERAL. F. Hoc est, Feralia. Fastus.

Die XXI. qui est IX. Kal. Martii erant *Feralia* quæ tamen ab *Ovidio* ad XIII. Kalend. Martii, hoc est, XVII. Februarii diem referuntur.

FERALIA, inquit *Varro*, ab inferiis & ferendo, quod ferunt tum epulas ad sepulcrum, quibus jus ibi parentare. Festus: *Feralia* Diis manibus sacrata festa à ferendis epulis, vel à feriendis pecudibus appellata. Hæc *Macrobius* lib. primo Saturnaliorum cap. 13. à Num. Pompilio instituta scribit. *Ovidius* ab Æneæ eorum originem deducit, cujus versus, quia notatu digni sunt, & multa de ritibus *Feraliorum* habent, huc referam. Sic autem scribit, lib. Fast. II. v. 533.

Est honor & tumulis animas placare paternas,
Parvaque in extructas munera ferre pyras.
Parva petunt manes, pietas pro divite grata est
Munere, non avidos Styx habet ima Deos.
Tegula porrectis satis est velata coronis,
Et sparsæ fruges, parvaque mica salis, &c.

Hoc eodem die religiosum esse nubere, aut Diis superis sacra facere, docet idem, cum ita pergit: v. 557.

Dum tamen hæc fiunt, viduæ cessate puellæ,
Exoptat puros pinea tæda dies.
Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas hasta recurva comas, &c.

Ipsis Feralibus etiam Deæ Mutæ sacrificium fieri *Ovidius* docet, quod erat sacrum quoddam magicum ad compescendas detrahentium linguas: cujus rationem *Ovidius* his versibus explicat: ibid. v. 571.

Ecce anus in mediis residens annosa puellis,
Sacra facit tacite, nec tamen ipsa tacet.
Et digitis tria thura tribus sub limite ponit,
Sua brevis occultum mus sibi fecit iter, &c.

Quorum versuum enarrationem petes ab *Antonio Fanensi*, *Paulo Marso*, & aliis, qui hos Ovidii libros suis Commentariis illustrarunt.

Proxi-

Proximo à Feralibus die *Charistia* ab amicis celebrari, *Ovid.* scribit his versibus:

Proxima cognati dixere Charistia chari,
Et venit ad socios turba propinqua deos.

Et qui sequuntur.

Meminit etiam eorum mense Februario Kal. Rusticum. De *Charistiis* Valerius *Maximus* libro secundo capite primo. Convivium etiam, inquit, solemne majores instituerunt, idque *Charistia* appellaverunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur: ut si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus *Concordiæ* adhibitis tolleretur. Hactenus *Valerius*: Sic & Ovid.

Diis generis date thura boni, Concordia fertur
Illa præcipue mitis adeste die.
Et libate dapes, ut grati pignus amoris
Nutriat intinctos missa patella cibos.
Iam tibi suadebit placidos nox humida somnos,
Larga precaturi sumite vina manu.
Et bene nos, bene tu patriæ Pater optime Cæsar,
Dicite suffuso per sacra verba mero.

Revertamur ad *Kalendarium* nostrum in quo die Februarii XXII. sic scriptum extat:

F. TER. NP. Id est, Terminalia, Nefasti primo.

TERMINALIA, inquit *Varro*, quod is dies anni extremus constitutus. Duodecimus enim mensis fuit *Februarius*, & cum intercalatur, inferiores quinque dies duodecimo demuntur mense. *Festus*: Termino sacrificabant, quod in ejus tutela fines agrorum esse putabant: denique *Numa Pompilius* statuit eum, qui terminum exarasset, & ipsum, & boves sacros esse. *Terminalia* Numa Rex instituit, quemadmodum *Dionysius*, *Plutarchus*, *Plinius*, & alii docent. *Dionysius* lib. 2. cum multa de Terminis Deis verba fecisset, tandem ita concludit: Nam Deos putant *Terminos*, eisque sacra faciunt, non hostias cædentes, quod nefas sit cruentari hos lapides, sed liba Cerealia, frugumque offerentes primitias. *Plutarchus* causam inquirens, cur *Termino*, quem Deum censerent, & sacris *Terminalibus* honorarent, nullum animal immolaretur, ita tandem respondet: An, quia Romulus terminos agro populi nullos posuit, ut liceret progredi, aliisque ademptum adjicere suo, & putare omnem ditionem ad se pertinere, quam (ut *Laco* ille dicebat) hasta assequi possent? *Numa* autem *Pompilius*, homo justus, civilis ac Philosophus, limitibus suum agrum à vicino distinxit, iisque *Terminum* nuncupans, inspectorum, atque custodem amicitiæ & pacis existimavit sanguinis purum, nulla inquinatum cæde debere servari. De sacris etiam *Terminalibus* ad hunc modum Ovidius, 2. Fastor. v. 639.

Nox ubi transierit, solito celebratur honore,
Separat indicio qui Deus arva suo.
Termine, sive lapis, sive es defossus in agro,
Stipes ab antiquis tu quoque nomen habes.
Te duo diversa Domini de parte coronant,
Binaque serta tibi, binaque dona ferunt, &c.

Sequitur in Kalendario:

G. REGIF. N. Hoc est, REGIFVGIVM. Nefastus. Die Februarii XXIV. qui est VI. Kalend. Martii erat *Regifugium*.

REGIFVGIVM, inquit *Festus*, sacrum dicebant, quo die Rex *Tarquinius* fugerit è Roma, de quo ita Ovidius:

Nunc mihi dicenda est Regis fuga, traxit ab illa
Sextus ab extremo nomina mense dies.

Meminit etiam *Ausonius* in Ecloga de feriis Romanis:

Nec Regifugium pulsis ex urbe Tyrannis,
Lætum Romanis fas reticere diem.

Historiam illam de fuga vel exilio Romanorum Regum, *Tarquiniorum* scilicet, quia ea vulgo notissima est, & plerisque scriptoribus veteribus decantata, hoc loco repetere nolo.

B. EQV. NP. Hoc est: EQVIRIA, Nefastus primo.

Die Februarii XXVII. qui est III. Calend. Martii, *Equiria* erant.

EQVIRIA, inquit *Varro*, dicta ab equorum cursu. Eo enim die currunt equi in Campo Martio. De iisdem *Festus* ita scribit: *Equiria* ludi, quos Romulus Marti instituit per equorum cursum, qui in Campo Martio exercebantur. Meminit eorum & Ovidius:

Iamque duæ restant noctes de mense secundo,
Marsque citos junctis curribus urget equos.
Ex vero positum permansit Equiria nomen,
Quæ Deus in campo perspicit ipse suo.

Pridie Calendas Martii, qui est XXIIX. idem ultimus Februarii, *Tarquinios* Tyrannos prælio superatos à Romanis esse, nonnulli tradunt. Meminit ejus rei *Plutarchus* in Poplicola. Tantum de mense *Februario*.

CAP. VII.

De Martio, & diebus in eo festis.

Annum, ut supra diximus, decem mensium fecit Romulus, quorum primus fuit *Martius*, sic dictus, vel à *Marte*, quod is Romuli pater crederetur, vel ab illius gentis in re militari alacritate. Varro: *Martius* à Marte dicitur. *Macrobius* lib. 2. Saturnaliorum, cap. 12. *Romulus* primum anni mensem genitori suo dicavit. Ovidius:

A te principium Romano ducimus anno,
Primus de patrio nomine mensis erit.
Vox rata fit, patrioque vocat de nomine mensem,
Dicitur hæc pietas grata fuisse Deo.

Festus, *Martius* mensis initium anni fuit & in Latio, & post Romam conditam, eo quod gens erat bellicosissima. Cujus rei testimonium est, quod posteriores menses, qui annum finiunt, à numero appellati, ultimum habent *Decembrem*. Auctor est *Ovidius*, *Martium* mensis nomen, etiam ante Romam conditam, Italiæ populos habuisse, licet non omnibus fuerit mensis anni primus. Alii enim tertio, alii quarto, alii quinto, alii sexto, alii decimo loco eum collocarunt. Versus *Ovidii* sunt:

Quod si forte vacat, peregrinos inspice fastos,
Mensis in his etiam nomine Martis erit.
Tertius Albanis, quintus fuit ille Phaliscis,
Sextus apud populos Hernica terra tuos.
Inter Aricinos, Albanaque tempora constat,
Factaque Telegoni mœnia celsa manu.
Quintum Laurentes, bis quintum Æquicolus acer,
Atribus hunc unum turba forensis habet.
Et tibi cum proavis miles Peligne Sabinus
Convenit huic genti quartus utrique Deus.
Romulus hos omnes ut vinceret, ordine saltem,
Sanguinis auctori tempora prima dedit.

Quod autem hic mensis apud veteres Romanos ex prima *Romuli* constitutione, primus anni fuerit & ex his, quæ jam adduxi, testimoniis constat, & *Macrobius* ac *Solinus* multis rationibus convincunt: quales sunt, quod hoc mense & publicè & privatim ad Annam Perennam sacrificatum iverint, ut annare, perennareque commode licuerit: quod hoc mense mercedes exolverint magistris, quas completus annus deberi fecisset. Quod *Comitia* auspicati fuerint: *Vectigalia* locarint: Quod *matronæ* servis cœnas apposuerint, quemadmodum Domini *Saturnalibus*: illæ, ut principio anni ad promptum obsequium honore servos invitarent: hi, quia gratiam perfecti operis exolverent. Reliquos in Calendis Martiis referemus. Habuit *Martius*, qui in Minervæ tutela fuit ex Romuli, Numæ, & C. Iulii Cæsaris constitutione, dies XXXI.

De Diebus mensis Martii festis.

D. K. MAR. NP. Hoc est, Calendæ Martiæ, vel Martii Nefastus primo.

Calendæ Martiæ, quod is mensis olim anni primus esset, valde celebres fuerunt. His enim quemadmodum *Macrob.* lib. 1. Saturnaliorum cap. 12. & *Solinus* in Polyhistor. cap. 3. & alii, scribunt, ignem novum *Vestæ* aris accendebant, ut incipiente anno, cura denuo servandi novati ignis inciperet.

Iisdem *Calendis* tam in regia, curiisque, atque in *Flaminum* domibus, quam in facibus *Consularibus* laureas veteres novis mutabant: de quibus *Ovidius* libro 3. Fastorum. vers. 135.

Neu dubites primæ fuerint quin ante Kalendæ
Martis, ad hæc animum signa referre potes.
Laureæ Flaminibus quæ toto perstitit anno,
Tollitur, & frondes sunt in honore novæ, &c.

Kalendis Martii etiam *Matronalia* erant, quæ à matronis Marti celebrabantur, cujus rei causas *Ovidius* recenset quinque: quarum *prima* est, quod mulieres Sabinæ à Romanis raptæ, sua intercessione atrox bellum, quod inter maritos & patres atque amicos jam motum erat, sedavissent: ideoque constitutum est, ut quotannis eo die *Marti* sacrificarent. *Altera* est, ut favore *Martis* eam felicitatem consequerentur in filiis, quam videbatur iis Deus Iliæ concessisse, quæ à *Marte* compressa, Romulum summæ felicitatis filium peperit. *Tertia* quod mense *Martio* terra fœcunda esset, quales matronæ fieri cuperent: *Quarta* quod Calendis Martiis Iunoni Lucinæ templum datum esset in Esquiliis. *Quinta*, quod Mars Iunonis, quæ Conjugiis præerat, filius diceretur. Versus Ovidii sunt: 3. Fast. vers. 229.

Inde diem primasque mensas celebrate Kalendas,
Oebalides matres, non leve munus habent.
At quia committi strictis mucronibus ausæ,
Finierant lacrymis Martia bella suis.
Vel quod erat de me feliciter Ilia mater,
Rite colunt matres sacra, diemque meum.

Hoc eodem die *Saliorum* festum incipiebat, qui *ancylia* circumferebant, & *Mamurium* canebant. Sic enim Ovidius:

Quis mihi nunc dicet, quare cœlestia Martis
Arma gerant Salii, Mamuriumque canant?

Deinde causam hujus rei subjiciens, quomodo videlicet *Numa* Iovem ad se elicuerit, colloquium cum eo habuerit, signum Imperii Romani petierit, & quid *Iupiter* responderit, ita tandem scribit: 3. Fast. vers. 367.

Dum loquitur, totum jam Sol emoverat orbem,
Et gravis æthereo venit ab axe fragor.
Ter tonuit sine nube Deus, tria fulmina misit,
Credite dicenti mira, sed acta loquar, &c.

Idem etiam *Ovidius* docet, his diebus, quibus circumferrentur *ancylia*, priusquam condita rursum esset, ominosum esse nubere, neque etiam licere *Flaminicam Dialem* sese pectere, atque ornare. Hæc enim sunt ipsius verba:

Nubere si qua voles, quamvis properabitis ambo,
Differ, habent parvæ commoda magna moræ.
Arma movent pugnam, pugna est aliena maritis,
Condita cum fuerint, aptius omen erit.
His etiam conjunx capitis discincta Dialis
Lucibus, impexas debet habere comas.

De hoc *Saliorum* festo, & saltatione, ac circumgestatione ancyliorum, *Plutarchus* in Numa, ubi de *Saliorum* institutione & nomine agens ad hunc modum scribit: *Salii* nominantur, non (ut fabulantur nonnulli) à *Salio* quodam Samothrace, aut Mantinensi, qui saltationem armatam docuerit: sed ab ipsa potius chorea, quæ saltibus constat, quam per Vrbem circumeuntes ducunt, cum mense *Martio* peltas gestant, puniceas tunicas induti, mitrisque latis æreis cincti, & galeas æreas ferentes, pugionibusque arma pulsantes. Reliqua tripudii pars pedum officio constabat. Movebantur enim eleganter, celeriter, atque confertim orbes implicantes, evolventesque, multumque in eo roboris & agilitatis ostendentes. Et paulo post: At *Mamurio* mercedis nomine datum ajunt, ut eum *Salii* inter Pyrrhicam saltationem cantarent, alii *Veturium Mamurium* cum, qui caneretur, fuisse tradunt, alii veterem memoriam. Hæc *Plutarchus*, secutus, opinor, *Varronem*, qui libro 5. de lingua Latina ait, *Salios*, cum cantant *Mamurium Veturium*, significare veterem memoriam. *Festus* breviter hujus moris rationem indicat his verbis: *Mamurii Veturii* nomen frequenter in cantibus Romani frequentabant hac de causa. *Numa* regnante, cœlo cecidisse fertur *ancyle*, id est, scutum breve, quod ideo sic est appellatum, quia ex utroque latere erat recisum, ut summum, infimumque ejus latius medio pateret, unaque edita vox, omnium potentissimam fore civitatem, quamdiu id in ea mansisset: Itaque facta sunt ejusdem generis plura, quibus id misceretur, ne internosci cœleste posset, probatum opus est maxime *Mamurii*, qui præmii loco petiit, ut suum nomen inter carmina *Salii* canerent. Hactenus *Festus*. Historiam de *ancyli* habent scriptores rerum Romanarum plerique; qui sunt consulendi. De *Saliorum* Saltatione *Dionysius* etiam *Halicarnassæus* quædam habet, cujus pauca verba adscribam: Gesticulantur, inquit, *Salii* militariter ad tibiæ modulos, nunc simul, nunc per vices: interim canentes *Pæana* quendam Patrium: *Saltationem* autem armatam, quæ collisis ad scuta gladiis crebros ciet strepitus. Si quid credendum est antiquis scriptoribus, primi Curetes inventam tradiderunt posteris, &c. Hactenus ille. Sed de veterum *saltationibus* alibi dicemus prolixius.

VI. die *Martii*, qui est pridie Non. Sacrum Vestæ erat eodem die *C. Octavius Augustus* Imperator Pontificatum maximum inierat, quod & in veteri Calendario notatum est his verbis: HOC DIE CÆSAR PONTIF. MAXIM. EST FACT. De utroque Ovidius, 3. Fast. vers. 415.

Sextus ubi è terra clivosum scandet Olympum
Phœbus, & alatis æthera carpet equis:
Quisquis ades, castæque colis penetralia Vestæ,
Gratare, Iliacis thuraque pone focis, &c.

De Vestæ sacris *Alexander ab Alexandro* Neapolitanus libro quinto, capite duodecimo: *Vestæ* si quando *Vestales* virgines sacra libarent, vel rem divinam facerent, eo cultu, ornatuque, ut erant, & vittatæ peragebant. Album tamen præterea vestimentum quod *suffibulum* vocabatur, oblongum, & prætextum, & quadrangulum in capite sumebant, fibulaque subnectebant: tum casta mola, & sale tuso, ac in ollam fictilem misso, mox in aquam injecto, sacra faciebant: calcibusque fictilibus, quas *culullos* dicebant, *Vestæ* & Diis libabant. Hæc ille. In veteribus etiam nummis *sacra Vestæ* expressa videntur, cujusmodi duos ex *Guilhelmi Crassicani* antiquitatibus hic subjeci notatos l. m.

Nonis Martii, qui est dies ejus septimus, *Vejovis* templum consecratum est ad duos lucos *Asyli*. de quo ita Ovidius:

Vna nota est Martis Nonis, sacrata quod illis,
Templa putare lucos Vejovis ante duces.

De *Vejove* supra diximus.

Pridie Id. Martii, qui est dies ejus mensis XIV. *Equiria* altera erant. Sic enim Calendarium habet, A. EQ. NP. Id est, EQVIRIA. Nefastus primo.

DE EQVIRIIS, paulo ante diximus. Ovid.

Sex ubi sustulerit, totidem quoque deferet ortus,
Purpuream rapido qui vehit axe diem.

Altera

Altera gramineo spectabis Equiria campo,
Quem Tiberis curvis in latus urget aquis.
Qui tamen ejecta si forte tenebitur unda,
Cælius accipiet pulverulentus equos.

Significat Ovidius, *Equiria* hæc in campo Martio juxta Tiberim fuisse celebrata, nisi Tiberis inundasset. Tum enim in montem *Cælium* translata, unde in eo monte locus dictus *Campus Martialis*, in quo *Equiria* solebant fieri, si quando aquæ Tyberis Campum Martium occupassent. *Festus*.

Idibus Martii *Annæ Perennæ* festum erat, in quo largioribus poculis indulgebant, & pro cyathorum numero annos mutuo precabantur, de quo festo ita scribit Ovidius, 3. Fast. vers. 523.

Idibus est Annæ festum geniale Perennæ,
Non procul à ripis advena Tibris tuis.
Plebs venit ac virides passim disjecta per herbas
Potat, & accumbit cum pare quisque sua.
Sub Iove pars durat, pauci tentoria ponunt,
Sunt quibus è ramis frondea facta casa est, &c.

Causas cur *Annæ* festum tanta lætitia fuerit celebratum, *Ovidius* duas refert; quarum una est, quod ii, qui *Annam Perennam* apud Æneam exulantem, & post uxoris ejus Laviniæ insidias fugientem quæsiverant, responso accepto, esse eam *Nympham Numici* amnis, totum illum diem in agris lætis conviviis celebrarint. Altera, quod *Anna* anus quædam *Bovillis* oriunda, plebi seditiosæ in montem sacrum digressæ, & penuria laboranti, quotidie liba attulerit, & diviserit, in cujus rei memoriam plebeii pace cum Patriciis facta, hoc festum solenne instituerint. De priori causa ita scribit Ovid. 3. Fast. vers. 649.

Sidonis interea magno clamore per agros
Quæritur, apparent signa notæque pedum.
Ventum erat ad ripas, inerant vestigia ripis,
Sustinuit tacitas conscius amnis aquas.
Ipsa loqui visa est: Placidi sum Nympha Numici,
Amne perenne latens, Anna Perenna vocor.
Protinus erratis læti vescuntur in agris,
Et celebrant largo, seque diemque mero.

Alteram causam his explicat versibus:

Hæc quoque, quam referam, nostras pervenit ad aures
Fama, nec à veri dissidet illa fide.
Plebs vetus, & nullis etiam tunc tuta Tribunis
Fugit, & in sacri vertice montis erat, &c.

Idem etiam subjicit hoc die festo puellas, jocosa quædam & obscæna carmina cantare consuevisse, eam ob causam, quod *Anna* inter divos relata, & à *Marte* precibus sollicitata, ut *Minervæ*, cujus amore tenebatur, nuptias sibi conciliaret, eum deluserit, affirmans se inflexisse *Minervæ* animum, eamque paratam esse ad conjugium: in cujus tamen locum ipsamet flammeo, tanquam nova nupta velata ad *Martem* deducta, & dolus detectus fuit, quam narrationem *Ovid.* his versibus concludit:

Ludis amatorum charæ nova nupta Minervæ,
Nec res hac Veneri gratior ulla fuit.
Inde joci veteres obscœnaque dicta feruntur,
Et juvat hanc magno verba dedisse Deo.

Idem dies dictus est *Parricidium*, quod *C. Iulius Cæsar* Dictator à Conjuratis in Senatu collecto in curia Pompeji, XXIII. vulneribus confossus est, de qua re *Suetonius* in Cæsare, capite penultimo, *Florus* Epitoma Liviana libro 116. *Plutarchus*, *Ovidius*, *Dio*, & alii multi. Est & hoc non abs re meminisse, P. Cornelium Dolabellam Consulem, ut est apud *Appianum* lib. 2. de bellis civilibus, legem tulisse, ut hic dies, quo *C. Iulius Cæsar* interfectus esset, in posterum natalis urbis haberetur, quasi scil. hac *Iulii Cæsaris* nec libertas Reipub. restituta esset.

XVI. Calendarum Aprilis, qui est dies Martii XVII. *Liberalia* erant, sic in Calendario notata.

D. Lib. NP. Hoc est, *Liberalia*, Nefastus primo.

Liberalia, inquit *Festus*, Liberi festa, quæ apud Græcos dicuntur διονύσια. *Varro* libr. quinto de lingua Latina: *Liberalia* dicta, quod, per totum oppidum eo die sedent Sacerdotes *Liberi*, hedera coronatæ anus cum libeis & foculo pro emptore sacrificantes. In libris *Saliorum*, quorum cognomen *Agonensium*, forsitan hic dies ideo appellatur potius *Agonia*. Quem locum explicans *Adrianus Turnebus*, vir eruditissimus, in iis Commentariis Varronianis, quos post obitum ipsius hæredes in lucem dederunt, ait, *sedere*, hic significare feriari, & per *foculum* ignitabulum intelligi, parvumque focum, quo usi veteres fuerint, cum rem divinam extra templa in locis non sacris, aut in quibus ara non erat, facerent. Vnde *Cicero* pro Domo: *C. Attinius* bona Q. Metelli consecravit, foculo posito in rostris, adhibitoque tibicine. Hæc ille. Quod *Varro* dicit, in libris Saliorum hunc diem *Agonia* appellari, idem confirmat etiam *Masurius*, qui libro 2. Fastorum, ut est apud *Macrobium* lib. 1. Saturnaliorum, cap. 4. Liberalium diem à Pontificibus, *Agonium* Martiale appellari scribit. Rituum, qui Liberalibus observabantur, causas diligenter explicat *Ovid.* multis versibus, quos legere potes, nos aliquos tantum adducemus. Sic igitur scribit: 3. Fast. vers. 725.

Carminis hujus opus causas exponere, quare
Vilis anus populos ad sua liba vocet.

Ante tuos ortus aræ sine honore fuerunt,
Liber & in gelidis herba reperta focis, &c.

Et paulo post vers. 761.

Melle pater fruitur, liboque infusa calenti
Iure repertori splendida mella damus.
Fœmina cur præsit, non est rationis operta,
Fœmineos Thyrso concitat ille choros, &c.

Eodem etiam *Liberalium* die, toga libera adolescentibus pueritiam egressis dabatur, cujus rei caussas *Ovidius* commemorat quatuor, de quibus ipsum audire placet. Sic inquit: ibid. vers. 771.

Restat, ut inveniam, quare toga libera detur
Luciferis pueris, candide Bacche, tuis.
Sive quod ipse puer, semper, juvenisque videris,
Et media est ætas inter utrumque tibi, &c.

De toga, & aliis vestium generibus dicemus suo loco.

Hoc etiam die & præcedenti ibatur ad *Argeos* ut *Ovid.* docet. *Argei* loca erant in Vrbe, ubi sacra fiebant, à Numa consecrata. *Liv.* libr. 1. Locaque sacris faciendis, quæ *Argeos* Pontifices vocant, dedicavit: qualia viginti septem per quatuor primas Vrbis partes dispersa fuisse, ex *Varrone* discimus, qui lib. 4. de lingua Latina scribit: Reliqua urbis loca olim discreta, ut *Argeorum* sacra in 7. & 20. partes Vrbis sunt disposita. Horum etiam verborum hunc esse sensum *Iosephus Scaliger* in Conjectaneis docet, *Argeorum* sacraria 27. diffusa esse per quatuor illas Vrbis parteis, sive tribus urbanas, in quas Vrbs primum distributa fuit: quod & ex sequentibus pagellis *Varronis* manifestum fit. *Argeos* autem, inquit *Varro*, putant dictos à principibus, qui cum Hercule Argivo venerunt Romam, & in Saturnia subsederunt, &c. Festus: *Argei* (quamvis in vulgatis sit *Argea*) loca Romæ appellantur, quod in his sepulti essent quidam Argivorum illustres viri. Apud *Agellium* libro 10. cap. 15. Lex de Flamine Diali extat, ut cum iret ad *Argeos*, neque caput comeret, neque capillum depecteret. De *Argeis*, quæ effigies scirpeæ erant, & singulis annis per virgines *Vestales* in Tiberim jaciebantur, paulo post dicemus.

XIV. Calend. Aprilis, qui est XIX. dies Martii *Quinquatria* incipiebant & quinque dies continuabantur, quorum sic meminit Calendarium.

F. QVIN. N. Hoc est, *Quinquatria* Nefastus.

QVINQVATRVS, inquit *Varro*, hic dies unus à nominis errore observatur, proinde ut sint quinque, dictus ab Tusculaneis. Post diem sextum Eidus similiter vocatur *Sextatrus*: & post diem septimum *Septimatrus*: sic hic, quod erat post diem quintum Eidus, *Quinquatrus*. In quam sententiam *Festus* ita scribit: *Quinquatrus* appellari quidam putant à numero dierum, qui fere his celebrantur, qui scilicet errant, tam Hercule, quam qui triduo Saturnalia, & totidem diebus *Compitalia*. Nam omnibus his singulis diebus fiunt sacra. Forma autem vocabuli ejus, exemplo multorum populorum Italicorum enunciata est, quod post diem quintum Iduum est is dies festus, ut apud Tusculanos *Triatrus*, & *Sextatrus*, & *Septimatrus*, & Faliscos *Decimatrus*: Minervæ autem dicatum eum diem existimant, quod eo die ædes ejus in Aventino consecrata est. Hactenus *Festus*. De *Quinquatribus & ritibus ac cæremoniis*, quæ illis diebus observari solebant, ad hunc modum scribit Ovid. 3. Fastor. vers. 809.

Vna dies media est, & fiunt sacra Minervæ,
Nominaque à junctis quinque diebus habet,
Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro,
Caussa, quod est illa nata Minerva die.
Altera, tresque superstrata celebrentur arena,
Ensibus expertis bellica læta Dea est, &c.

Vltimo *Quinquatrium* die, qui est dies Martii XXIII. Latine X. Calend. April. dicitur, *Tubilustrium* erat. Sic enim habet Kalendarium:

B. TVBIL. NP. Hoc est, *Tubilustrium*, Nefastus primo.

Tubilustrium, inquit *Varro*, appellatur, quod eo die in atrio Sutorio sacrorum tubæ lustrantur. *Festus*, quemadmodum *Iosephus Scaliger* legendum censet, *Tubilustria* dies, quibus diebus adscriptum, in atrio Sutorio agna tubæ ut lustrentur, ab eis tubis appellant, quod genus lustrationis ex Arcadia, Pallante eo transferente, venisse dicunt: Ovidius:

Summa dies è quinque tuba lustrare canora
Admonet, & forti sacrificare Deæ.

Dies proxime sequens, qui est XXIV. Martii in Kalendario ita notatus est:

C. Q. REX. C. F. Hoc est, *Quando Rex Comitiavit, fas.*

Dies qui sic vocatur. *Quando Rex Comitiavit, fas*, inquit *Varro*, dictus ab eo, quod eo die *Rex sacrificulus* itat ad Comitium (sic enim *Scaligero* placet, cum vulgati habeant, *dicat*) ad quod tempus est nefas, ab eo fas. Itaque post id tempus lege actum sæpe. *Festus*, sive potius *Paulus* mutilator ejus: *Quando Rex*

Rex Comitiavit, fas, in fastis notari solet, & hoc videtur significare, quando Rex Sacrificulus divinis rebus perfectis in Comitium venit: ex quibus tamen verbis nihil certi intelligi potest. Vt autem diei hujus celebritas, & ritus cognoscantur, sciendum est *Regi sacrorum* neque magistratum gerere, neque verba ad populum habere fas fuisse. Propterea in *Comitium* ire illi non licebat, nisi hoc die, qui notatus est in fastis. Ibat enim in comitium sacrificii causa quo properanter patrato protinus fuga se è *Comitio* eripiebat. Docet hoc *Plutarchus* in Quæstion. Romanis, quæst. 63. his verbis: Cur *Regi sacrorum* magistratum gerere, aut orationem ad populum habere non licet? An quod antiquitus Reges pleraque & potissima sacra peragebant, inque immolandis hostiis *Sacerdotibus* aderant, cum vero modum non servarent, sed superbe, iniqueque dominarentur, Græci plerique iis omnem ademerunt potentiam, id tantum relinquentes, ut Diis sacra facerent. Romani autem Regibus omnino ejectis, sacrificiis alium præfecerunt, neque magistratum gerere eum, neque cum populo agere sinentes, ut nunquam, nisi in sacris servire, & in gratiam Deorum sustinere regnum viderentur? Sane à majoribus tradito ritu, ante Comitium *Rex sacrorum*, postquam rem divinam fecit, fuga sese inde è foro proripuit. Hæc *Plutarchus*.

Die XXV. Martii, qui est IIX. Kalend. Aprilis, *Hilaria* erant, cujus tamen festi neque Kalendarium, neque *Ovidius* meminerunt. *Macrobius* autem libro 1. cap. 21. de eo sic scribit: Ad IIX. Kalend. Aprilis celebratur exordium lætitiæ, quem diem *Hilaria* appellant, quo primum tempore Sol diem longiorem nocte protendit. Celebrabantur *Hilaria* in honorem *Matris Deûm*, quod & ex *Macrobio* constat, & ex *Lampridio*, qui in Alexandri Severi vita ita scribit: *Kalendis Ianuariis & Hilariis Matris Deûm, & ludis Apollinaribus, & Iovis epulo, & Saturnalibus, & hujusmodi festis diebus Fasianus*, &c. loquitur de temperantia & frugalitate Alexandri. *Flavius Vopiscus* in Aureliano: *Hilaribus*, quibus omnia festa & fieri debere scimus, & dici. Ad quem locum *Ioannes Baptista Egnatius* annotat: *Hilaria* Pani Deo, omnium auctori, dicata esse, male opinor. Contrarium enim docent hæ, quas adduxi auctoritates, & *Turnebus* libro 24. Adversariorum cap. 45. ubi maximum *Dionysii* interpretem citat in hæc verba de *Hilaribus* scribentem: ἦσάν τινες ἡμέραι τοῖς εἰδωλολάτραις, ἃς ἱλαρίας ἐκάλουν, καὶ αἱ μὲν ἦσαν ἴδιαι καὶ ἱλάριοι, ὡς ὅταν τις ἔγημεν, ἢ υἱὸν ἐκτᾶτο. αἱ δὲ κοιναὶ καὶ δημόσιαι ἱλάρια ἐκαλοῦντο, ὡς ὅταν βασιλεὺς ἀναγορευόμενος τὰς δημοσίας ἱλαρίας παρεῖχε καὶ οὔτε πένθιμα ἐν ταύταις φορεῖν ἐξῆν, ἀλλὰ καὶ θέαι καὶ θυσίαι, καθ' ἑκάστην ἡμέραν διετελοῦντο δημόσιαι, καὶ οἱ πενθοῦντες ἐπαύοντο, καὶ ἐθεώρουν καὶ ἐν εὐωχίαις ἀπαύστοις διῆγον τὰς ὡρισμένας ἡμέρας ταῖς τοιαύταις ἱλαρίαις. ἦν δὲ ἱλάρια ἑορτὴ ἰδικὴ Ῥωμαίων εἰς τιμὴν τῆς μητρὸς τῶν θεῶν αὐτῶν, ἀλλὰ δὲ δαιμόνων, ὡς φησὶ Δημόφιλος ἐν τῷ περὶ τῶν παρ' ἀρχαίοις θυσιῶν. Quæ verba ita reddi possunt: Habebant aliquot dies idololatræ, seu idolorum cultores, quos nuncupant *Hilarios*. Horum autem dierum alii erant privati, & *Hilarii* appellabantur, veluti si quis celebrarit nuptias, aut si filius alicui natus fuerit, alii vero erant vulgares & publici, qui *Hilaria* nominabantur, ut cum *Rex* aliquis publice proclamatus, publicas *hilarias* subditis exhibebat, & his quidem diebus neque lugere licebat, sed spectacula & sacrificia quotidie perficiebantur publice: quin & judicia haberi cessabant, ludos spectabant, & conviviis continuis peragebant dies *Hilariis* deputatos. Erant autem *Hilaria* festum proprium Romanorum in honorem *matris Deûm*: imo vero dæmonum, quemadmodum inquit *Demophilus* in libro de sacrificiis antiquorum. Cæterum & *Herodianus* in Commodo, libro 1. suæ historiæ, docet hæc festa principio veris celebrata fuisse, maxima populi lætitia, & nobilissima pompa, quovis è populo insignia cujusque dignitatis mentiente atque simulante, libere & impune, ut internosci magistratus à simulatore plerumque non posset: ubi tamen *Hilariorum* nomen non habet.

Tres ubi luciferos veniens præmiserat Eos,
Tempora nocturnis æqua diurna feret.
Inde quater pastor saturos ubi clauserit hœdos,
Canuerint herba rore recente quater:
Ianus adorandus, cum quo concordia mitis,
Et Romana salus, araque pacis erit.

Vltimo Martii die Lunæ sacra fiebant in monte Aventino. Ovid.

Luna regit menses, hujus quoque tempora mensis,
Finit Aventino Luna colenda jugo.

Quidam hos versus de *Diana Aventina* accipiunt, quos reprehendit *Lilius Gyraldus*, Lunæ taurus mactabatur, quod cornua haberet similia cornibus tauri.

Pridie Kalendas Aprileis, *Mater Deûm*, magna pompa à Gallis ad *Almonem* fluvium producebatur, qui non procul ab Vrbe Tiberi miscetur, ibique ad confluentem duorum amnium abluebatur veteri instituto. Nam quo primum die ex Asia illuc est advecta, à Sacerdote lota est, isque mos postea per singulos annos est servatus, & dies ille dictus, *Lavatio Matris Deûm*. Arnobius: *Lavatio* Matris Deûm est hodie. Lucanus in 1.

Et lotam parvo revocant Almone Cybele.

Ovidius lib. 4. Faſtorum.

Eſt locus, in Tiberim quo lubricus influit Almo,
Et nomen magno perdit in amne minor.
Illic purpurea canus cum veſte Sacerdos
Almonis Dominam, ſacraque lavit aquis.

Prudentius in Romano:

Nudare plantas ante Carpentum ſcio.
Lapis nigellus evehendus eſſedo.
Quem ad lavacrum praeundo ducitis,
Almonis uſque pervenitis rivulum.
Proceres togatos matris Idaea ſacris,
Muliebris oris clauſus argento ſedet,
Pedes remotis atterentes calceis, &c.

Meminerunt hujus *lavationis* etiam Papinius, Silius Italicus, Martialis, atque alii. Hactenus de Martio, ſequitur Aprilis.

AD CAP. V. PARALIPOMENA.

De Crepuſculo, Calendis, Calendario, Ephemeridibus.

Carptim & ſine ullo certo ordine, quædam percurramus. *Crepuſculum eſt tempus illud, quum noctescere incipit.* Errant autem, qui exiſtimant, *crepuſculum etiam eſſe dubiam illam lucem, antequam dieſcat*, cum apud priſcos, & probatos authores, ſolum illud tempus ſub veſperam eſſe perpetuo reperiatur, *diluculum* vero ſub auroram. Inducti illi in errorem verſibus Ovid. Epiſt. 14. Hypermneſtræ Lynceo:

Sed tamen experiar, modo facta crepuſcula terris,
Vltima pars noctis, primaque lucis erat.

Sed corruptiſſime ita legitur, melius enim in MS. codice Achillis Statii Neapolitani, & obſervavit Hercules Ciofanius, non male de cive ſuo meritus:

Vltima pars lucis, primaque noctis erat.

Luctat. Placid. ad v. 340. l. 1. Thebaidos Papinianæ. *Crepuſculum dicitur, quod inter finem diei eſt, & exordium noctis, unde & decrepiti ſenes dicuntur, jam prope occaſum ſalutis, & initium mortis, utrumque enim tempus oſtendit, & diei initium, & extremum noctis, ſive crepuſcula, quia praecedentis ſolis radii percutiuntur à crepuſculo, id eſt, ab extrema parte noctis.*

Ipſe Statius:

Sed nec Puniceo rediturum craſtina cœlo
Promiſere jubar, nec rareſcentibus umbris
Longa repercuſſo nituere crepuſcula Phœbo.

P. Ovid. lib. 1. Amor. eleg. 4.

Qualia ſublucent fugiente crepuſcula Phœbo,
Aut ubi nox abiit, nec tamen orta dies.

Et lib. 11. Metamorph.

——— *dubiaeque crepuſcula lucis.*

In MS. codice Stephani Pighii erat:

——— *dubiaeque crepuſcula noctis.*

M. Martian. Mineus Capella l. 2. in fine, de Nupt. Mercurii & Philologiæ, aliter videtur ſentire:

Quæ tam moroſis implicata ductibus
Tenui lucernam palpitare lumine
Coëgit inſtans innitens crepuſculum.

Scio viros doctos crepuſculum cum diluculo confudiſſe, quod Græcis λυκόφως & ἄγχαυγον, Feſto exponente *primum tempus lucis*, ἀπὸ τοῦ λευκοῦ φωτὸς, ab *alba* ſeu *albeſcente luce*. Sed potior Ioſephi Scaligeri in obſervationibus ſuis & caſtigationibus in Feſtum, opinio, qui ἀπὸ τῆς λύκης, *à luce*, deſumit; ea enim vox antiquitus lucem ſignificabat. Aliis hoc diſplicet, quum tempus illud ſic dictum velint, *quod prima naſcente luce lupi exeant ad paſtum, maxime idoneo ad venatum tempore.* Scholiaſt. Apollonii Rhodii, & Ælian. l. 5. hiſtor. Animal. & in profectione ad venationem Hippolytus apud L. Senecam in Tragœdia ejuſdem Act. 1. ſc. 1.

Dum lux dubia eſt, dum ſigna pedum
Roſcida tellus impreſſa tenet.

Oppian. Cilix lib. 1. Cyneget. v. 135.

——— κέλομαι δ' ἐπ' ἄεθλον ἱκάνειν
Πρώτῃ ὑπ' ἀμφιλύκῃ.
——— *Iubeo vero in certamen deſcendere*
Primum ſub crepuſculum, id eſt, *diluculum.*

Malo tamen diſtingui illa duo diei tempora, ut antea admonui, idem L. Seneca Troade Act. 2. ſc. ult.

Dum premitur dubius nocte vicina dies.

Idas paſtor apud Calfurnium Siculum Bucolico carmine Ecloga 2. in fine:

Carmina poſcit Amor, nec fiſtula cedit Amori,
Sed fugit ecce dies revocatque crepuſcula veſper,
Hinc tu Daphni gregres, illinc agat Alpheſibaus.

Rutil. Numatian. Gallus itinerarii ſui lib. 1.

Roſcida puniceo fulſere crepuſcula cœlo,
Pandimus obliquo lintea flexa ſinu.

Adi ad Iulium Pollucem l. 1. Onomaſtic. c. 7. Iſidorum Hiſpalenſem lib. 5. Etymologiar. cap. 31. qui dubie; *Crepuſculum eſt dubia lux: nam creperum dubium dicimus, hoc eſt, inter lucem & tenebras.* Eadem Nonius Marcell. c. 1. num. 45. Pacuvius Duloreſte.

Non vetet animum ægritudine in re crepera confici.

Accius Phœniſſ.

Quæ ego cuncta eſſe fluxa in mea re crepera
Comperi.

Ambitioſe D. Paulinus Nolæ epiſcopus, licet contra Grammaticos, Natali ſexto D. Fælicis.

Iamque rubeſcebant rumpente crepuſcula mane,
Noctis, & extremæ fuga rareſcentibus aſtris,
Luce ſubobſcura, vel ſubducentibus umbris,
Cœperat ambiguos rerum reſerare colores.

De Kalendis nihil eſt, ut puto, repetendum, quum vulgata ſint omnia, tantum advertendum, receptiorem uſum neotericorum Calendas ſcribere, cum lapides antiqui, & priſci ſcriptores Victorinus Afer, Diomedes Grammaticus l. 2. c. 1. Terent. Scaurus, & ipſe Grammaticus. Servius Maurus, quorum quidam *Calendas*, alii *Valendas*, probant dici. Videatur Servius ad illud l. 8. Æneid.

——— *Tatioque ſeni, Curibuſque ſeveris.*

Apponam quædam marmoris antiqui fragmenta. Primum eſt:

A. ATINIO. A. F. PAL. PATERNO. SCRIB. ÆDIL. CVR. HON. VSVS. AB. IMP. EQVO. PVBL. HONOR. PRÆF. COH. II. BRACAR. AVGVSTAN. TRIB. MIL. LEG. X. FRETENS. A. DIVO. TRAIANO. IN. EXPEDITION. PARTHICA. DONIS. DONAT. PRÆF. ALÆ. VII. PHRYG. CVR. KAL. FRABATERNOR. NOVOR. ATINIA. A. F. FAVSTINA. PATRI. OPTIMO. FECIT.

Alterum reperi his verbis conceptum, quod adſcribam, ex hortis Carpenſibus Romæ:

M. AVRELIO. AVG. LIB. ONESIMO. CVBICVL. ET.

ET. A. LOCIS. CVBICVL. STATI. M. AVRELIVS. DIONYSIVS. PATRONO. PIENTISSIMO.
ET. BENEMERENTI. FEC. OSSVA. POSITA. SVNT. VI. IDVS. NOVEMBR. CRISPINO. ET. ÆLIANO. COS. ARA. XV. KAL. IANVAR.

Tertium ibidem loci viſitur, in hæc verba:

SILVANO. SANCTO. L. VALLIVS. SOLON. PORTICVM. EX. VOTO. FECIT. DEDICAVIT. KAL. APRILIB. PISONE. ET. BOLANO. COS.

Adi ad lib. 2. ſupra hujus operis cap. 8. ubi de Mithra ſeu Sole; tranſcripſi enim ibi veterem lapidem, qui huc facit, adde & iſtum erutum in hortis Colotianis.

FORTVNÆ. AVG. L. LICINIVS. L. F. PALATINA. SABINVS. VOT. D. D. XIV. KAL. FEBR. M. IVNIO. SILANO. ET. L. NORBANO. COSS.

Denique in domo Epiſcopi Ferratini:

SIGNVM. GENIVM. CENTVRIÆ. CVM. ÆDICVLA. ET. MARMORIBVS. EXORNATA. ET. ARAM. SVA. PECVNIA. FECIT. DEDICAVIT.
KALEND. MAI. IMP. COMMODO. III. ET. BVRRO. COSS.

Qui plures inſcriptiones ſuper hoc vocabulo cupis, conſule Aldum Manutium in Orthographia ſua, pag. 452. qui quadraginta quatuor veterum lapidum fragmenta collegit; & aliis id ante illum effectum.

Hinc calendarium librum vocabant, in quo accepti expenſique ratio continebatur. Q. Florens Tertullian. lib. de habitu Muliebri in fine. *Graciles aurium cutes calendarium expendunt.* L. Seneca lib. 1. de benef. cap. 2. *Nemo beneficia in calendario ſcribit, nec avarus exactor ad horam & diem debitorem appellat.* Et lib. 7. cap. 10. *Quid fœnus, & calendarium, & uſura, niſi humanæ cupiditatis extra naturam quæſita nomina?* Et epiſt. 88. *Quia magnus calendarii liber evolvitur.* Scævol. IC. l. 27. ff. *de inſtruct. vel inſtrum. leg. §. libert. reſpondit verbis, quæ proponerentur, contineri, niſi manifeſte contrariam voluntatem cohæredes approbant, in eo fundo inſtrumenta calendarii* (in Pandectis Florentinis, *calendaria*) *& nummos reliquit, reſponſum eſt, de nummis quoque, ut ſupra.* Coripp. African. lib. 2. de laudib. Iuſtini Minoris Auguſti, num. 10.

Theſauros fidis privatos ferre miniſtris
Imperat, innumeræ mox advenere catervæ,
Fortia centenis oneratæ brachia libris.

Ratio nominis impoſiti hæc erat, quod *Calendis ſingulis collybiſtæ pecunias fœnori exponendas in foro haberent.* Helen. Acron, & alii Interpretes Horatii lib. Epod. od. 2. in fine:

Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quærens Calendis ponere.

Sed fuſius de fœnerandi ritu diſſeram, & ſpeciebus uſuræ, legibuſque, quibus ſeu ſublatum, ſeu permiſſum fœnus, infra hoc opere l. 8. c. 20. Interim calendaria Ephemerides dici lego apud M. Tullium orat. pro Quintio. Sextum Propertium l. 3. eleg. 22.

Me miſerum, hic aliquis rationem ſcribit avari,
Et ponit duras inter Ephemeridas.

P. Ovid. lib. 1. Amor. eleg. 12.

Inter Ephemeridas melius, tabulaſque jacerent,
In quibus amiſſas fleret avarus opes.

Interim hoc monimenti antiqui fragmentum adſcribam, quod Beneventi extat.

C. OCTAVIO. C. F. PAL. MODESTO. AVGVR. II. VIR. I. D. QVÆST. II. PRÆFF. FABR. ROMÆ. PRÆF. COH. II. PANNONIOR. PRÆF. COH. III. ITYREOS. TRIB. MIL. LEG. IV. SCYTHIC. CVRAT. REIP. ÆCANOR. ITEM. HONORATO. AD. CVRAM. CALENDARI. REIP. CANVSINOR. A. DIVO. TRAIANO. PARTHICO. ET. AB. IMP. HADRIANO. AVG. HIC. OPVS. QVADRIGÆ. CVM. EFFIGIE. IMPERATORIS. HADRIANI. DEDICAVIT.

Nec tantum in privatis ædibus civium, liber ille, calendarium vocabatur; ſed in exercitu, & publicis collegiis, quod ad hunc diem obſervatum eſt, quod ſciam; quum tamen & Iduaria & calendaria publica reperiam nominari in veteri lapide, cujus verba exſribo ex Wolffgango Lazio l. 2. commentarior. Reip. cap. ult.

L. VAL. L. FIL. GAL. FAVENTINO. IIVIRALDI. QVI. ANNONA. FRVMENTARIA. EMPTA. PLEBEM. ADIVIT. ET. OB. ALIA. MERITA. EIVS. COLLEGIA. CALENDARIORVM. ET. IDVARIA. DVO. CIVI. GRATISSIMO. POSVERVNT.

De ſolemnitate Calendarum Ianuarii menſis, repete quæ à me ſunt dicta ſupra hoc opere lib. 1. Reg. 4. & lib. 2. cap. 3. & res perſpicua ſatis per ſe ulteriori non eget diſquiſitione.

AD CAP. VI. PARALIPOMENA.

Terminalia fornacalia.

De diebus atris, faſtis, nefaſtiſque locus erit dicendi infra cap. 9. Nam in omnibus pene menſibus illi intercurrunt.

Fornacalia, eorumque ritus explicatur à Plutarcho, Problem. Rom. cap. 89. Lactant. Firmiano lib. 1. Divinar. Inſtitut. c. 20. P. Ovid. lib. 2. Faſt. & lib. 6. Faſtor.

Sola prius furnis torrebant farra coloni,
Et Fornacali ſunt ſtata ſacra deæ.

Nomen à *Fornace* dea deſumptum, ſive, ut aliis placet, ab *igne*, qui Græcis φῶς appellatur. Iſidor. lib. 19. Etymologiar. cap. 6. Et diu Romani ſola pulte victitabant, incognito panis uſu, ut oſtendi lib. 1. ſupra hoc opere, cap. 14. ubi molarum manualium vetuſtatem, pinſendique panis rationem probavi.

Terminalia à Termino deo (de quo D. Auguſtin. lib. 7. de Civit. Dei, c. 7. Angelus Politian. Miſcellaneor. c. 36. docui l. 20. ſupra) hoc menſe Februario, magna Ruſticorum ſolemnitate celebrabantur: ſed variato pro ſeculorum ratione cultu, quippe Numa nihil animatum ei immolari volebat deo, ut eſt apud Plutarchum in vita ejus & cap. 14. Problemat. Rom. poſtea tamen mutata ea fuit ſacrificandi ratio, & Termino animata, ut cæteris diis, cæſa hoſtia: M. Cicero Philip. 12. & alii quæ vel porca. P. Ovid. l. 2. Faſtor.

Nec queritur lactens cum tibi porca datur.

Aut agnus idem eodem loci:

Spargitur & cæſo communis Terminus agno.

Q. Horat. lib. Epod. od. 2. & Interpretes ibidem:

Vel agna feſtis cæſa Terminalibus.

Corrigendus interea Servii Honorati codex depravatus ad v. 446. l. 9. Æneid. *Cum omnes dii libenter inde migraſſent, Terminus ſolus, hoc eſt, limitum deus, deſcendere noluit, ſed illic remanſit, tum de hoc ipſo ſacrificatum eſt, & deprehenſum, quod terminus cum Iove remanens, æternum urbi imperium cum religione ſignificaret, unde in Capitolio prona pars tecti patet, quæ lapidem ipſum Termini* (malim *Terminum*; nam è lapide Terminus, Hieron. Magius Miſcellaneor. l. 4. c. 7.) *ſpectat, nam Termino non niſi ſub clivo ſacrificabatur*, apertum & pudendum vitium, legendum eſt omnino, *non niſi ſub divo ſacrificabatur.* Notiſſima quippe res eſt, ingens & patulum fuiſſe foramen (*ſub dio*, vel *divo* vocat) in templis omnibus Termini.

Denique locus eſt T. Livii 5. Decad. l. 3. de Terminalibus non adeo obvius: *Hoc anno intercalatum eſt, tertio die poſt Terminalia, Kalendæ intercalares fuere.* Sed diligenter, & multiſcia lectione diſcutit Marcellus Donatus Ponzenus in Scholiis ſuis, quæ conſule, ex quibus totam intercalandi methodum, formamque percipere non erit difficile.

Neque attinet legem Numæ Pompilii vulgatiſſimam huc transferre; *qui Terminum exaraſſit, ipſe & bos ſacer eſto.* Andreas

dreas Alciatus IC. Emblem. 157. formam Termini seu imaginem expressit eleganter:

Quadratum infoditur firmissima tessera signum,
Stat cirrata super pectore imago tenus.

Et sese nulli profitetur cedere, talis
Terminus est.

Erat etiam hic de Lupercalibus sermo instituendus, sed præoccupavi lib. 3. supra cap. 2.

CAP. VIII.

De mense Aprili, & diebus in eo festis.

Ex ordinatione Romuli Regis, *Aprilis* secundus anni mensis fuit, uti supra ex *Macrobio* audivimus, quod & alii scriptores cum eo multi testantur. Vnde nomen habeat, de eo inter vetustissimos etiam auctores non convenit. Alii enim dictum eum volunt, quasi *Aphrilem*, à spuma quam Græci vocant ἀφρὸν, unde orta *Venus* creditur. Et hanc Romuli asserunt fuisse rationem, ut primum quidem mensem à patre suo *Marte*, secundum ab Æneæ matre *Venere* nominaret: ut hi potissimum principia servarent, à quibus esset Romani nominis origo, unde in sacris quoque *Martem* Patrem, *Venerem* genitricem vocabant. Alii putant Romulum vel altiore prudentia, vel certi numinis providentia, ita primos ordinasse menses, ut cum præcedens *Marti* esset dicatus, Deo plerumque hominum necatori, secundus *Veneri* dicaretur, quæ vim ejus, quasi benefica, leniret. Sed *Cincius* in eo libro, quem de fastis reliquit, ait, imperite quosdam opinari, *Aprilem* mensem antiquos à Venere dixisse: cum nullus dies festus, nullumque sacrificium insigne, *Veneri* per hunc mensem à majoribus institutum sit: sed nec in carminibus quidem *Saliorum* Veneris ulla, ut cæterorum cœlestium laus celebretur. *Cincio* etiam *Varro* consentit, affirmans, nomen Veneris, ne sub Regibus quidem apud Romanos, vel Latinum, vel Græcum fuisse, & ideo non potuisse mensem à *Venere* nominari: sed cum fere ante æquinoctium vernum, triste sit cœlum, & nubibus obductum, sed & mare navigantibus clausum, terræ etiam ipsæ aut aqua, aut pruina, aut nivibus contegantur, eaque omni verno, id est, hoc mense, aperiantur: arbores quoque, nec minus cætera, quæ continet terra, aperire se in germen incipiant: ab his omnibus mensem *Aprilem* dici merito credendum, quasi *Aperilem*, sicut apud Athenienses ἀνθεστηριῶν idem mensis vocatur, ab eo, quod hoc tempore cuncta floreſcant. Non tamen negat *Verrius Flaccus* hoc die postea constitutum, ut matronæ Veneri sacrum facerent. Hæc fere *Macrobius*. *Varro* lib. 4. de lingua Latina: Secundus mensis *Aprilis* (ut *Fulvius Flaccus* scribit, & *Iunius Gracchus*) à *Venere* dictus, quod ea sit Ἀφροδίτη, cujus nomen ego, antiquis literis, quod nusquam inveni, magis puto dictum, quod ver omnia aperit, *Aprilem*. De utraque vocis hujus etymologia etiam *Plutarch.* in Numa, & *Ovid.* multa, ut de aliis taceam, meminere: posterior tamen sententia pluribus probatur, *Ioannes Goropius Becanus* in Croniis opinatur, *Aprilem* hunc mensem dictum fuisse à *Cymbico Operil.* & per Syncopen *Opril.* quod inter eos menses, qui tellurem recludunt, sit excellentissimus. Cæterum hic mensis, qui in Veneris tutela fuit, ex ordinatione Romuli & Iulii Cæsaris dies habuit XXX. ex ordinatione autem Numæ XXIX. ex quibus quinam festi fuerint, ordine videbimus.

De diebus mensis Aprilis Festis.

C. K. APR. N. Kalendæ Aprilis, Nefastus.

Præter alia generalia, singulis Kalendis observata, de quibus supra diximus, *Kalendis Aprilis* Veneri sacrum fiebat, cum floribus & myrto, & mulieres sertis myrteis redimitæ lavabantur, quod etiam *Plutarchus* docet, cum in *Numa* scribit, hoc mense Veneri sacra fieri, & mulieres myrto coronatas, Kalendis Aprilis lavare: & *Ovid.* ita canit, IV. Fast. v. 133.

Rite Deam colitis Latiæ matresque, nurusque,
Et vos queis vittæ longaque vestis abest.
Aurea marmoreo redimicula demite collo,
Nunc alii flores, nunc nova danda rosa est, &c.

Hoc die thure sacrificium fiebat *Fortunæ virili* à virginibus: cujus causam recitat *Ovidius* hanc, quod virgines viro maturæ in ejus templum ducerentur, & ibi depositis vestibus, omnia corporis vitia detegerent, sperantes fore, ut ea Fortunæ beneficio viros laterent. Versus Ovid. sunt, IV. Fast. v. 145.

Discite nunc, quare fortunæ thura virili
Detis eo, gelida qui locus humet aqua.
Accipit ille locus posito velamine cunctas,
Et vitium nudi corporis omne videt.
Vt tegat hoc, celetque viros, Fortuna virilis
Præstat, & hoc parvo thure rogata facit.

Placa-

Placabatur & *Venus Verticordia*, ut animos ab illicito amore averteret. Sic enim Ovid. scribit, v. 151.

Nec pigeat tritum niveo cum lacte papaver
Sumere, & expressis mella liquata favis.
Cum primum cupido Venus est deducta marito,
Hoc bibit, ex illo tempore nupta fuit, &c.

De *Venere Verticordia* supra plura attulimus. Pridie Nonas Aprilis, qui est IV. Aprilis, dies erant ludi *Matris magnæ Deum*, qui dicebantur *Megalesia*, sive *ludi Megalenses*, de quibus Ovidius canit, IV. Fast. v. 179.

Ter sine perpetuo cœlum versetur in axe,
Ter jungat Titan, terque resolvat equos.
Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit, & Idæa festa parentis erunt.
Ibunt semimares & inania tympana tundent,
Æraque tinnitus ære repulsa dabunt, &c.

Plura de ludis *Megalensibus* hoc loco non dicemus, sed reservabimus ad proxime sequentem librum, cujus priorem partem Ludis proprie consecravimus. De *Matre Deum*, sive *Dea Cybele* diximus lib. 2.

VIII. Idus, qui est VI. dies Aprilis, dies *Consecrationis* templi Fortunæ publicæ in Colle Quirinali, de quo Ovidius, IV. Fast. v. 373.

Postera cum cœlo motis Pallantias astris
Fulserit, & niveos luna levarit equos,
Qui dicit, quondam, sacrata est colle Quirini,
Hac fortuna die publica verus erit.

De Fortuna publica diximus alibi.

VI. Id. Aprilis, qui est dies mensis ejus XIX. *Ludi* erant ob victoriam *Cæsaris*, quorum item Ovidius sic meminit, v. 377.

Tertia lux (memini) ludis erit hac mihi quidam
Spectanti senior, continuusque loco.
Hac ait, illa dies, Lybicis qua Cæsar in oris
Perfida magnanimi contudit arma Iubæ.

V. Id. Aprilis referuntur ab *Ovidio*, & *Lilio Gyraldo* Ludi Cereris. In Kalendario tantum Ludorum fit mentio, & die proximo sequenti Ludorum in Circo. Pridie autem Idus, *Ludorum Cereris*. Et ipsis Idibus rursum Ludorum. Sic enim habet:

C. N. LVDI. E. N.
D. N. LVDI. INF. N. CERERI LVDI.
CIRCO. G. EID. NP. LVDI.

De his Ludis omnibus dicemus libro sequenti.

Idibus Aprilis *Iovi Victori*, & *Libertati* sacra fieri consuevisse, quod eo die templis honorati essent, *Ovidius* docet his verbis, IV. Fast. v. 621.

Occupat Aprileis Idus cognomine Victor
Iupiter, hac illi sunt data templa die.
Hac quoque, ni fallor, populo dignissima nostro
Atria libertas cœpit habere sua.

XVII. Kalend. Maji, qui est dies Aprilis XV. *Fordicidia* erant, teste Ovidio, & Kalendario, quod sic habet: A FORD. NP. LVDI. Hoc est *Fordicidia*, Nefastus primo, Ludi.

FORDICIDIA, inquit *Varro*, à fordeis bobus nomen habet. *Bos forda*, quæ fert in ventre: quod ea die publice immolentur boves prægnantes in curiis complureis. A *fordeis* cedendeis *Fordicidia* dicta. *Festus Pompejus* fordicidiis boves fordæ, id est, gravidæ immolabantur, dictæ à fœtu. Idem paulo post, eundem diem *Hordicidia* etiam dici ait, quod *Horda* sit prægnans. *Ovidius* triginta gravidas boves hoc die immolari scribit, pro numero Curiarum, in singulis scilicet singulas: aliquas etiam in templo Iovis Capitolini. Versus Ovidii sunt: Ibid. 629.

Tertia post Veneris cum lux surrexerit Idus,
Pontifices forda sacra litate bove.
Forda ferens Bos est, fœcundaque dicta ferendo,
Hinc etiam fœtus nomen habere putant, &c.

Eodem die virgo *Vestalis* maxima cremabat vitulos, quorum cinis servabatur in templo Vestæ, ut inde suffimen fieret, quo populus *Palilibus* purgaretur. Cujus moris meminit *Ovidius*, cum ita pergit:

Ast ubi visceribus vitulos rapuere ministri,
Sectaque fumosis extra dedere focis:
Igne cremat vitulos quæ natu maxima virgo est,
Luce Palis populos purget ut ille cinis.

Exte-

Cæterum *Fordicidiorum* ſacrum Numam Regem monitu Fauni inſtituiſſe, *Ovidius* multis verſibus docet, quorum hic eſt ſenſus: Cum *Numa* imperante modo ſiccitas, modo nimiæ pluviæ ſterilitatem facerent, conſultum à Numa *Faunum*, quanam ratione iſta ſterilitas averti, & Dii placari poſſent: qui reſponderit, placandam Deam tellurem eſſe duabus hoſtiis, quas tamen una juvenca daret, quod ænigma *Nympha Ægeria* de bove gravida ſit interpretata. Sic enim *Ovidius* Faunum reſpondentem inducit, IV. Faſt. verſ. 665.

Morte boum tibi Rex Tellus placanda duarum,
Detque ſacris animas una juvenca duas.
Excutitur terrore quies, Numa viſa reſolvit,
Et ſecum ambages, cæſaque juſſa refert, &c.

Sequenti die, qui eſt XVI. Aprilis Latine XVI. Kalend. Maji dicitur, *Octavius Auguſtus* Imperator ſalutatus eſt, teſtante id ipſum his verſibus Ovidio:

Hanc quondam Cytherea diem properantius ire
Iuſſit, & æthereos præcipitavit equos.
Vt titulum Imperii, quamprimum luce ſequenti
Auguſto juveni proſpera ſigna darent.

XIX. die Aprilis *Equiria* erant in Circo maximo, de quibus ante diximus & *Vulpes* cum ſtipulis ardentibus in Circo mittebantur, qui mos originem ſuam habuit ab adoleſcente quodam filio cujuſdam ruſtici *Carſeolani*: qui cum maturis frugibus vulpem laqueis implicitam comp ehendiſſet, eam ſtipula involvit, & accenſo igni dimiſit. Fugiens illa, maturas fruges aduſſit: quare id ſingulis annis repetitum eſt, ut vulpes *Cereri* ob aduſtas fruges pœnas darent. De utroque & *Equiriorum* & *vulpium* adurendarum more Ovidius: verſ. 679.

Tertia poſt Hyadas cum lux erit orta remotas,
Carcere partitos Circus habebit equos.
Cur igitur miſſa junctis ardentia tædis,
Terga ferant vulpes, cauſa docenda mihi eſt.

Et poſt pauca: cauſam recenſens, quam audierit ab hoſpite quodam *Carſeolano* ipſum ſic loquentem inducit: IV. Faſt. verſ. 691.

Hoc ait in campo (campumque oſtendit) habebat
Rus breve cum duro parca colona viro.
Ille ſuam peragebat humum, ſive uſus aratri,
Seu curva falcis, ſive bidentis erat, &c.

XIII. Kalend. Maji, qui eſt dies Aprilis XIX. CEREALIA erant.

CEREALIA à Cerere dicta ſunt, in cujus honorem fiebant. Dicebantur hæc etiam Græca ſacra, quod, ut *Feſtus* inquit, ex Græcia tranſlata eſſent, quæ ob inventionem Proſerpinæ matronæ colebant. Quæ ſacra dum non eſſent matronæ, quæ facerent, propter cladem *Cannenſem*, & frequentiam lugentium, inſtitutum eſt, ne amplius centum diebus lugeretur. Hæc *Feſtus*. Ex quibus conſtat, à matronis hæc ſacra perfecta fuiſſe, & quidem ritu Græco, neque à lugentibus. Quare & *Livius* ſcribit libro 22. poſt Cannenſem cladem luctum adeo totam urbem oppleviſſe, ut ſacrum anniverſarium *Cereris* intermiſſum ſit: quia nec lugentibus id facere fas eſſet, nec ulla in illa tempeſtate matrona expers luctus eſſet. Itaque, ne ob eandem cauſam alia quoque ſacra publica aut privata deſererentur, Senatuſconſulto dieb. XXX. luctum eſſe finitum. Et *Feſtus* auctor eſt, minui luctum, cum in *Caſto Cereris* quis ſit, id eſt, cum quis operetur Cereri. Sic enim hoc verbum intelligendum eſſe docet *Joſephus Scaliger* in Conjectaneis ad Varronem, & caſtigationibus in *Feſtum*, quod alioqui multum negotii fecit doctis viris, in primis *Iacobo Ravardo* lib. 1. Variorum, cap. 20. & *Theodoro Cantero* lib. 2. Variarum lectionum, cap. 21. Illud quoque non eſt omittendum, huic Cereris ſacrificio duas porcas, unam auream, argenteam alteram fuiſſe adhibitam: quod ex Capitone Atejo *Sex. Pompejus Feſtus* his verbis docet. Porcam auream, & argenteam dici ait *Capito Atejus*, quæ etſi numero hoſtiarum non ſint, nomen tamen earum habere, alteram ex auro, alteram ex argento factam adhiberi ſacrificio Cereali. De ludis, qui Cereri fiebant, dicemus ſuo loco.

XI. Kalend. Maji, qui eſt dies Aprilis XXI. *Parilia*, ſive *Palilia* erant, quorum Kalendarium ſic meminit: G. PAR. NP. hoc eſt: *Parilia*, quæ eadem *Palilia* dicebantur, Nefaſtus primo. *Ovidius* XII. Kalend. Maji *Palilia* celebrata ſcribit. Verum nos Kalendarium ſequimur.

PALILIA, inquit *Varro*, dicta à *Pale*, quod & feriæ ei Deæ fiunt. *Feſtus* vero: *Pales* dicebatur Dea paſtorum, cujus feſta *Palilia* dicebantur; vel ut alii volunt, dicta *Parilia*, quoniam pro partu pecoris eidem ſacra fiebant. Cui ſententiæ etiam accedit *Dionyſius*, ſcribens, quod incunte vere pro partu quadrupedum agricolæ grati, paſtoreſque ſacra faciant, quodque ſuo etiam tempore eam diem, ſi ullum alium Romana civitas ſingulis annis feſtum celebrarit: Vtrum vero jam ante feſtus fuerit, an vero à Romulo primum propter Vrbis initia conſecratus ſit, ipſe dubitare ſe ait. Cæterum quibus ceremoniis celebritas hujus diei peracta fuerit, multis verſibus *Ovidius* in Faſtis docet. Primum ſuffimen erat conficiendum, ex vitulli favilla,

favilla, ſanguine equi & fabæ culmine: deinde primo diluculo paſtor luſtrabat oves, & *ovilia*, hac ratione: Inſpergebat oves aqua & ſulphure, herbaque *Sabina*, & lauro igne ſuccenſis, circumcirca ovilia ſuffibat, quo ſuffimento pecora piari, morbos depelli, & tabem putabant. Deinde ſacrificabatur *Pali Deæ* libo ex milio, lacte, & ſapa confecto, tum preces ad eam fiebant, ſicuti ab Ovidio eſt annotatum, quid & quomodo ab hac Dea veteres petere ſint ſoliti. Verſus Ovidii, quibus & ceremonias *Paliliorum*, & preces ad Palem Deam exponit, hi ſunt: IV. Faſt. verſ. 731.

I, pete virginea populus ſuffimen ab ara,
Veſta dabit, Veſtæ munere purus eris.
Sanguis equi ſuffimen erit, vitulique favilla,
Tertia res duræ culmen inane fabæ.
Paſtor oves ſaturas ad prima crepuſcula luſtret,
Vnda prius ſpargat, virgaque verrat humum, &c.

Peractis ſacris *paſtores* aqua ſpargebantur, cœnæ apparabantur, & veſperi ſub noctem *ignes* à ruſticis excitabantur ex ſtipulis, quos ter tranſiliebant. Sic enim Ovidius:

Dum licet appoſita veluti cratere camella
Lac niveum potes, purpureamque ſapam.
Moxque per ardentes ſtipulæ crepitantis acervos
Trajicias celeri ſtrenua membra pede.

Et paulo ante:

Certe ego tranſilii poſitas ter in ordine flammas.

Cujus moris cauſas *Ovidius* inquirens ſeptem recitat: vel quia edax ignis omnia purget, ideoque etiam oves; vel quia duo hæc *ignis* & *humor*, ſint cauſa generationis, & ab his duobus omnia oriantur: vel quia per ea vivamus, unde etiam exulibus *aqua* & *igne* interdicebatur, in nuptiis autem eadem adhibebantur: vel quia referre voluerint his ceremoniis *Phactontis* incendium, & *Deucalionis* cataclyſmos: vel quia paſtoribus ſaxa ſaxis percutientibus, ut ignem elicerent, & prima flamma perierit, altera ſtipulis excepta fuerit: vel quia flamma dederit *Æneæ* innocuum iter: vel quam rationem ipſemet veriſimiliorem eſſe dicit, quia condita Roma, cum paſtores juberentur à Romulo mutare domus, & ſuos lares in nova tecta transferre, illi veteribus ſuis caſis ignem ſuppoſuerint, perque illas flammas & pecus & coloni ſalierint. Verſus *Ovidii* hi ſunt, IV. Faſt. verſ. 783.

Expoſitus mos eſt, moris mihi reſtat origo,
Turba facit dubium, cœptaque noſtra tenet.
Omnia purgat edax ignis, vitiumque metallis
Excoquit, idcirco cum duce purgat oves, &c.

Erat enim hic dies *natalis Vrbis*, cujus meminerunt omnes ii, qui de Vrbis primordiis aliquid in literas retulerunt, in primis *Plutarchus*, *Plinius* & *Solinus*: unde obſervatum, ne hoc die hoſtia mactaretur: quod videlicet eum diem, qui patriæ natalis erat, & quo ipſi ſanguinem, id eſt, vitam, cujus cauſa efficiens eſt ſanguis, cepiſſent, à cæde & ſanguine puram eſſe deceret. Neque illud hoc loco ſilentio prætereundum eſt, quod *Dio* lib. 43. ſcribit, *C. Iulio Cæſari* ex bello Hiſpaniensi Romam revertenti decretum inter alios honores à Senatu etiam hunc eſſe, ut *Parilibus* (quo feſto die equorum certamen celebratum fuiſſe dicit) Diis immortalibus ſacra fierent: non eam ob cauſam, quod is dies natalis Vrbis eſſet: ſed quod nuncius de victoria Cæſaris pridie ejus diei ſub veſperam allatus fuiſſet. De *Palilibus*, & *natali Vrbis*, vide etiam *Tibullum* lib. 2. elegia 4. & *Propertium* elegia 1. libri 4.

Præter hæc vero *Palilia*, quæ univerſi celebrabant, alia etiam erant, quæ à puerperis obſervabantur, de quibus hæc ex *Feſti* fragmentis & ruderibus *Joſephus Scaliger*: Parilia ſibi obſervanda judicant privatim ipſæ quoque puerperæ domi in ſtratis, uti pariendo ab iis quaſi ſtabiliantur *Parilia feſta*: quæ poſtea explicans, dicit, fœtas in lectis, quos in atrio ſternebant, & adverſos vocabant, dicis cauſa cubuiſſe. Ex quibus ſuſpicari quis non incommode poſſet, *Palilia* à Pale dicta, quæ rure facta ſint à Paſtoribus: *Parilia* autem à pariendo, quæ à gravidis fuerint celebrata, pro feliciori partu.

IX. Kalend. Maji *Vinalia priora* erant, de quibus in hunc modum Kalendarium: AV IN. hoc eſt, *Vinalia*. *Vinalia*, inquit *Varro*, à vino. Hic dies Iovis, non Veneris, &c. *Feſtus*: *Vinalia* diem feſtum habebant, quo die vinum novum Iovi libabant. De his varia & diverſa ſcribunt auctores: Plerique enim tradunt, hæc *vinalia*, quæ priora dicuntur *Iovi*, altera *Veneri* eſſe celebrata: *Joſephus* tamen *Scaliger* Caſtigationibus in Feſtum ſcribit, *Vinalia* menſe Aprili eſſe Veneris, eique hortos dedicatos: appellarique ea à Plutarcho *Veneralia*. *Vinalia* autem menſe Sextili eſſe Iovis: & addit, utrumque contra apud ſcriptores reperiri. *Ovidius* certe auctor eſt, *Vinalia* feſtum Veneris dici, & tamen etiam Iovis feſtum eſſe. *Plinius* libro 18. c. 29. *Vinalia* priora, quæ ante hos dies ſunt IX. Kalend. Maji deguſtandis vinis inſtituta, nihil ad fructus attinent. Verum ego hanc controverſiam non dirimam. Hoc die meretrices ſacrificabant *Veneri Erycinæ*, quod docet *Ovidius* his verſibus, IV. Faſt. verſ. 865.

Numina vulgares Veneris celebrate puellæ,
Multa profeſſarum quæſtibus apta Venus.

Poscite thure dato formam, populique favorem,
Poscite blanditias, dignaque verba joco, &c.

Hoc die multum vini effundebatur è templo Veneris: quem morem ejusque causas *Plutarchus* ita explicat in Quæstionibus Romanis, quæstione 45. Cur *Veneralibus* multum vini effunditur è templo Veneris? An verum est, quod plurimi narrant, *Mezentium* Etruscorum Imperatorem Æneæ per internuncios pacem ea conditione obtulisse, ut sibi is annuum vinum daret: & abnuente Ænea, suis id vinum promisisse, si prælio victor discessisset: *Æneam* cognita ejus pollicitatione; Diis vinum id consecrasse, partaque victoria, vinum è congestis uvis factum, ante fanum Veneris effudisse. An hoc signo monebant, festos dies sobrie, non per ebrietatem debere agitari? quod Dii magis delectentur nimium merum effundentibus, quam bibentibus. Hactenus *Plutarchus*. De libatione vini Iovi facta, propter quam *Venalia* instituta sint, dicam in Augusto.

Die Aprilis XXV. qui Latine VII. Kalend. Maji appellatur, *Robigaliæ* erant. Sic enim Kalendarium: C. ROB. NP. hoc est, *Robigalia*, Nefastus primo.

Robigalia, inquit *Varro* lib. 5. de lingua Latina, dicta à *Robigo*. Secundum segetes huic Deo sacrificatur, ne rubigo occupet segetes. Idem lib. 1. de re Rust. cap. 1. *Robigalia* ait, ferias esse *Robigo* institutas, & celebrari, ne rubigo frumenta atque arbores corrumpat. Festus: *Robigalia* dies festus septimo Kalendas Majas, quo *Robigo* Deo suo, quem putabant rubiginem avertere, sacrificabant. Hæc *Plinius* lib. 18. cap. 29. à Numa Pompilio instituta esse scribit, cujus verba sunt: *Robigalia* Numa constituit anno regni sui XI. quæ nunc aguntur a. d. VII. Kalend. Maji, quoniam tunc fere segetes rubigo occupat. Hoc tempus *Varro* determinat Sole tauri partem decimam obtinente, sicut tunc ferebat ratio. Sed vera causa est, quod post dies undeviginti ab æquinoctio verno, per id quatriduum, varia gentium observatione a d. IV. Kalend. Maji canis occidit, sidus & per se vehemens, & cui præoccidere caniculam necesse sit, &c. Sacrum autem hoc ove & cane peragebatur, quorum exta cum thure & vino Deo offerebantur, de quo Ovidius ita scribit, IV. Fast. vers. 901.

Sex ubi, quæ restant, luces Aprilis habebit,
In medio cursu tempora veris erunt.
Et frustrà pecudem quæres Athamantidos Helles,
Signaque dant imbres exoriturque Canis.
Hac mihi Nomento Romam cum luce redirem,
Obstitit in media candida turba via, &c.

V. Kalend. Maji. qui est dies Aprilis XXIIX. *Floralia* erant: de quibus Kalendarium: F. NP. LVD. Flor. hoc est, Nefastus primo, *Ludi Floralia*.

FLORALIA, inquit *Plinius* libro 18. cap. 29. IV. Kalend. Maji instituerunt Romani, anno Vrbis IOXVI. ex oraculo Sibyllæ, ut omnia bene deflorescerent. Hunc diem *Varro* determinat, Sole tauri partem quartamdecimam obtinente. Ergo si in hoc quatriduum inciderit, plenilunium, fruges, & omnia quæ florebunt, lædi necesse erit. Ovid.

Cum Priami conjunx Tithonia, fratre relicto,
Sustulit immenso ter jubar orbe suum:
Mille venit variis florum Dea nexa coronis,
Scena joci morem liberioris habet.
Exit & in Majas festum Florale Kalendas, &c.

De *Floralibus* plura dicemus libro proxime sequenti.

Pridie Kalendas Maji sacrum fiebat *Vestæ Palatinæ*: de quo Ovid. quamvis obscure:

Aufert Vesta diem, cognati Vesta recepta est
Limine, sic justi constituere Patres, &c.

AD CAP. VII. PARALIPOMENA.

Parricidium Idus Martiæ dictæ: & Salii.

Historiam omnes sciunt, cur Idus Martiæ parricidii nomine vocarentur, quod nempe C. Iulius Dictator, postea parens patriæ SCto appellatus interfectus fuerit. Reliquos præterire licet ejus rei scriptores; unicus sufficiet C. Suetonius, qui in Iulio cap. 88. *Curiam in qua occisus est, obstrui placuit, idusque Martias parricidium nominari, ac ne unquam eo die Senatus ageretur.* Et in eodem cap. 80. *Cunctati an in sacra via, an in aditu theatri adorirentur, postquam Senatus idibus Martiis in Pompeii curiam edictus est, facile tempus & locum præstiterunt.* Et cap. 81. *Immolantem aruspex Spurinna monuit, ut caveret periculum, quod non ultra Idus Martias proferretur. Pridie autem easdem idus avem regaliolum cum laureo ramulo Pompejanæ curiæ se inferentem, volucres varii generis ex proximo nemore persecutæ, ibidem discerpserunt.* Atque in illius rei memoriam, Augustus nominis, familiaque hæres, captivos bello Perusino eodem die trucidari voluit. Idem Sueton. in Augusto cap. 15. *Scribunt quidam, trecentos ex dedititiis electos utriusque ordinis, ad aram Divo Iulio extructam, idibus Martiis, hostiarum more mactatos.* Meminerunt & alii: Valer. Maxim. in lib. 8. cap. 11. tit. 2. *Prædixerat C. Cæsari ut proximos triginta dies quasi fatales caveret, quorum ultimus erat idus Martiæ, & cum forte uterque mane in domum Calvini Domitii ad Officium convenisset, Cæsar Spurinnæ, ecquid scis idus Martias jam venisse? & is, ecquid scis illas nondum præterisse?*

Quod illi, & Dio Coccejanus lib. 44. & Ioannes Xiphilinus, & Iulius Obsequens in libello de Prodigiis, & alii, scientiæ Spurinnæ auguris adscribunt. Ipsi Cæsari solus, quod sciam, C. Plinius assignat lib. 18. cap. 26. *Cæsar & Idus Martias feralem sibi annotavit, Scorpionis occasu.* Vt memoria lapsus sit Stephanus Claverius ad finem lib. 3. Claudiani de laudib. Stilichonis, qui *non Idus, sed Calendas Martias parricidium* hoc facit. Vide P. Ovidium l. 3. Fastor.

Præteriturus eram gladios in principe fixos,
Cum sic è sanctis Vesta loquuta focis.

Quid autem sit parricidium, quibus legibus vetitum? qua pœna in illud animadverteretur? dicam abunde infra hoc opere lib. 8. cap. 25.

De *Vestæ sacris*, quæ incidunt in pridie Nonas Martias, dixi supra hoc opere l. 2. cap. 12.

De *Saliis* quis notissima velit dicere? adi ad Helenium Acronem interpretem vetustum Q. Horatii ad l. 1. Carm. od. 36. 37. Erasm. Roterodam. in Adagiis. D. Auson. Epist. 13. ad Paulum.

Nam mihi non saliare epulum, non cœna dapalis.

Corrigendus Q. Symmachus l. 1. Epist. 23. *Brevis in manus meas pagina recens à te profecta pervenit, erat quidem illa Atticis salibus respersa, & thymo odorata* (alii legunt, *odora*) *sed parcior, quæ magis fastigium detegeret, quam famem frangeret, quasi ego cœnas dapales, & saliare convivium, tum visceriationes atque epulum postulavissem, tu mihi mensas secundas, & scitamenta exiguæ lancis apponeres*: legendum omnino est, *quid? si ego cœnas dapales, & saliare convivium postulavissem, tu mihi mensas secundas, & scitamenta exiguæ lancis apponeres?* Cultissime Statius in Epicedio patris l. 5. sil. 2. v. 162.

Sub te Dardanius facis explorator opertæ,
Qui Diomedei celat penetralia furti,
Crevit, & inde sacrum didicit puer, arma probare
Monstrasti Salii, præsagumque æthera certis
Auguriis: cui Chalcidicum fas volvere carmen,
Lanea cui Phrygii est coma Flaminis, & tua multum
Verbera succincti formidavere Luperci.

M. Annæus Lucan. lib. 1. Pharsaliæ v. 603. & ejusdem operis lib. 9. v. 460. de Saliorum clypeis.

Arma timent gentes, hominumque erepta lacertis
A superis dimissa putant, sic illa profecto
Sacrifico cecidere Numæ, quem lecta juventus
Patricia cervice movet, spolia verit Auster,
Aut Boreas, populos ancylia nostra ferentes.

Patricios eos fuisse liquet ex narratione Lucani ista, & historicis omnibus, & *gestamina Patriciorum* tulisse, nisi quod *trabea* eos Dionysius Halicarnasseus voluit vestiri, Livius *toga picta*, quod observatum à Marcell. Donato pag. 142. Et trabeatos describit Aldus Manutius in quæst. per Epist. Epist. 3. quid discriminis autem inter togam pictam sit, & trabeam, expediam infra hoc opere, in Tractatu de Triumphis, & de Magistratibus l. 10. c. 29. & lib. 7. c. 9.

AD CAP. VIII. PARALIPOMENA.

Fortuna virilis, & Dearum nomina in Masculino concepta.

De Fortunæ nominibus variis, ac potestate, lege quæ à me sunt dicta supra lib. 2. c. 16. addendum antiquum hoc fragmentum marmoris Prænestini, unde clarum fiat ei deæ non minus quam aliis, donaria voveri solita, eamque communi veluti ara, cum Apolline, & Iove collocatam. Verba sunt:

TV. QVÆ. TARPEIO. COLERIS. VICINA.
TONANTI.
VOTORVM. VINDEX. SEMPER. FORTVNA. MEORVM.
ACCIPE. QVÆ. PIETAS. PONIT. TIBI.
DONA. MERENTI.
EFFIGIEM. NOSTRI. CONSERVATVRA.
PARENTIS.

Et aliquot versibus interjectis.

OMNIBVS. HIC. ANNIS. VOTORVM. MORE. SVORVM.
CENTENAS. ADICIT. NVMERO. CRESCENTE. CORONAS.
FORTVNÆ. SIMVLACHRA. COLENS. ET.
APOLLINIS. ARAS.
ÆGERIVMQVE. IOVEM. QVORVM. CONSENTIT. IN. ILLO.
MAIESTAS.

Hanc *virilem* nominabant & Kalendis Aprilis colebant: Dionysius Halicarnass. lib. 4. & forte eadem est, quæ *Mascula* appellabatur, sive quod viros puellis assignaret, sive quod virili habitu locaretur, & Masculino nomine honoraretur. unde paulo ante in vetusta Inscriptione:

——— *Consentit in illo* (nempe) *Fortuna, Majestas.*

C. Petronius in bellor. civil. descriptione, ubi hæc de se ipsa loquitur Fortuna.

Muneribusque meis irascor, destruet istas
Idem qui posuit molem Deus.

Copiose, ut solet, Lactantius Firmianus l. 3. divinar. Institut. cap. 29. *Fortuna est accidentium rerum subitus atque inopinatus eventus: verum Philosophi ne aliquando non errent, in re stulta volunt esse sapientes, qui Fortunæ sexum mutant, eamque non Deam, sicut vulgus, sed Deum esse dicunt. eundem tamen interdum Fortunam, interdum Naturam vocant.* Martialis Coquus lib. 2. epigr. 24.

Si det iniqua tibi tristem Fortuna reatum,
Squallidus hærebo, pallidiorque reo.

Et paucis interjectis sequitur:

Mecum ergo miser es, quod si Deus ore sereno
Annuerit, felix, Candide, solus eris.

Neque id modo de Fortuna verum, sed & de aliis deabus, quas promiscuo cum diis genere efferebant. De Minerva, Diogen. Laert. lib. 2. in vita Stilponis in principio, quod ex aliis, & præsertim Macrobio, Critici observant. Adde Servii Honorati authoritatem ad v. 632. l. 2. Æneid. & ad initium l. 1. Georg. Et de fama P. Statius libr. 10. Thebaid. v. 675.

Vt vero aversæ gressumque habitumque notavit,
Et subitam à terris in nubila crescere Manto,
Obstupuit, sequimur, divum quicumque vocasti,
Nec tarde, Paremus, ait.

Turnus ad Iridem l. 9. Æneid. in principio:

——— *sequimur te sancte deorum,*
Quisquis es.

De Nemesi L. Seneca in Hercule Furente Act. 2. sc. 3.

Dominare tumidus, spiritus altos gere,
Sequitur superbos ultor à tergo Deus.

Alb. Tibull.

Hic juvenis quondam miseros ludebat amantes
Nescius ultorem post caput esse Deum.

De Cerere, seu Proserpina Cl. Claudian. lib. 1. de Raptu in limine:

——— *Claram dispergere culmina lucem*
Adventum testata Dei.

D. Venere P. Virgil. l. 2. Æneid. loco jam laudato.

Descendo, ac ducente Deo.

Sic enim Servius legit, licet in MS. Codice Collegii Autunensis Lutetiæ habeatur:

Descendo, ac ducente dea.

Sed priorem lectionem & Helvius Cinna confirmat:

Pollentemque Deum Venerem.

Græci eodem modo; nam Palladæ lib. 2. Antholog. cap. 27. epigr. 1. Καλλίστη θεὸς dicitur. Dicam fusius ad locum Claudiani citatum.

De Parilibus, seu Palilibus, aut festo urbis Romæ natali, quæ in hoc mense celebrari solebant, repete ex iis, quæ à me discussa sunt supra, hoc opere l. 1. cap. 1.

De Robigo, & Robigalibus, qui in hunc mensem incidunt, dixi supra l. 1. Reg. 5.

Denique de Flora, Floralibusque, quorum solennitas isto mense celebrata, vide l. 2. cap. 20.

CAP. IX.

De mense Majo, & diebus in eo festis.

APRILEM mensem sequitur *Majus*, de quo ita *Macrobius* lib. 1. Saturnalior. cap. 12. *Majum* Romulus tertium posuit, de cujus nomine inter auctores lata dissensio est. Nam *Fulvius* nobilior in Fastis, quos in æde Herculis Musarum posuit, Romulum dicit, postquam populum in majores, juniorésque divisit, ut altera pars consilio, altera armis Rempublicam tueretur, in honorem utriusque partis, hunc *Majum*, sequentem *Iunium* mensem vocasse. Sunt qui hunc mensem ad nostros Fastos à Tusculanis transiisse commemorent, apud quos nunc quoque vocatur *Deus Majus*, qui est Iupiter, à magnitudine, scilicet, ac majestate dictus. *Cincius* mensem nominatum putat à *Maja*, quam Vulcani dixit uxorem, argumentoque utitur, quod *Flamen Vulcanalis* Kalend. Majis huic Deæ rem divinam facit. Sed *Piso* uxorem Vulcani *Majestatem*, non *Majam* dicit vocari. Contendunt alii *Majam* Mercurii matrem mensi nomen dedisse, hinc maxime probantes, quod hoc mense mercatores omnes *Majæ* pariter *Mercurioque* sacrificant. Affirmant quidam, quibus *Cornelius Labeo* consentit, hanc *Majam*, cui mense Majo res divina celebratur, terram esse, hoc adeptum nomen à magnitudine, sicut & *Mater magna* in sacris vocatur: assertionemque existimationis suæ etiam hinc colligunt, quod sus prægnans ei mactatur, quæ hostia est propria terræ: & *Mercurium* ideo illi in sacris adjungi dicunt, quia vox nascenti homini terræ contactu datur. Scimus autem *Mercurium* vocis & sermonis potentem, &c. Hæc & alia *Macrobius*. *Ovidius* lib. 5. Fastorum, tres hujus appellationis causas reddit, quarum prima est, quod dicta sit à *Majestate* Dea Magistratuum: altera, quod à *majoribus*: tertia, quod à *Maja* Mercurii matre nomen habeat. Versus ejus, quia plures sunt, adscribere nolo. Festus: *Majus* mensis in compluribus civitatibus Latinis ante Vrbem conditam fuisse videtur, qua ex causa utrum à *majoribus*, ut Iunius à *junioribus*, dictus sit; an à *Maja*, quod Mercurio Filio ejus res divina Idibus fiat eo mense, an quod ipsi Deæ in multis Latinis civitatibus sacrificia fiebant, &c. Idem alio loco: *Mæsius* lingua Osca, mensis *Majus*. Osci enim à regione Campaniæ, quæ est *Oscos*, vocati sunt. Cui si credimus, *Maji* mensis appellatio vel ante Romam conditam extitit, id quod argumento foret, à Romulo nullam ei propter majores obtigisse denominationem. *Ioannes Goropius Becanus* in Croniis mensis hujus appellationem deducit à veteri Cymbria voce *Mai*, sive *Mei*, quo omnis viror plantarum significetur, quod hoc mense omnia vireant & floreant. Cæterum fuit hic mensis in tutela *Apollinis*, & semper XXXI. dierum ex Romuli, Numæ, & C. Iulii Cæs. constitutione.

De diebus mensis Maji Festis.

Kalendis Maji *Laribus Præstitibus* aram à Curibus Sabinis consecratam fuisse, & Bonæ Deæ sacra fieri *Ovidius* docet, de *Laribus* quidem his verbis, v. Fast. vers. 129.

Præstitibus Majæ Laribus videre Kalendæ
Aram constitui, parvaque signa Deum.
Voverat illa quidem Curbius, sed longa vetustas
Destruit, & saxo longa senecta nocet, &c.

De causa appellationis, cur dicti *Præstites*, scripsimus alio loco.
De æde Bonæ Deæ idem Ovidius, v. Fast. vers. 149.

Interea Diva canenda Bona est,
Est moles nativa loco, res nomina fecit,
Appellant saxum, pars bona montis ea est.
Huic Remus institerat frustra, quo tempore fratri
Regna Palatinæ prima dedistis aves, &c.

Macrobius libro Saturnaliorum 1. cap. 12. scribit, *Cornelium Labeonem* auctorem esse *Majæ*, id est, terræ, ædem *Kalendis Majis* dedicatam sub nomine *Bonæ Deæ*: & postea de sacris ejus verba faciens, ait, virgam myrteam in templo ejus haberi nefas esse, quod & *Plutarchus* in Quæstionibus Romanis, quæstione vigesima docet: cum tamen omnibus germinantibus & florentibus ad ea sacra utantur. Item super caput simulacri *Bonæ Deæ* extendi vitem, qua maxime eam Pater decipere tentaverit: vinum in templum ejus non suo nomine solere inferri, sed vas in quo vinum inditum sit, *mellarium* nominari, & vinum *lac* nuncupari: serpentesque in templo ejus nec terrentes, nec timentes indifferenter apparere. Viros etiam ab ejus sacris arceri. Hæc fere *Macrobius*. Festus hoc sacrum *Damium* appellari scribit his verbis: *Damium sacrificium*, quod fiebat in operto in honorem Bonæ Deæ, dictum à contrarietate, quod minime esset δημόσιον, id est, *publicum*. Dea quoque ipsa *Damia*, & sacerdos ejus *Damiatrix* appellabatur. Ad quem locum *Iosephus Scaliger* annotat, falsum esse, quod *Festus* scribat, ἀντιφραστικῶς dictum

dictum *Damium*, quod minime sit publicum: imo ita dictum, quod pro populo fieret, & *Iuvenalis* adducit versum:

Pro populo faciens quantum Saufeja bibebat.

Fiebant autem hæc sacra à matronis in æde Pontificis Maximi. Itaque cum in ædibus *C. Iulii Cæsaris*, qui tum Pontifex Maximus erat, peragerentur, *P. Clodius*, muliebri vestitu indutus, in iis deprehensus fuit, & ita sacra ea polluit: Qua de re *Cicero*, *Plutarchus*, & alii sæpe.

II. die Maji, qui Latine VI. Non. dicitur, *Compitalia* erant, quorum sic meminit Kalendarium: B. F. COMP. hoc est, Fastus Compitalia.

COMPITALIA: inquit *Varro*, dies attributus Laribus, ut alibi: ideo, ubi viæ competunt, tum in Compiteis sacrificatur: quotannis is dies concipitur. Festus: *Compitalia festa*, quæ in Compitis peragebant. De his sacris apud *Macrobium* libro 1. Saturnaliorum, cap. 7. *Albinus Cæcinna*: Qualem nunc permutationem sacrificii Prætextate memorasti, invenio postea *Compitalibus* celebratam, cum ludi per Vrbem in Compitis agitabantur, restituti scilicet à Tarquinio Superbo *Laribus*, ac *Maniæ* ex responso Apollinis, quo præceptum est, ut pro capitibus supplicaretur. Idque aliquandiu observatum, ut pro familiarum sospitate pueri mactarentur *Maniæ Deæ*, matri Larium. Quod sacrificii genus, *Iunius Brutus* Consul pulso Tarquinio aliter constituit, celebrandum. Nam capitibus alii, & papaveris supplicari jussit, ut responso *Apollinis* satisfieret de nomine capitum, remoto scilicet scelere infaustæ sacrificationis. Factumque est, ut effigies *Maniæ suspensæ* pro singulorum foribus, periculum si quod immineret familiis, expiarent. Ludosque ipsos ex viis compitorum, in quibus agitabantur, *Compitalia* appellitaverunt. Hæc *Macrobius*, *Dionysius Halicarnassæus* libro 4. de *Compitalibus* scribit, ea paucis post Saturnalia diebus celebrata fuisse, sacrificiumque ministrantibus servis peractum. Verba ejus sunt hæc: Sacrificis *Compitalia sacra* facientibus, non ingenuos, sed servos ministrare voluit *Tullius*, quasi hoc gratius esset *Laribus*: quod festum nostra quoque ætate Romani agitant, paucis diebus post *Saturnalia*, cum primis celebre, & sumptuosum, *Compitalium* appellatione: duratque mos ille priscus in sacris placandi genios per *servorum ministeria*, qui temporaria libertate fruuntur per eos dies, ut hac humanitate mansuetiores redditi, dominos chariores habeant, & levius ferant suæ fortunæ inclementiam. Hæc ille. Fuerunt tamen hæc sacra non stata, sed conceptiva, ut initio hujus libri docuimus. De *Compitalibus* etiam *Suetonius* in Augusto, cap. 31. *Compitales Lares ornare bis anno instituit, vernis floribus, & æstivis, &c.*

VII. Id. Maji, qui est dies mensis ejusdem nonus, *Lemuria* erant. Sic enim Kalendarium: A. LEM, N. hoc est, *Lemuria*, Nefastus.

LEMVRIA dicebantur à *Lemuribus*, qui re divina facta his diebus placabantur: de quibus *Nonius Marcellus*: Lemures larvæ nocturnæ, & terrificationes imaginum & bestiarum. *Varro* de vita populi Romani, lib. 1. Quibus temporibus in sacris fabam jactant noctu, ac dicunt, se *Lemures* domo extra januam ejicere. *Porphyrio* interpres Horatii, in 2. epistolam, lib. 2. *Lemures*, inquit, dictos esse putant, quasi *remures*, à Remo, cujus occisi umbram frater Romulus cum placare vellet, *Lemuria* instituit, id est, *Parentalia*, quæ mense Majo per triduum celebrari solent, ante additum anno mensem Februarium: ob quam rem Majo mense religio est nubere. Hactenus *Porphyrio*. Et hæc sacra tribus noctibus, non continuis, sed interveniente semper una nocte celebrabantur, uti in Kalendario notatum est. De iisdem Ovidius, v. Fast. vers. 419.

Hinc ubi sustulerit formosa ter Hesperus ora,
Ter dederint Phœbo sidera victa locum.
Ritus erit veteris nocturna Lemuria sacri,
Inferias tacitis Manibus illa dabunt.
Annus erat brevior, nec adhuc pia februa norant,
Nec tu dux mensum, Iane, biformis eras, &c.

Et paulo post: vers. 485.

Fana tamen veteres illis clausere diebus,
Vt nunc ferali tempore operta vides.
Nec viduæ tædis eadem, nec virginis apta
Tempora, quæ nupsit, non diuturna fuit, &c.

IV. Id. Maji, qui est dies mensis ejus XII. Ludi Marti fiebant in Circo. Sic enim Kalendarium. D. N. P. LVD. MART. IN CIRC. id est, Nefastus primo, LVDI MARTI in Circo. De iisdem Ovid.

Solennes ludos Circi celebrate Quirites,
Non visa est fortem scena decere Deum.

Plura de his dicemus libro sequenti.

Idibus Maji *Argeorum scirpea simulacra*, & oscilla de ponte sublicio in Tiberim præcipitabantur quotannis. Sic enim Festus: *Argeos vocabant scirpeas effigies, quæ per virgines Vestales annis singulis jaciebantur in Tiberim.* Et Varro libro sexto de lingua Latina: *Argei* fiunt è scirpeis virgulteis, simulacra sunt homi-

hominum triginta: ea quotannis à ponte ſublicio à Sacerdotibus publice jaci ſolent in Tiberim. *Plutarchus* in quæſtionibus Romanis, quæſtione trigeſima ſecunda, cur ſimulacra hominum, quæ Majo menſe de ponte ligneo in flumen abjiciuntur, *Argeos* vocant? An quod antiquitus barbari iſta loca incolentes hoc modo interficiebant, ſi quos Græcorum cepiſſent. *Hercules* autem, cujus virtutem admirabantur, docuit eos more interficienti peregrinos dimiſſo, ſimulacris eum repræſentare, iiſque jaciundis religione ſe ſolvere? *Argeos* autem, ſive *Argivos* Antiquitas ſimpliciter quoſvis *Græcos* nominavit. Niſi hoc potius ſentiendum eſt:

Cum Arcadibus *Argivi* ob viciniam inimici haberentur, *Euandrum* è Græcia profugum cum in iſtis conſediſſet Italiæ locis, iſtam odii & inimicitiarum memoriam conſervaſſe. De hoc more ita Ovidius, v. Faſt. verſ. 621.

Tum quoque priſcorum virgo ſimulacra virorum
Mittere roboreo ſcirpea ponte ſolet.
Corpora poſt decies ſenos qui credidit annos
Miſſa neci, ſceleris crimine damnat avos.
Fama vetus, tunc cum Saturnia terra vocata eſt,
Talia fatidici dicta fuere ſenis, &c.

Eodem die *Mercatorum* feſtus erat, quod eo die Mercurii ædes dedicata, ut *Liv.* anno CCLIX. Atque è Mercurii fonte, ad portam Capenam mercatores aſpergebant ſe laureo termite immerio, uberioris quæſtus gratia, Ovid. 5. Faſt. verſ. 569.

Templa tibi poſuere Patres ſpectantia Circum
Idibus, ex illo hæc eſt tibi feſta dies.
Te quicunque ſuas profitentur vendere merces,
Thure dato, tribuas ut ſibi lucra, rogant, &c.

XIII. Kalend. Iunii *Agonalia* ſive *Agonia* erant de quibus Kalendarium: E. AGON. N. P. id eſt, AGONIA, ſive AGONALIA, Nefaſtus primo: Ovid.

Ad Ianum redeat, qui quærit Agonia quid ſint,
Quæ tamen in Faſtis hoc quoque tempus habent.

De AGONIIS ſive *Agonalibus* diximus ſupra.

X. Kalend. Iunii, *Tubiluſtria* erant, quorum ita meminit Kalendarium: G. TVB. N. P. hoc eſt, TVBILVSTRIA, Nefaſtus primo. De his diximus in Martio. Ovid.

Proxima Vulcani lux eſt, quam Luſtria dicunt,
Luſtrantur puræ, quas facit ille, tubæ.

Sequenti die, qui eſt XXIV. Maji, Latine IX. Kal. Iunii dicitur, erat *Regifugium* alterum, de quo ita Kalendarium: Q. REX. C. F. hoc eſt, QVANDO REX COMITIAVIT. Fas: quæ verba, quomodo ſint intelligenda, & qui ritus, quæve cæremoniæ hujus diei fuerint; etiam in *Martio* docuimus. Ovidius:

Quatuor inde notis locus eſt, quibus ordine lectis
Vel mos ſacrorum, vel fuga Regis ineſt.

IIX. Kalend. Iunii, qui eſt XXV. Maji, dies erat *Conſecrationis* ædis Fortunæ publicæ, cujus ita meminit Ovidius:

Nec te prætereo populi Fortuna potentis
Publica, cui templum luce ſequente datum eſt.

De *Fortuna Publica* diximus libro harum antiquitatum ſecundo, quæ inde repetantur. Atque tantum etiam de menſe Majo: ſequitur *Iunius*.

AD CAP. IX. PARALIPOMENA.

Dierum diſcrimen, quid atrum, album, Compitalitia feria, Lares Domeſtici, viales, urbani.

De dierum differentia, variiſque nominibus, ex Macrobio, Servio, Cenſorino, & aliis paſſim, pleriſque jam præoccupatum; adſcribam tamen non inutile Pauli Manutii patris opuſculum, deinde ad diſquiſitionem penitiorem regrediar.

PAVLVS MANVTIVS PATER

De Veterum Dierum Ratione.

Si duo dierum in genera diſtribui *Annum* oporteat, multifariam recte dividetur, ut ſic: *Annus* conſtat ex *Diebus* vel *Faſtis*, vel *Nefaſtis*: aut ſic ex Diebus vel *Faſtis*, vel *Profeſtis*: aut ſic, ex Diebus vel *Senatoriis*, vel *non Senatoriis*: aut ſic: ex Diebus vel *Comitialibus*, vel *non Comitialibus*: harum enim quatuor diviſionum, ſi ſeparatim ſingulæ conſiderentur, totum *Annum* quælibet complectitur. Nos autem, cum de *Diebus* ea, quæ ſcitu digna cenſuimus, quæque ad Romanæ hiſtoriæ notitiam valde pertinent, breviter oſtendere inſtituerimus; ex his diviſionibus utemur ea, in qua quæ major pars eſt, (duæ enim partes habent ſingulæ) ea, cum ea parte, quæ in aliis diviſionibus item major eſt, comparata, uberior aliquanto eſſe cognoſcitur: incipiemus igitur à nominatis in prima diviſione, *Faſti*, & *Nefaſti*: quandoquidem *Faſti*, quæ duarum primæ diviſionis partium plenior eſt, plures in *Anno* ſunt, quam quæcumque pars in tribus reliquis diviſionibus latius patet, hoc eſt, quam vel *Profeſti*, vel *non Senatorii*, vel *non Comitiales*: quod ſi quis opponat, in Kalendario plures notatos eſſe dies litera C, quam litera F, unde plures ſignificantur Dies *Comitiales*, quam *Faſti*; itaque non recte me à *Faſtis*, ut à plenione parte, exordiri ſciat, non à me *Faſtos* modo vocari, quos notatos litera F, vide-

videmus, ſed omnes plane, quibus fari tria verba, *Do*, *Dico*, *Addico*, Prætori licebat: quorum è numero *Comitiales* erant, & ii, quos in Kalendario hæ literæ demonſtrant, EN. NP. Q. REX. C. Q. S. T. D. F. P. quibus omnibus cum fari liceret; etiamſi non id ſemper fieret; qua de cauſa notati ſunt aliis literis potius, quam F, ut indicetur, præter *Fari*, aliquid etiam fieri licuiſſe: non abſurde mihi facere videor, ſi ad *Faſtos*, littera F. notatos, qui quidem vere *Faſti* dici poſſunt, quod iis aliud prorſus nihil fiebat, quo Prætor à jure dicendo impediretur, eos quoque dies aggrego, quibus *Fari* quidem ſemper licebat, non tamen, quod liceret, fieri ſemper ſolebat: ut omnino tria eſſent genera, quibus de ſingulis agetur ſuo loco: primum *Faſti* ii quibus fari ſemper & liceret, & ſoleret, qui notantur litera F, ſuntque omnes XXXVIII. hi & proprie erant *Faſti*, & *toti*: proprie, quod per eos niſi cum aliquis caſus extraordinem interveniret, numquam Prætor jus non dicebat; toti, quod *Fari* horis omnibus liceret. Alterum genus fuit; *Faſti* ii qui & ipſi proprie *Faſti* erant, ſed non toti; quod iis quidem omnibus *Fari*, non tamen horis omnibus liceret. Erant autem hi, EN. NP. F. P. EN. Q. REX. C. Q. S. T. D. quas literas infra explanabimus: atque hi erant omnes LXV. Tertium genus *Comitiales* fuere, caſu *Faſti*, non proprie, quia, cum *Comitia* non haberentur, tunc fari ſolum Prætor ſolebat, hi modo toti erant *Faſti*, cum nulla ſcilicet *Comitia* haberentur: modo ex parte, cum haberentur illa quidem, ſed minime per totum diem. Hi CLXXXIV. erant. Nos *Faſtos* omnes vocamus, quibuſcumque *Fari* liceret, ſive *Faſti proprie*, ſive *non proprie* eſſent, itaque ab his profecti, paulatim progrediemur dividendo, ut, qui nobis propoſitus eſt hujus narrationis finis, eo perveniamus. Omnes igitur *Dies* aut *Faſti* ſunt, aut *nefaſti*: & *Faſti*, partim *Feſti*, partim *Profeſti*. Feſtos pleroſque, partim *Faſtos*, partim *Nefaſtos* fuiſſe, ut *Quirinalia*, *Lupercalia*, *Terminalia*, ex Kalendario cognoſcitur: quibus enim Feſtis diebus, adſcriptum eſt NP. ii ſunt *Nefaſti* ſimul & *Faſti*: *Nefaſti*, priore parte; *Faſti*, poſteriore. Dies *Feralia* adſcriptam habet F. qui *Faſtus* proprie non fuit, ſed geſtandæ ad mortuos cœnæ dicatus dies: quod quia non hora ſtata fiebat, ſed ut cuique commodum erat, ideo totus dies potuit eſſe *Faſtus*: propterea ut opinor, litera F. notabatur. *Feſtis* porro *diebus*, non dubito, quin omnibus haberi Senatum licuerit. Cujus rei exempla ſunt in Antiquorum libris admodum multa, quamquam ſolemne hoc non erat ut ſemper *Diebus Faſtis* Senatus haberetur: ſed legitimum, ut haberi poſſet. Solemne autem illud, ac ſtatum, ex more majorum, ut *Kalendis*, *Nonis*, *Idibus* haberetur. Itaque in Kalendario neque *Kalendis*, neque *Nonis*, neque *Idibus* litera C, quæ *Comitiales* dies ſignificabat, per quos haberi Senatus non poterat, neque diebus omnino ullis *Feſtis* adhæret. *Profeſti* dies aut *Feſti* erant, aut *Nefaſti*, & omnibus *Profeſtis Nefaſtis* haberi Senatum licebat; *Profeſtis* autem *Faſtis* non plane omnibus, ſed iis tantum qui *Comitiales* non eſſent. Quibus autem *Profeſtis* haberi Senatus poterat, iis omnino Agi cum Populo non poterat: contra, quibus *Profeſtis* haberi Senatum non licebat, iis Agi quidem cum Populo licebat, nec tamen ſemper agebatur: cum ea res ex eorum voluntate penderet, penes quos populi cogendi poteſtas eſſet. Non enim, quod licet, id etiam neceſſe. Quod autem dixi, *Comitialibus* habere Senatum non licuiſſe, declarant illa verba, in epiſtola *Ciceronis* ad fratrem, quæ tertia eſt lib. II. Conſecuti ſunt dies *Comitiales*, per quos Senatus haberi non poterat. Et illa in S. C. quod *Cœlius ad Ciceronem* miſit Epiſt. fam. lib. VIII. Vtique ejus rei cauſa per dies *Comitiales* Senatum haberent, S. Q. C. facerent. Quibus verbis, quod extra ordinem à Senatu eo S. C. decretum eſt, id omnino fieri ſolitum non eſſe, dilucide conſtat. Ita Senatus *Faſtis* quibuſdam haberi poterat, quibuſdam non poterat: ſiquidem *Comitiales* inter *Faſtos* jam retulimus. *Nefaſtis* autem haberi omnibus potuiſſe, jam diximus. Sane, qui me torqueat nodus eſt, mihi quidem perdifficilis, in epiſtola ad Atticum lib. I. in qua cum diximſſet jam: Nam cum dies veniſſet *rogationi* ex S. C. ferendæ, paucis poſt verſibus ſubjunxit, *Senatus* vocatur: quod certe mos majorum minus ferre videbatur. Nam, ſi *Rogationi* ferendæ dies eſt, certe *Comitialis* eſt: quod ſi *Comitialis* haberi Senatum prorſus non licet. Cujus rei teſtimonio ſunt ea quæ paulo ante recitavimus, & ex epiſtola ad fratrem verba *Ciceronis*, & è S. C. niſi ſi factum, id eſt, extra ordinem dicamus, ut *Piſonis* Conſulis iniquiſſimis conatibus obviam iretur: qui cum eſſet lator *rogationis* & ejus *Rogationis*, quam ex S. C. & de religione ferebat, idem tamen erat diſſuaſor. *Comitialium* magnus erat numerus: eoſque fuiſſe dies *Faſtos*, quod ſupra dixi, ita exiſtimo, ut mihi videar affirmare poſſe. Non enim inani quadam conjectura, ſed certa inprimis, ut puto, ratione commoveor. Video enim in Orationibus *Ciceronis*, in *Piſonem* de Provinciis conſularibus, pro *Sextio* mentionem fieri ea de lege, qua *P. Clodius* Tribunus pl. ſanxit ut omnibus diebus *Faſtis* Agi cum Populo liceret quod fit apertum, *Faſtis* quibuſdam non id licuiſſe, quod ut omnibus liceret, *lege Clodia* ſancitum eſt, quam tamen legem non fuiſſe obſervatam, demonſtratum eſt à nobis in libro de *Legib. Romanis*.

Nec vero mirari ſatis poſſum, cum *Faſtos* aliquot fuiſſe *Comitiales* pateat, qui venerit in mentem *Macrobio*, *Faſtis*, dicere, *Lege agi licuiſſe*, cum Populo non licuiſſe, *Comitialibus* autem utrumque licuiſſe. Quorum alterum vere dictum conſtat, *Comitialibus*, inquam, & *Lege agi*, & cum populo licuiſſe: quia ſcilicet *Comitiales* erant de numero *Faſtorum*: itaque & illud omnium *Faſtorum* commune habebant, ut *Lege agi poſſet*, & hoc præterea proprium, ut etiam cum populo poſſet: Alterum autem de *Faſtis* diebus quibus ait lege agi licuiſſe, cum populo non licuiſſe, in prima parte verum eſſe video, in ſecunda qui poſſit non eſſe falſum, haud facile reperio. Qui enim *Faſtis* agi cum populo non licet, cum *Comitiales* omnes faſti ſint, & *Comitialibus* agi licuiſſe cum populo, jam oſtenderim? dixiſſet hoc modo, *Faſtis* omnibus lege agi licet, cum populo non omnibus licet: nihil erat, quod reprehenderes. Siquidem, quod docuimus quibuſdam *Faſtis* agi cum populo poterat, quibuſdam non poterat: quib. poterat, eos ſi quis *Faſtos*, aut *Faſtos Comitiales* diceret, non erraret, cum dies fuerit nullus *Comitialis*, quin idem & *Faſtus*: ſed *Comitiales* potius, quam *Faſti*, ut à reliquis *Faſtis* proprio nomine diſtinguerentur; & *Comitiales* item potius, quàm *Faſti Comitiales* brevitatis cauſa, vocabantur. Verum, quia libenter, quantum in me eſt, Antiquitatem ſoleo tueri, *Macrobium*, à quo multa didici, quaſi gratiæ referendæ loco, ita conor excuſare: ut, cum *Faſtos* nominavit, de iis tantum intellexerit, qui *Faſti* vulgo dicebantur, non etiam de iis, qui & ſi *Faſti* ipſi quoque erant, *Comitiales* tamen appellabantur. Spectavit igitur non verbi vim, quæ dies omnes, quibus Prætor tria verba fari poſſet, ſive *Comitiales* eſſent, ſive non, complectitur: ſed conſuetudinem loquendi, quod *Faſtos* nominabant eos, quibus tantum lege agi poſſet, cum eos, quibus cum populo poſſet. *Comitiales* præcipuo vocabulo mallent appellare. Quæritur hic fortaſſe: cum *Comitiales* omnes eſſent *Faſti*; iiſque & cum populo, & lege agi poſſet, cum populo, quia *Comitiales*, lege, quia *Faſti*, fieret ne ſimul utrumque. Negatur. Nam, etſi licebat utrumque eodem die, non tamen utrumque poterat eodem tempore. Cum enim Populus in Forum conveniſſet, quid judicibus, aut litigantibus loci relinqueretur, porro, ſi vacaret locus, qui tamen poſſet *Prætor*, aut *Judices*, in tanto ſtrepitu, quantus coactæ in unum locum multitudinis ſolet eſſe, eorum, qui cauſas agerent, orationes attentis auribus, animiſque ut par eſt, excipere? ſedata mente diligenter aliquid conſiderantibus opus eſt. Itaque abſurdum eſt credere. Potuiſſe eodem tempore & cum populo agi, & judiciis operam dari: ſicuti *Faſtis* iis, qui *Comitiales* non erant, eodem quidem die, non tamen eodem tempore, & *Lege actum*, & *Senatum* eſſe habitum invenio: ſic, ut *Lege ageretur* primum, deinde *Senatus* haberetur, quod cum ex aliis locis, tum ex III. & XII. epiſt. lib. II. ad Quintum fratrem intelligitur. Ergo, cum omnes *Comitiales* eſſent *Faſti*, non quia ſemper *Lege ageretur*, ſed quia ſemper liceret, ſi modo cum populo non ageretur, (nec enim utrumque ſimul fieri, jam diximus) ita concludemus *Faſtos*, litera F. in Calendario notatos juriſdictionem omnes habuiſſe, *Faſtis* litera C. notatis, & jus dici, & agi